

BARTHIUS
PORNOBOSCODIDASCALUS
1634
8

2-9-11

MARCOS
y
FRANCISCO VIÑALS

MADRID

PORNOBOSCODIDASCALUS LATINUS.

DE LENONUM, LENARUM, CONCILIATRICUM, SERVITIORUM, DOLIS, VENEFICIIS,

Machinis, plusquam Diabolicis, de miseriis iuvenum incautorum qui florem ætatis Amoribus inconceßis addicunt; de Miserabili singulorum periculo & omnium interitu.

LIBER PLANE DIVINUS.

LINGUA HISPANICA AB INCERTO AUCTORE INSTAR LUDI conscriptus CELESTINÆ titulo, Tot vitæ instruendæ sententijs, tot exemplis, figuris, monitis, plenus, vt par aliquid nulla ferè lingua habeat.

CASPAR BARTHIUS.

INTER EXERCITIA LINGUÆ CASTELLANÆ cujus ferè princeps stilo & Sapientiâ hic Ludus habetur Latio transscribebat.

ACCEDUNT

DISSERTATIO EIUSDEM ad Lectorem Cum ANIMADVERSIONUM Commentariolo.

ITEM, LEANDRIS Ejusdem, ET MUSÆUS, recensiti.

FRANCOFURTI,

Typis Wechelianis, Apud Danielem & Dauidem Aubrios & Clementem Schleichium.

ANNO M.DC.XXIV.

PERSONÆ COLLOQVENTES.

CALLISTO, adoleſcens, Amator Melibæ.
MELIBÆA, filia PLeberij.
PLEBERIVS, Pater Melibææ.
ALISA Mater Melibææ.
CELESTINA, Lena, Conciliatrix.
PARMENO, }
SEMPRONIVS, } Servi Calliſtonis.
TRISTAN, }
SOSIA }
CRITO, SCORTATOR, LENO.
LVCRETIA, ancilla PLeberij.
ELICIA } meretrices.
AREVSA, }
CENTVRIO, Leno.



C. BARTHI.

DE

PORNOBOSCO-DIDASCALO, ET LATINO SVO.

DISSERTATIO.

CVm in Duobus Exemplorum observatione, & Doctrina litteraria omnis Prudentia rerum humanarum consistere censeretur, Sapientiæ Antistites, qui libris condendis Posteritati pro copiâ sua consulere animum induxerunt, cum nihil non, Eloquentiæ munere, æternitatis Spei consecraretur, postquã Vsum rerum cum scientia Litterarum coniungi illumque ex hac instrui posse animadverterunt, non defuerunt officio suo, quod Commune Egregium illis iniunxerat, quin utrumq; iunctim tradere vellent. Vbi igitur præceptis Experientia confirmatis, solidam doctrinam mentibus suis induxissent, Rati, quæ longis ætatis spatiis ipsi didicerant

compendio facilius Nepotibus commendari posse, illud egerunt, ut de Vita Publicâ Exempla morum corrigendorũ mutuati, talia scripta emitterent; quæ rerũ ubique contingentium Fictionibus commodis Veritatẽ exprimerent. Sic etiam in profundissima Antiquitate, cuius paucissima ad nos scripta servata sunt, Scenã Fabulis Theologiæ Consulti primum aperuerunt; non ausi tamen in mediis Vrbibus Populi scita corrigere, aut barbaris hominibus amarioris emendationum regulas proponere, per silvas primum & porrò vicos explicarunt præceptionum seriem. Cum enim vi omnia agi viderent, Potẽtiam Naturæ Legibus præpollere, non audebant genuinum figere in hominum truculentorum correctionem, cædibus rapinisque omnia torquẽtium sub iuga tyrannidis suæ, Itaque, scitis primum Fabularum involucris utile dulci miscentes, canendas populo historiolas sparserunt, ut Leo vrsum, Vulpis Lupum, deceperint; ut eâ ratione admoniti ingeniorum Naturâ æqualiũ homines in civilem tamdem atque sociabilem vitam transirent. Quod cum, à sapiẽtissimis mortalib. effectum, popularis utilitas omnibus modis commendaret, cæperunt tamdem Leges condere, Vrbes munire, Magistratus eligere, nihil non facere ut ex feris belluinisq; concursibus, & victu barbaro, in Civitates morũ æquabilitate vinctas, humanitas redigeretur. Hinc officio porro suo & ipsi illi & successores deinceps

eorum-

eorumdèm instantes, cum poßibile vix foret concionibus publicis omnia obtinere, aut seligere etiã, quibus doctrinam suam commendarent, libris condiderunt primum easdem fabulas, mox singulis urbibus singula ædificia construxerunt, quibus illiteratæ etiã plebi quid in vitâ cavendũ, quid amplectendum esset, ostenderent Prudentiæ & Sapientiæ consulti. Sic inductæ Theatrorum & Spectaculorum Voluptates, quamquã ingenti post abusu infandam licentiam omni libidinum generi invexerint, honestis tamen principiis nituntur. Velut autem sempiterna mortalitatis Lex omnia finibus ambiguis versat, sic bona hæc, benèque instituta, Vitæ in Fabulis Castigatio, planè in ludibria vulgi demum conceßit, Satiris priscis, Fabellis, Comædiis, Ludis, Tragædiis, in turpium histrionum potestatem collabentibus, qui, prostitutis corporum gestibus, infami suæ Vitæ solatia tantum, & otiosorum animorum oblectamenta, quæsiverunt, longè à Scopo Prudentium veterum recedentes. Igitur cum veræ Doctrinæ pretia apud paucos remanßissent, cæptum est ab illis officium suũ hoc modo instaurari, ut non quæ populo placerent, sed quæ eruditiorum plausibus laudarentur, libris commendarentur, involuta ambagibus, & circumscripta omnis generis figmentis, ne arcana scientiarum, in manus vulgi incidentia, ludibrio temerè haberentur. Huius generis pleraque sunt Veterum

Græcorum monumenta, immo fuerunt potius, cum observatione diligenti indagatum à nobis sit, ex mille millibus librorum ab Hellade ne centum quidem, immo ex universa omnium copia nec mille ipsos librorum conditores ad nos pervenisse,) quæ ingeniosis carminibus studio intricata, nobilissimarum scientiarum secreta, sinu suo tegunt; adeo quidem densa ut posteritas omnis ferè non suffecerit unius Homeri enarrare Doctrinam & Prudentiam; quo genere diligentiæ si aliorum etiam vatum scripta excussa ad nos venissent, plures fortasse quos admiraremur, haberemus, quam nunc transeunte oculo vix lectione dignamur plerique. Sic conservata vetustissimorum Sapientium Doctrina ad Romanæ Reipublicæ tamdem Proceres venit: quo Imperio funditus everso, Innumeris Barbarorum gentibus spolia Orbis terrarum refigentibus & diripientibus, sanè conservata forent monumenta eorum hominum, si apud maiores nostros tantum studium Sapientiæ quam superstitionis fuisset. Illo vero cum animi eorum ferociores non caperentur, mirifice autem hoc à subdolis victorum technis intricarentur, evanuit fere omnis primorum temporum eruditio, (de sacra iam non loquitur) & postinde plurimis seculis detabuit, eo modo ut ex superstitibus, fati singulari clementia,

paucis

paucis, & minime bene acceptis libris, tamdem avorum atavorumque nostrorum memoria potuerit aliquatenus restaurari. His vero duobus fere iam seculis, cum meliore vultu Deus mortalia conspexisset, eò laborari undique cæptum est, ut Artium Scientiarumque Fundamentis inquisitis & excussis, cubilibus tamdem intimis suis Barbariæ pædor exigeretur, scripta autem nobilissimorum hominum vel integra, vel integritati proxima, in vitam iam pene amissam reducerentur. Sic revixerunt Libri, omnium Humaniorum litterarum situs excussus est, prodierunt, velut è sepulcris, Graiorum Latinorumque scriptorum eximia Opera, unde Vita communis simul instrui, & ingenia expoliri ad priscorum nitorem possent. Nec obfuit seculo nostro magnopere nox illa quæ tot monumenta optimorum auctorum obscuravit, nisi quatenus alia omnino absorpsit, quæ enim diu latuerant, cum fænore lucis iam inclarescunt, &, veterum additis instructionibus recentium, & iam viventium, ingenia decora sua in immensum extulerunt. Vt autem Antiquissimis temporibus Fabularum & figmentorum Vtilitas commendatissima fuit, sic ingeniosissimi præsentium quoque scriptores, Exemplis talibus depingendis bonam operam collocare voluerunt Humanã

 Sapien-

Sapientiam velut ad principia sua reducentes, ut Speculo Simplicitatis priscæ, hodierna comitas atque astutia, quà delinqueret, corrigeretur & emendaretur. Et mihi quidem unicè utiles tales in universum fictiones semper visæ sunt. Si enim certum est, ut negaverit nemo, Duabus potissimum rebus Prudentiam ex libris augeri posse, Monitis nimirum cordatorum hominum, & Exemplis, non invenietur aliud genus monumentorum quod fructu utili cum isto comparari possit; quod enim egregiæ vivendi regulæ paucis verbis comprehensum proponunt, quæ Sententiæ nunc vulgo appellantur, id exemplis personarum, scitè ad Fortunæ consuetudinem repræsentatis, applicatur isthic, & quasi ob oculos producitur. Historiarum scriptiones, erunt, qui utroque hoc nomine fortasse præferant; mihi vero nequaquam ii homines à nostro sensu recedere illâ illatione videntur, potius contrà in opinione nos perceptâ conservare & confirmare velle. Si enim clarius quis omnium Historiarum seriem inspicere voluerit, non aliter iudicabit, quam maximam earum partem non tam fabulosam æquè atque figmenta talia, sed & plane fabulam esse; nullo alio genere à ludis eiusmodi differentem, quam quod certa tempora definire, ubi res gestæ quælibet sint, loca nominare, & personas veras inducere Historici soleant.

Cætera

Cætera enim quæ super Consiliis, Regum, Principum, Magnatum, decidunt, non magis ad unum aliquem ex illis pervenire potuerunt, quam vulgo cuivis cognita esse, cum negotiorum illorum Consilia plerumq; ab eventu proponantur, & talia fuisse iudicentur, quæ talis Fortuna sequi soleat: Ipsa autem summorum hominum, præcipuè militaria, decreta in paucorum notitiam omnino pervenire possunt, ita tecta & involuta, ut maximorum bellorum hodie momenta vix trium aut quatuor hominum conscientia geri nemo acutior non videat: Itaque mihi non raro, credo & aliis, hoc usu venit, ut Commentaria Rerum gestarum legens, parum equidem illis fidei adhibere poßim: nisi quatenus, ut modo memoratum est, Temporum certa spatia definiunt, quid quoque eorum evenerit: hoc enim decipi diligentia scribentium non facile potest, deinde quo nomine quisque Procerum censitus sit, Qua fortuna floruerit, Nam reliquorum incerta fiducia erit, Nec tamē hic omnia taliū genera eodē iudicio censere nos arbitreris; Sunt enim viri sagaces, qui publico bono publicis etiam negotiis præsunt, qui sanè earum rerū quibus ipsi interfuerunt, aut quæ in conspectu penè ipsorum iis in regionibus, ubi ipsi vivunt, gestæ sunt, penitiorē cæteris cognitionem habere possunt; Velle autem etiam hos tales ex vulgo sparsis rumoribus, interceptis hinc inde magnatum litteris, sæpe

 alia

alia omnia sentientibus quam præ se ferant, tales conponere Historias, quibus obligati velut credere cogamur, eo nimiopere à bono suo iudiciô nobis recedere videntur. Præcipue autem hoc peccare mihi iidem isti videntur, quod paucorum admodum eventuũ consilia nota habentes, in immensum opera sua producant, adeoque integrorum seculorum res gestas credibiles eloquentia sua proponere laborent: Cum fieri nullo modo poßit, quin alienis illi & parum omnino probandis quia maxime dissentiunt, Commentationibus nitantur, adeoque nolint se spatiis unius aut alterius Regionis includi, ut quæ toto terrarum orbe gesta sint, pro veris, uti ipsi accipere potuerunt, Posteritati uno impetu se traditurus sibi credant. Sed his exsequendis prolixior alibi locus dabitur: nos figmentorum illorum Vtilitatem magnopere commendabilem arbitramur, qui Eventus, Fortunas, & Consilia hominum, æqua atque iniqua, velut in scenam producunt, ut sine periculo suo quisque discere valeat, quod vitandum, expetendumque ordo Temporum ferat. Nihil enim per omnes viventium Status contingere potuit hactenus, aut porro poterit, quod affictum Personis cum ipso eorum sermone, egregie adsimilato, hoc modo notandum præhiberi non valeat. Sic veteres Græciæ Vates, etiam summorum Regum personas ludis suis induxerunt, qui iam dum ubique pro Diis colebantur, quorum facinora

cinora turpia Tragœdiæ detestanda proferebant. Popularium autem & Privatorum monitis factæ erant Comœdiæ. Harum cum, bona diligentia doctorum, penetralia iam omnibus reclusa sint, neque desint qui nunc quoque telam ab illis texi orsam, posteritatis commodo, detexere velint: Nobis visum fuit ad Europæ nostræ Idiomata proficisci, & inde, communi mortalitatis bono, egregiorum ingeniorum tradita Latino sermoni inducere, ut publice æque ab omnibus litteratis legantur, quæ in iis peculiaria optima delitebant hactenus: Sic ad Hispanismum hodiernum addiscendum nonnihil operæ impendentes, hunc Ludum reludere & Communi Europæ theatro exhibere voluimus: ne publico commodo hac etiam in parte opera nostra deesset. Maluimus autem primo istum, quem alium quemlibet interpretari, quoniam & materia ei talis est, ut Iuventus nostra, præcipue in hanc Voluptatum partem peccans hinc vel maxime necessaria documenta haurire, Vitæ cautè instituendæ, possit, & tot interspersæ huic brevi scripto, tam ex mediis rebus petitæ, tamque capitales, insint sententiæ, ut qui vel solas has animo fixerit, & velut regulas dirigendæ (præcipue peregre vivens,) vitæ, edidicerit, usuque adhibuerit, non vulgarem Sapientiæ opinionem apud omnes boni iudicii adepturus certò videatur. Accedit, quod & dicendi ge-

di genus tam comtum, politum, exactum, numerosum, grave atque venerabile est in suo, huic libello, idiomate, ut pares per universa ejus spatia pauces inveniri consensus ipsorum Hispanorum fateatur. Taceo nunc peculiarem quemdam Genium, affingendis Personis, quibuslibet moribus, & ex his sermonibus, huic scriptori datum; à quo certè longè abest quicquid Græcorum aut Latinorum monumentorum ad nos pervenit; quod mecum sentiet qui indidem sententias primum singulas, deinde Personarum mores, post scopum scriptionis, & deductionem considerabit, ut de stilo nunc taceam. Et sententiarum quidem ea est comitas & eruditio, ut vulgarium hominum animos non minus, atque si ipsis solis scriptæ forent, mirificè penetrent, & opinione melioris doctrinæ, ipso quasi ictu, percellant, ut malint iis accedere, quæ in istis præcipiuntur; quam morem suum tenere, hoc est brutam vitam exsequi porro etiam velle. Eruditorum autem vel principes penitissimæ Sapientiæ & Antiquitatis profundæ hic monita percipient, ut solum hoc, vel præcipuum certè, egisse auctor hujus libri videatur, quo pacto in materie vulgari instrueret etiam eorum pectora qui jam in arcem doctrinarũ evasissent. Hoc egregium est illud sollertissimi censoris præceptum, miscere dulci utile, &, excusso naso, quod de illo vir doctissimus censuit, populum suspendere, hoc est dum stupet ille mores suos ex re ipsa

notari,

notari, superesse tamen tantum comitatis Philosopho, ut nulla auctoritas aut austeritas eum exosiorem faciat. Hoc vult veræ doctrinæ sibi Conscium pectus, nil indignationis in ipsa etiam vitia sibi permittere sed tranquillitate animi per omnia stabili servatâ, ire in medias res, & suavitate illa divina, undique relucente, parteis tamen interim castigatoris agere. Hoc in genere versati mihi olim visi sunt, Philosophorum procul dubio prudētißimi, Eclecticos sese dictitantes, qui per omnium sectarum penetralia redeuntes, flores Sapientiæ undique colligebant, non autem certis præceptis aut scriptis, uni materiæ destinatis, ingenia exercebant, aut prodesse publicè studebant; sed ne quid fastidii, vel morositas, vel prolixitas, facerent, per iocum quasi & ludentes intima Philosophiæ reserabant, floribus velut omnis generis sparsis per compita, ut qui quopiam malo afficeretur, cōtinuo sibi medelam aliquam de obvio peteret. Reliquum certe eorum genus qui Sapientiam humanitus professi sunt, dum in artem omnia redigere laborant, dupliciter fine suo, præceptorumque suorum lapsi videntur; Primo quidem dum studia discituorum in ambagibus anxiæ methodi enecarunt, ut adolescētes animi, metu tam subtilium inductionum, perculsi & absterriti, maluerint quidvis aliud quā per tot putamina paullum illud nuclei quærere; Neque istuc autem solum hoc loco, sed vero immanius

etiam,

etiam, doctores illi, peccarunt, dum nihil omnino bonarum & vitæ utilium præceptionum sine scholastico supercilio in commune protulerunt, velut necessarios Rhetorum inanes & nugaces locos, atque alia mille deliria, tam in dispositionibus operum, quam in tractationis sermonibus observantes. Quo sanè difficilimas omnes suas commentationes effecerunt, ut adolescens, excitatii ingenij, & Sapientiæ cupidus, e scriptis ipsorum nihil ferè percipere posset, nisi aliquot ante annis Scholas Rhetorum & Dialecticorum trivisset: quæ res non solum odiosa veræ studia Sapientiæ (quæ quo verior eo est simplicior & facilior,) sed etiam contemni obvia exhibuit: qui enim nisi per tot ærumnas ad ea accedere posse desperabat, odio eorum capiebatur, qui alios, eorum tanto labore per tot annos fatigatos, parum admodum cepisse aut assecutos esse videbat, & id ipsum quo pacto in vita communi usurparet, inscios: Primum professores ipsos, deinde sectatores, ad extremum ipsa etiam studia contemtu sequebatur: ut sunt mortalium animi, præcipue vulgo generosiores, qui quo nobiliores ipsi sunt eo minus negotii ab aliis facessi sibi volunt, eoque facilius pro ignavis laboriosos illos & futiles vanarum rerum tractatores vituperant. Secundo autem loco Magistri Philosophiæ capitaliter peccasse in eo videntur quod

ab usu

ab usu communi, & Vitæ tractatione, studia Sapientiæ sciungere voluerunt ipsi, & aliis persuadere porro connisi sunt, separatim hæc coli posse. Qui error adeo ineptus atque vecors mirum me habet quo pacto tot seculis tam paucos contradictores invenerit! Certe natura duce & præceptrice hoc omnes mortales norunt, Sapientiam eam rem non esse, nec de eo genere, quæ palpando animos hominum felices facere, aut intrà eorum sincipitia summam suam absolvere vellet. Luce contrà atque laude plurimorum delectatur, neque gaudet ullarum rerum scientia ab usu vel publico, vel plurimorum certe, remota, & intrà cancellos inertissimarum speculationum conclusa. Quo pacto enim tanta res, quæ Diis proximos mortales facere semper omnibus visa est, situ delectetur, tenebris sese tegat, fugiat splendorem, nolit prodire, & bona sua exercere? cum liquidius nihil sit quam in exercitio Virtutum & Felicitatum omnium summas consistere: Quid enim prodest scientia, vel habenti eam, vel aliis, qui per eam meliores & feliciores fieri possint, si abnegetur possentibus, invideatur quodammodo sibi ipsi, & infaustis unius alteriusque capitis possessionibus, velut in carcerem, damnetur? Exempla Deorum

rum

rum immortalium considerare hoc genus homuncionum debebat: quos ipsi, quamvis portentosissimos fingerent, nullo modo tamen tales excogitarunt qui singuli pro se sibi saperent: sed cum innumera millia Idolorum cõfinxissent, in Rempublicã tamen universa, unam solam, Orbis huius Universi induxerunt, partes suas assignarunt cuiq;, quibus exerceret, quod ipse præ cæteris excoluerat melius, & sciebat promtius. At semiinsani isti fabulatores, talem sibi Sapientiam imaginarunt, quæ ipsos à vulgi, ut aiunt, conversatione eximeret: ne quà scilicet, tam pura illa facem traheret insipientiæ quæ omnibus hominum negotiis interveniebat: Hinc è communi vivẽdi cõsortio in abdita loca profecti sunt quidam, alii aliis moribus in media plebe viventes, eò excellere sibi visi sunt, quod, cũ ineptissimi ab omnibus iudicarẽtur, in sinu tamen suo se sapere sibi persuasissent. At, quãquam immensa talium vis & copia semper fuerit, nõ defuerunt tamen alii contrà, licet pauciores quam usus erat, qui, quod didicissent, in communem utilitatem proferebãt, &, aliorum vicissim bonis gavisuri, sua ẽt cõmunicarent illis, vel vivendi usu, vel libris minimè operosis aut intricatis, sed eo prudentiorib.' & cordatioribus, quo lucidiorib. & faciliorib. Quicquid hi sciscebant, ut vitæ Utilitatem aliquam adferret, operã dabant, comi quodã, & venustate cõmendabili Lepore omnia dicta tingentes. Horũ ut omni

Anti-

Antiquitate pauci fuerunt, ita nostra memoria, uno seculo tot extitisse gloriari licet, quot ne iunctis quidem antè cæteris omnibus. Quoquò regionum aut locorum te vertes omnibus hodiernis Idiomatis linguarum hoc genus scriptorum excellere videbis; Vt autem Hispanicæ seu Castellanæ Linguæ gravitas & proprietas, hodie cæteris ferè amplior est, ita & in hac licet plures auctores id genus observare, qui iuncta utilitati venustate, fictionum, in publicam prodesse connitantur; adeo quidem ut si qua in cæteris, Gallica præcipue, delectabilia simul & utilia talia scripta prodeant, pleraque vel inventionibus Hispanorum, vel illustrationibus debeantur. Inter omnia autem huius tam locupletis & copiosæ talium, multorum iudicio, excellit hic Ludus, quem sententiarum, in medium, ex omni genere eruditionum quam aptissime prolatarum, nomine, nunc commẽdamus. Nimirum cum universa series scriptionis Ludum & Fabulam fateatur, tantaque sit suavitas actionum, & concinnitas Personarum, ut velut rem gestam, & adhuc ob oculos versantem, necesse sit plurimorum animos in id solum intentos efficere, ut quo modo tam utilis & usitata historia deducatur, omni adfectu inspiciant; & discant interfit autem auctoris data occasione partes suas, Docendi & Instruendi, non negligere; factum est exinde, ut in hoc Ludo nulla pagina sit quæ non aptis-

ſimis monitis ſcateat. Neque obeſt hoc locô, quod objici à quibuſdam poſſe video, qui curioſiores alienorum operum eſſe ſolēt, ipſi verò vel elambia omnia, vel nihil in litteras omnino mittere poſſunt, non ſervatis quodammodo perſonarum meritis, etiam ſummæ prudentiæ ſcita proponi. Sic initio ſtatim vilis ſervulus, qui iracundiā ſuam tantum moderari non poteſt, ne, domi propriæ ipſius, anum imbellem poſt capitali ſuo periculo interficeret, tam inſignia percepta hero ex Amore laboranti, ſuppeditat, ut omnium Philoſophorum myrothecia exhauſiſſe videri poßit. Contrà hunc & Celeſtinam, aſtutißimam & ſceleſtißimam anum, inducitur deinde ſummæ Sapientiæ Rationibus nitens, vilior etiā adoleſcentulus, in lupanari à proſtitutâ Lenâ educatus, in nullam bonam ſpem genitus, qui quantum ipſe prudentiæ habeat, poſt communi cum Sempronio facinore demonſtrat; Parmeno. Hoc ſemotô, ipſi muliones pueri, in ſtabulo, & inter ſeſe, dum ad amicam eunti hero ſcalas ſupportant, myſteria Prudentiæ & Sapientiæ colloquuntur. Ego vero nequaquam vel hæc, vel talia in hoc ſcripto accuſatione ullâ digna eſſe fatear; cū ſcopus hujus ſcriptionis is ſit, ut pariter hominū omne genus Amantiū Iuvenū, Opibus, & Saluti infeſtū. populo, atq; omnibus conſpiciendū, proponat. Iā ſi quis ſervulus tale quid machinetur, quo pacto melius doceri poterit ejus fraus

quam

quã si illico aliquis alius introducatur, in re recenti, eũ stultitiæ simul & malitiæ suæ arguens? Quod sanè omnino omittendũ erat, officium, si hoc modo nõ alter alteri præstaret: Herum n. induci talibus castigandis minimè æquũ erat, qui nescire debet, fingi omnia ejusmodi, quæ ex servis audita, ipsum illos cõcidentẽ virgis facerent, & Amoris imperio tam diu subducerent, qui mente velut captus aut occæcatus sensibus præpingitur. Sic magnâ utilitate has leges migravit Scriptor noster, quæ à nemine alioquin, vel summo omniũ auctorum, tam rigidè observatæ sunt, ut non aliquammultis locis castigationi locum reliquerint. Quanta vero fictionum concinnitate, etiam vilissimæ hæ personæ, partibus Sapientium fungantur, in nulla earum poteris facilius observare, quã Celestina ipsa; quæ cũ vilitate quadã cõscientiæ suæ, tã astuta, atq; noxia, tam rei suæ studiosa, introducitur, ut frustra vel in sermone ejus, vel in dicto aliquo ullo quid reperire laboraturus sis, ex quo non perfidã quãdã, uti dixi, vilitatem, & hominem contra suã conscientiã semper, ex cõsuetudine, male facientẽ, cũ desperationẽ & contẽtu omnis honestatis, agnoscas. Cũ ad Libidinũ res pervenitur nõ sperat illa quidẽ sui Amore pellicere quẽpiã, nõ & obliviscitur tamẽ ideo cõsuetarũ artiũ, quin adolescentib. hominib. talia oggerat, quib. pruritus eorũ ẽt, tã arida anu pronuntiante, excitetur: Advertit de-

inde, summa astutia, in alumnas suas eos affectus, quibus irretitos non minus ulciscitur, atque perdit, quam si propriis ipsius suis libidinibus innexuisset. Neque ex huius dæmoniacæ vetulæ ore quippiam melioris animi dictum proficiscitur, quin à tali persona proferri sentias, quæ quamvis vera esse quæ dicat, non nesciat, numquam tamẽ ea facessere studuerit. Considera per omnes Actus personam huius, nullis non salutaria proponentem videbis, quæ tamen fieri contrà ipsius sit votum: sic simulando illa decipitur à sese ipsa, quæ pœna à Deo immortali desperatis hominibus vel atrocissima infligitur, ut suadeant non raro bonis bona, ipsi mala sua mente in malorum patratione persistant. Ad exemplum huius si cæteras etiam excutere velis, neminem non scopo suo deditum, id tamen non omittere, videbis, uti alios moneat honesta, etiam publico mortalium generi adsit, ab iis præmonendo, quæ ipsemet cavere non potest, aut negat. Plena Generoso animo est Callistonis, etiam stulti, indoles. Neminem servum per irã, ut Amor est alioquin sui impotens, castigat, aut verberibus obiurgat: pertinaciæ solum Parmenonis aliquando minatur, licet patrimonium perire videat, anum scelestam esse, & publice pro tali haberi, norit, ut patet ex sermone quo se ipsum super obitu eius consolatur; tam fatuum Amor facit, ut nihil non illis credat, tamen ita sui obliviscitur, ut le-

ctori

ctori aptiſsimè quà licet, conſulat. Quæ res vel ſola ſufficiat ſcopum huius Commentationis &, ab ea pendentem, communem iuventutis utilitatem, omnibus commendare. Quod ſi cæterarum perſonarum ingenia penitius conſiderare volueris, nil penitus omiſſum ſenties, quod ad mores in communi vita exprimendos faciat; multa etiam adeo divinè ficta, ut præſentes veros ipſos homines in conſilio habuiſſe auctorem dixeris. Celeſtina ipſa, quæ anima velut, & caput eſt univerſæ fabulæ, nullibi non cautior eſt omnibus, & illos ipſos, qui nihil aliud ſtudebant, quam deceptionibus vivere, egregiè decipit, Parmenonem & Sempronium puta, qui cum aſtutias anus etiam in ſeſe expetere velle ſentirent, vi rem deniq; egerunt, nullo alio genere tantis technis ablaturos quicquam ſeſe, videntes. Hæc ubi Calliſtoni colloquitur, ita ſermonem temperat, uti faſtui ejus nobilitatis, & libidini imperioſæ, in ipsâ ſubjectione animi, commoda omnia dicat. Talium enim hominum animis, generi, & opulentiæ confidentiũ, nihil non juſtum, nihil non ab aliis expediendum in ipſorum miniſterio videtur; adeo ut cum damnis cenſuũ ſuorum auctoritatem quærant mandatorum. Hic Calliſto, quamquam amore ardentiſsimus, etiam in ipſis ſervilibus blanditiis ſpiritus tales non omittit, quibus mirificè ſupparaſitari novit Celeſtina, ita ut hominem magis etiam, illo tali

Fastu, inflatum reddat, modo lucrum in ipsam rediens contemneret; quod sane in glorioso & amore decepto juvene non poterat non obtinere, modo moribus ejus obsecundare nosset. Eumdem cum Domino Ludum Ludũt etiam servi, sed in hoc incauti, quod maiorem astutiam Celestinæ, ad ipsos etiam decipiendos blandam, non agnoscunt, neque sentiunt, nisi nimium sero & damno suo. Ipsa verò, artifex Lena, quamquam toto opere nimium quam pulcrè personæ suæ indolem efferat, nullo tamen loco omnia sua artificia melius exercet, quam ubi cum Melibæa colloquium habet; Illîc videas, mulierem malarum artium doctissimam, omnis experientiæ suæ technas accersere, ut miseram, nobilitati, opibus, Amori Parentum, suo denique ipsius honore, & existimatione, in fædum Amorem, excutiat; Minimum sanè hic incantationes egerunt, quamquam & huius sceleris crimini anum veneficam illigarunt; quibus etiã demtis, vix quaquam puella cæteris talibus assultibus restiterit. Norat nimirum, tot annorum Lena, ex tempore omnia cõsilia, atq; ad animum cuiusvis puellæ expugnandum, ex re ipsa, vertere. Sic castam mira ambitione circumit, donec eloqui, quod cõmissum erat, & ad quod efficiendum spes amplioris, & preceptũ iã lucrum, urgebant, auderet: non quidem quod non omnia auderet, sed quod primò tũ eã alloqueretur, quæ tot virtutibus tota civitate erat cõmenda-

mendatissima, ipsa omnib. bonis suspectissima; scelerũ publicè notissimorũ cõscientia omnib. hominibus asseverabilis: Cũ verò iã primo assultu turbasset animũ Puellæ, ut etiãsi de internũcia, & negotiũ gerentis, infamib. scelerib. nullo modo dubitare posset, de re ipsa tamen aliqua dubitatione cõmoveretur, nec vel sic tamen quicquã concederet, ne verba quidem auditura deinceps tam suspectæ portatricis; ecce tota astutia sua in se coacta, ad rẽ sacrã subito, trivenefica, convolat, & nõ solũ humanæ fœmineæq;, sed & cælestis Pietatis inductione, sceleratissima anus, utitur ut vel paullũ modo scrupulã menti castissimæ iniiciat. Sic miseranda virgo cũ pro Virtute sua summa, Pudicitia nimirũ, loqui sibi videretur, aliã ẽt maiorem conculcare persuadetur, velut homini ægroto id negare cõtendat, quod maxima illius utilitate, nullo suo dãno, iubente Dei omnipotẽtis mãdato, facilimè gratificari posset. Hac ratione dubia reddita mente simplici, & quo castiore, eò clemẽtiore, & miserãtiore quãta deinde tolerantiâ, ẽt antehac instructã arcanissimis dolis, Patiẽtiã suã scelestã cõtinuat! tali quide astutia, ut ad extremũ, Puella, nõ solũ voto ipsius consentiat, sed ẽt iracundiã suã deprecetur. Hac ego fraude, ut lenæ impuræ subito incidẽti, nihil ingeniosius auctorẽ excogitare potuisse existimo, & hac una illa omnib. virtutib. suis puellã excussã, in barathrũ malæ libidinis, & Fortunæ nõ tã præcipitẽ ruit, quã

manu datâ, etiam orantem & obsecrantem, ducit. Non licet hic expendere tacitas obmurmurationes vocum, quibus venefica eò uti inducitur, ut videamus fingere illam tremorem & horrorem puellaris iracundiæ, quo etiam cauto Lectori imponere alioquin posset. Iam quanta moles erit verborum quibus enarrare debeas, cum Matre, puellæ, sermones, cum ancilla, cum ipsâ coram utrâque & mox alterâ tantum? Nihil contrà unius astutias omnis familia, in unico, eoque carissimo & in spem summarum opum educato pignore, potest & sapit: Longior ipso opere sit talis consideratio, & indicium secutus, ingeniosus Lector, facilè cætera cubilibus ipsis technarum latentia evestigabit. Si personam deinceps eãdem cum juvenibus servis, si cum meretricibus colloquentem expendes, ita omnia conciliantem videbis, ut Voluptate cuique expetitissimâ succurrat, eâ tamen ratione, ut ipsa directrix omnium sola lucro & emolumento fruatur. Illuduntur ita ab una omnes. Parmenonem Sempronio primum conciliat, ut suspicari neuter possit aliud quicquam illam, quã ipsorum commoda, quærere, cum sanè nihil magnoperè eius interesse videretur, amici illi an inimico invicem animo viverent. Atque hoc dolo furatur amborum animos; Sempronium amicæ quam ex diuturna consuetudine velut fastidiebat, miris artificiis reconciliat, uti etiam penè visum rivalem

non

non videat. ferat injurias scorti sui diobolaris, & animum simul exagitatione ejusdem suum pascat & satiet: Parmenonem autem longè formosiori & tali amicæ subito conciliat, eamque complexibus ejus, ipso negotio, & opere, immittit, cuius ille concubitu potiri penè desperabat; erat namq; formosissima Areusa, & admodum adolescens, quod ex Sosiæ sermonibus posteà datis, notum fit; ut & amaret illam impensissimè juvenis, &, cum florentissimam videret, complexum eius, inter summa vota, vix speraret. Hunc eo non ambitione anus, non donis, (quia usum eius præsentem habebat) non precibus, non alio quovis lenocinio ducit, ut clarissimè sibi liquere arbitraretur, materno ab ea animo diligi, quæ supremum gaudium tam insperanti offerret. Ita animum summa Voluptate à pertinaci domini sui cultu, observatione monitorum bonorum, & utilitate ipsius sua eo ducit, quo ductum volebat, quoque ille omnino duci nollet, & unde alios dehortatus fuisset. Sic perdit memoriam omnium anus istius scelerum: perdit etiã sui ipsius; cum inimico in gratiam redit, & omnia præsentia ex lubitu Celestinam gerere patitur, neque obstat, quin hero suo habeatur infidissimus. Sempronius quidem diutinis scelerosæ officiis, & abusu Eliciæ, tam inescatus erat, ut promissa de participando auro omnino rata futura crederet ei, quam ad decipiendum alium ipse

fraudum conscius, domum herilem introducebat. Pαrcam iam sermones excutere cum diversis meretricum animis, ut segnem ad scelerum doctrinam Eliciam instiget, dum simulatione Oblivionis illam ad succedendum curis suis hortatur. Summon. ingenio Anus introducitur eius memoriam amisisse, quæ aureo armili deposito medicinam deflorationi suæ ab eâ exspectabat. Ipsa Elicia tot jam annorum lenæ ministra, tot conscia scelerum, non sentit penitus quorsum simulationes ejus tendant. Quarum tamen scopũ omittit ad extremum vetula, quoniã satis sibi benè servientem alioquin habebat Eliciam, & ipsius damno reditura domum erat, anu defunctâ, negligentia. Desinã, uti dixi, cæteras personas per ingenia sua singulas diducere & excutere; habebit hoc exemplo Lector inquirere cætera, & dolis his perspectis talium hominum omnes oblationes, omnia officia, suspecta malignitatis cavere. Erunt ad hæc talia utilissimæ sententiæ subditæ quas nõ leget, non intelliget solum, qui fructum ex hoc scripto cõvenientem haurire voluerit, sed ita animo suo imprimet, ut nullam non ad omnia supervenientia in promtu habeat; videbit sese à quãplurimis instantib. detrimentis præmoneri. Quod si exemplo res ẽt clarior facienda erit, dicã, novisse me hominẽ astutissimũ, capitalem emolumentorũ suorum artificem, nequaquã ullis simulationibus decipi valentem, ipsũ

astutâ

astutâ quadam urbanitate & comitate, cum patientia & pertinaciâ coniuncta, nihil non ferè à quovis impetrantem. Huius ego, etiamnum adolescentibus annis, cum vitam impensè semper m. r.irer, observarem negotia, dissimularem noticiã, ad extremũ, multorum mensium usu & conversatione, eò inductus sum, ut cũ primis hominum perspicacem atque astutum, prudentemq; arbitrarer tũ, & nunc quoque putem. Non iam disputo utrum bene ille semper suo ingenio, & acumine sensuum, & Spirituũ vivacitate, usus fuerit, hoc potius affirmare velim, tã accuratâ cautione, omnes adversarios & amicos suos vicisse, ut & diligeretur, & caveretur ab omnibus; Nemo vero auderet ferè illi quippiam secus atq; res erat, credendum proponere. Diu multumque mores hominis observans, nihil nõ illũ huic libro tribuere, multa licet cura, tamdem percepi. Nullus in hoc apexerat, nulla sententiæ vestigia, quæ non in numerato haberet, & utilitati suæ accõmodare nosset; quæ cum mirificã homini sagacitatem & prudentiã conciliassent, hoc unũ illi nõ cesserant, ut ab commodis, seu lucris potius, suis, aliorum incommoda desecare posset; quin etiam, cum detrimentis nonnumquam amicorum, rem suam augere velle videretur. Hoc demto cætera ingeniosissimum nemo non dixisset. Neque diffitebatur sanè ipse, cum alioquin mihi innotuisse videret, maximã partem sese huic

libro

libro prudentiæ debere; certè cum vellet, nulli non rei, nulli non locò sententiam hinc accommodatam reipsa ostendebat, vel cavendi vel aggrediendi negotii consilium utile præbere. Itaque qui considerationi ipsi à nobis propositæ, ipsi operis seriei, nolit credere, quantum in sese utilitatis habeat; eccum etiã exemplum cujus auctoritatem subterfugeret minimè valebit. His enarratis nemo jam non perspiciet, puto, quæ me caussæ adegerint ut primo loco Celestinam hanc de Castillano theatro in Latinum traducerem. Edidi quidem paullo ante hunc Ludũ Dialogum Petri Aretini, ex Hispanicô Fernandi Xuaresii, à me translatum, sed is libellus ita planè conversus est in Romanum sermonem, ut denuò eũ traducere velim potius, quam eo modo legi; Id quod etiam proximo otio facessere decrevi; quoniam rudior adhuc tum eram Linguæ deliciarum potius Latinitati quam hujus proprietati studens, quod nonnumquam tamen aliter faciendum, res ipsa me edocuit. Ad hujus autem Celestinæ meæ interpretationem nescio quo fato meo raptus fui, tanta certè celeritate totum descripsi, ut nec integris duabus dierum hebdomadis integram absolverim. Est mos quidem iste hominum plerorumque qui aliquô suprà vulgum ingenio sunt, excusare Opera sua precipitatione; Ego vero tantum abest ut excusandi mei hæc scribam, ut ultrò in ea re laudem mihi vindicem.

Nescio

Nescio quo pacto enim animus promtior instat negotio in perenui talium decursu, quam ubi sæpius raptus quidam scribendi, interiungitur. Secundius ita omnia profluunt, sententiæ alia aliæ cohæret aptius, ipsæ formulæ atque locutiones plus vivacitatis habent, & amplius de usu communi participant. Dum enim hanc aliamve personam loquentem transfero, subit properanti animo promtitudo responsi, quod alteram, isti oppositam, deceat: sic in rem præsentem Calor & Felicitas Genii mentem rapiũt, ut dexteritate quadam auctoris ipsum Genium exprimat, à quo longißimè remotum est quicquid solo Labore scribitur; Namque in talibus mens, ipsa Voluptate scribendi velut imprægnata, parit vivacia verba, resque ipsas mirifica quadam felicitate, ut dictum, assequentia, & exprimentia, ut non inepte, ingeniosißimus scriptor, Martialis, hac ratione victuro libro Genio quodam opus esse sanxerit. Vana, ædepol, & meri laboris res est verba verbis traducere, sensum sensui ad eorum apices admetiri, & frigido animo talium descriptionibus defungi; quod quilibet, modo Linguarum gnarus, adsequetur: At intus, plena mente conceptas, formare & effundere sententias, calami celeritate nequaquam urgentis eius dexteritatem sequi posse, divinius negotiũ est, quã quod multis contingat: Huic si mediocris quædam industria, & pertinacia velut,

accesse-

accesserit, tanta copia scriptionum oritur, quanta paucos ex omni antiquitate posteris nobis commendare potuit; quantamq; nos ipsi nō adfectamus quidem, tamen fortasse aliquando nostræ posteritatis favoribus probaverimus. Absunt hinc longe meri, ut indicavi, Labores constipatorum, qui ærumnosissimis commentationibus chartas effarciunt; Absunt etiam alii, quorum ingenia vel leviora vel imbecilliora sunt, quam ut calorem illum cælestem, urgentem meditata præscribere, diutius ferre possint. Horum pars, quamprimum cælestis ille fervor incubuerit, tamdiu durant, donec animā omnem is occupaverit, postquam vera dominantem in penetralibus sentiunt, paulisper ferentes, vix præambulationibus eius sufficiunt, dum verò ipsi spirituum nervi incitantur, pertæsi Operum exantlatorū, sese proripiunt; quorū sanè periculosissima est ignavia: melius omnino enim considit, ardor ille, quam interrumpitur, & plerumque, ubi invitus excutitur, turbandæ mentis semina relinquit. Pars vero cætera avertit eumdem afflatum in nugas, & Voluptati illum tradit, non prospiciens utilitatem publicā mortalium in istis etiam scriptionib. s attendendā, uti Antiquorum Procerum Chori sanxerunt, & exemplis docuerunt. Nec est quod excuset sese ab hac procuranda, quicunque etiam mortalium, qui quidem litterati nomen non abhorret: etsi enim Bona

Mentis

Mentis studia paucos Amatores habeant, horum tamen pretium tale est, tanta auctoritas, ut nequaquam unus indignus sit contrà mille alios coronari. Sed nimirum, ingenia illa cultiora, nimium deliciosè suis solis commodis studere volunt, itaque omnem omnino industriam, & perseverantiam odiosis Laborum nominibus infamatas, seponunt; quod articuli unius raptu non possunt exigere, indignum putant in quo sudent: Quæ res tamen omninino aliter æstimanda est: non enim quicquam felicitatis in eo ingenio est, quod bonis suis uti sese non permittit, nec studio totum se sibi suo largiri atque approbare potest: numquā tale aliquod quid valeat ipsum, resciet, quoniam periculum nullum umquam fecit, quorsum acumine suo quamq; fruge bona niti possit. Atque errorem hunc, volatilium talium Nugivendorū, facilè opera quoque ipsorū arguunt, quæ nisi toto ante decennio iactata, numquā procudunt, aut abortiuntur potius: Ubi vero produxerint tamdem, talia exhibent, quæ mirificam animorum levitatem ultro præ se ferant: Nihil enim tam certū habent, quod ipsimet evertere non velint, modo in pluriū ora scripta talia eorū pervenire possint, qualia laudant quidem omnes, omnes tamen etiā simul contemnunt, quoniā nihil, præter inconstante Fastū in iis agnoscere possunt, talib. verbis exornatū, talibus aliorū cōmendationib. emēdicatis partim, partim

tim imperio quodam exactis, instructum, ut facile quis imprudentior earum bullarum gratia vadimonium deserat, reapscantem rerum ipsarum ordo nec centonibus bonis dignus sit, neque umquã cicum Plauto suum abstulerit. Verum nos alieno loco hæc tractamus, qui ut aliquam saltim speciem huius libri vritutum spectandam exhiberemus hactenus hæc scripsimus, Nunc Usus erit benivolo Lectori etiam de Translatione ipsa nostra nonnihil obloqui, ut quantum operæ pretii in ea fecisse arbitremur, scire ex nobis possit potius, quam conjecturis aliunde aucupetur, Hoc itaque solum hac interpretatione nostra egimus ut sententiam auctoris liquido & Latine exprimeremus, cui etiam pressissime adhæsimus, vix toto opere decem locis reperiundis, quæ studio delectationis ampliora fecerimus. Aliis omnibus tam clare intelligendum proponere nisi sumus, quod transferebamus, quam perspicue neque ipse Hispanismus fere extulerit: quæ stili facies hodie paucissimis usu frequentatur, adfectatiunculis, aculeis, & rythmicis verborum allusiunculis, omnib. omnes paginas explentib. & in iis, stultissima persuasione, eruditionẽ iactantibus Horũ κακοζηλία ut nobis semper displicuit, ita ab hoc, aliisque talibus nostris commentationibus, longissime semper propulsa est. Non enim id principe cura studendum

est

est scriptori, cujuscunque etiam generis uti ipse laudetur, eruditionis, (quæ tamen alibi quam in turpiculis illis allusionibus quærenda est) gloriâ commendetur, aut se magnum faciat; sed uti res tractatæ quam suavissimè, atque efficacissime, legentium animis inferantur. Hoc scopô scriptionis, additâ communi aliqua, vel hominum omniũ, vel præcipuorum, utilitate, lectione augendâ, qui ceciderit, nequaquam mihi nomen dignitatemque alicujus Auctoris abstulerit. Ad hæc autem nullâ virtute scribendi pervenire quis commodius poterit, quam perspicuitate gratiosa. Perspicuitas stili in verbis & locutionibus minimè intricatis, aut obvolutis, aut obsoletis consistit: Gratia in earumdem proprietate, Elegantia, cultu & nitore. Hanc natura plerumque assiduitate studiorum Eruditionem sibi concilians, adfert, & largitur scriptoribus: illa omnibus modis quærenda est, siquidem non in manibus ineptorum hominum consenescere malis, quam pluteis doctorum & Laudibus cordatorũ commendari in vigorem perpetuum. Gratia jam scriptionis cum in talibus, quæ quidem aliunde transferuntur, nequaquam semper obtineri possit, bonam partem in iisdem cesserit Perspicuitati, quoniam Vtilitas huius insignior est, cum scripta ipsa nõ solum eruditorũ cõmodis & Voluptati, sed omnium omnino hominum cautioni & profectui perscribantur. Nos uti istam

semper sectati sumus, ita paucis etiam locis neglximus illam, modo ullâ ratione Idiomatis Hispani popularitas, tale quid admitteret. Negari enim minimè debet, neque potest, multa in hoc libello quoque esse, quæ nulla opis ingenii talia Latinis sonare effecerit, qualibus in suo idiomate omnibus probantur. Huc refero præcipuè proverbia, quibus ex reb. præsentibus, ex vitâ communi, ex particularibus Casibus, ex Relligionis mysteriis, ex amoris Euentibus, ex Belliciis fortuniis, ex Philosophorum scitis, ex Nationum irrisionibus, Ex Vitiorum Vituperiis, ex Virtutum commendationibus, Ex fabularum allusionibus, ex Legum sanctionibus, Ex publicis statutis, ex privatis privilegiis, ex omni denique re & Fortunâ Humanitatis petitis talibus utitur eâq; gratiâ, eo acumine, Hispanismus hodiernus, uti qui ad Romanos aut Græcos mores ea detorta exponere, aut aliis inde traductis, vertere velit, nullo modo quicquam expediverit; quia longè melius, nervosius, & intellectui pronius, sanent in suo Idiomate. Neque hoc sanè mirum est, cum quantacunq; Græcorum & Romanorum morum cum sermone ipso, cognatio & affinitas mutua fuerit, nequaquam tamen commodè alterius dicteria umquam acceperit altera, etiamsi uno eodemq; seculo florentes, linguæ. At inter Romanorum scriptorum florem, & Hispanismum hodiernum, tanta morum, rituum,

Tem-

Temporumque, intervalla sunt, ut quamvis vocabula sint Latina hujus pleraque, alia tamen longè eorum sit usurpatio: Mores autem ritusq;, tam sacri quam profani, tam Publici quam privati, consuetudines, popularitates, (si ita dicere licet, quod alioquin vix, ut intelligi valeat, eloquar) studia omnia, Opificia, Artificia, Ceremoniæ, tantopere ab Latinorum temporum usu recesserunt, ut fere nulla sit cognatio, nulla uspiam similitudo. Quare quicquid tale in hâc Commentatione mihi sese obtulit; vel prorsus, ubi commode potuit, præterii, vel indicavi aliis verbis, quorsum eius intentio figeretur: Verba autem verbis interpretari, aut Lamiæ Turres, Pectinesque solis inde è Buttubatta Nævii accersere, nequaquam mihi consilium fuit: neq; talibus quicquam aliud effecissem, quam mihi immane, meritumque Ludibrium. Itaq; qui talia discere volet, per me libros eorum adierit, qui dedita opera enarravit, atque inde sibi nomen famamque concinnare satagunt, nobis alius omnino, scribendi ista, finis fuit. Cæteras Linguæ virtutes exprimere, Erudita dicta, eruditius cæteris reddere, festiva festivius, lepida concinnius, arguta acutius, studuimus, tali quidem industria, ut nequaquam commode de ea iudicare posse censeamus quempiam, nisi qui ipse tale quid in hoc ipso opere molitus fuerit. Hic enim demum perspicit

quanta circumspectione opus sit, ad omnia momenta attendenda, omnia sensuum arcana eruenda & exprimenda, ne mapalia ex ornatis talibus ædibus faceremus, & interpretatio loqueretur aliud, aliud auctor voluerit. Et in hac quidem parte etiam ingens Heroicæ huius Linguæ privilegium est velut, ut non dubitem dicere ita omnibus modis Eloquētiam omnem illam capere, ut non videam quo pacto quæpiam alia illi præferre poßit, Hoc præ cæteris sibi egregium habens, quod omnia Græca & Latina Arabica etiam, & Hebraica, vocabula, nulla difficultate sua facere poßit: idem quidem Gallis Italisque hodiernis, suavitas & acrimonia suorum Idiomatum concedit quoque, sed Hispanismus longè utroque illo Romanæ linguæ, verbis & gravitate, propinquior est; etiam quo ad numeros, tam syllabarum quam Orationis. De Oratione quidem nemini dubium esse poterit, tam numerose eam, quācunque etiam, Hispanicè sonaturam, quam umquā Græcè aut Latinè quiverit, qui aliquam saltim eius penitiorem notitiam habuerit. De Syllabis autem, quibus peculiares suos modulos Poesis adscribit, clara res nobis est; qui primi, quantum nobis innotuerit scriptorum, metris veterum aptare huius Linguæ Poeticam ausi sumus, ut exemplis, licet de industria brevioribus, in Notis demonstravimus, Habet insignem alioquin gratiam suam in Rythmis,

quibus

quibus omnium aliarum eruditionẽ includere novit, sed neque forte hæc talia spreveris, modo usus & exercitatio faciliora omnia fecerit, quæ quidem, quique, dominantur in omnibus studiis, nullam autem non Linguam, qua homines umquam locuti sunt aut scripserunt, aliqua Poeseos dulcedine imbuerunt, licet adeo divina ea facultas, vulgaris facta credatur, ut hodiè vilißimi fere ubique fiat, uti omnia solent, quorum notitiam plurimi adfectant, paucißimi verò indipisci pauciores etiam legitimè uti, impetrant, Quæ cum ita sint, neque nemo omnium de ligata oratione non sequius nunc judicet difficultatem aliis, aliis operositatem, nonnullis ineptias, & planè deliria, incusantibus, hoc etiam scriptor noster prudentißimè fecit, quod non adstricto numeris, sed libero sermone, hunc Ludum deluserit, contra quidem Antiquitatis & sanctiones & Usum ipsum omnium temporum. Cum enim familiaris maxime sermonis regula hic sequenda foret, ut personarum loquentium mores & astutiæ exprimerentur, solitis eorum loquelis & nugacitatibus, nequaquam vel illa difficultas his inducenda erat, quã metrorum leges afferũt. Eodem consilio Comici etiam Latini ad fabulas suas eo genere metrorum describendas venerunt, cui quidlibet fere congruum intrudi posset, unis aut duabus modo syllabis libertati exemtis, ne plane oratio solveretur, cõtra Græ-

eorum quidem & morem & præcepta. Nostro qui-
dem scripto isti quacunque etiam vinctione sylla-
barum immanè præiudicium præstantiæ illatum
fuisset; adeoque ipsum, communi usui velut invi-
sum, traditum in manus paucorum hominum. Ne-
que vero opus est, ad talia in ora usumque profe-
renda, veteribus ceremoniis, aut theatralibus pom-
pis chorisve, multo minus histrionum desultatio-
nibus, itaque metrorum quoque leges bonâ iure eru-
ditis & Latinis auribus tantum relictæ sunt; hic
vero ludus nulli Theatro affixus erit, nec diludiis
factus unius aut alterius Reipublicæ, Civitatisve,
Sed generatim totum orbem Christianum ad Le-
ctionem vocat, & velut spectaculum. Hæ enim sunt
artes, quæ hic cavendæ depinguntur, quibus in
Christi Ecclesiam, in Proceres, in populum denique
ipsum, per muliebres dolos nihil non scelerum An-
tiquus hostis intulit, cuius arma cum ultimis his re-
rum humanarum temporibus, longe crudiora &
diriora perbacchentur, ea parte qua Libidinibus
avertunt Venereis à Pietate pectora, his potißimum
machinis furere videntur: principali quidem stu-
dio, Dei primum Amorem, & Relligionis certitu-
dinem hanc in dubium vocantia, illam plane ex-
cutientia animis hominum in diem viventium,
uti securi poenarum, & Providentiæ Divinæ fi-
dem insuper habentes, scelera omnia pro Ludis &

ſeculorum conſuetudine habeant; unde vitiis cæteris feneſtræ aperiuntur ampliſſimæ, & nihil non Voluptatum iis quæritur, quæ ſuperna omnia ad ipſos nihil facere perſuaſerũt ſibi; ſed, corpori ſoli ſervientes, pro ludibriis monitiones piorũ eruditorũq; mortalium habent. Talis univerſus grex eſt huius eximii Poematis, quod non in numerorum deliciis, & alluſionum dogmate conſiſtit, ſed figmentis ex media re petitis, exemplis vitam inſtruit. Sic Caliſto Deum contemtui habet, Chriſtianam Pietatẽ pro fabula, modo Melibæam ſuam propitiam demereatur. Melibæa non prius Amori, ejus inpuro conſentit, quam Parentum monita, perque ea Deum ipſum, proiecerit : Et ſoli anui, quam qualis eſſet non poterat ignorare colloquitur, & reditum imperat ei, & mentitur matri, & Ancillam monitricem inſuper ſpernit, denique libidini ex Impietate ianuam aperit. Celeſtina non ſolum conculcat Religionem, cultamque Numinis, ſed &, pro longa ſua adſuetudine, Diabolum ipſum adorat, adiurat, eius miniſterio, inſtar diræ avis, columbam ſimplicem reti libidinis induit. Parmeno & Sempronius, cum cæteris univerſis, eiusdem cenſus ſunt ; PLeberius quomodo vixerit, facile ſuo ipſe ultimo ſermone, poſt fatum unicæ filiæ, demonſtrat. Neque hæc talia quiſquam privatis modo exemplis de-

ſcribi arbitretur; cum his temporibus quo major ſit potentia Proceris alicuius, eo ferè Aula eius aut contubernium maioribus & denſionibus vitiis differatur; uti, quocunque ſtatu, quacunque regione, & conditione quis vitam degat, ubi famulorum aut mulierum miniſteriis opus eſt, ſine quibus, nulla tã minuta, & contracta familia, aut domus eſt, ut ſuſtineri valeat, habeat, quod hinc petitum, cautioni ſibi atque conſilio diſcat atque adſumat. Porro, ut ad interpretationem meam redeam, cui operis commẽdatio ſemper intercurrit, ſtudui , uti dictum eſt quam planiſſimè omnia exſcribere Auctoris menti & verbis; nec tamen ita his hæſi, ut ullo modo illi præiudicare ea paterer; quod qui faciunt nequaquã tam lectorum emolumenti, aut inſtructionis, ſtudioſi ſunt, quam captant laudem inanis diligentiæ, quam nemo æſtimet, nemo imitetur, immo vix milleſimus quiſque agnoſcat, cum pro vano & ridiculo Labore plerique omnes habeant, ubi quid dicatur, indicandum ſit, mendico ingenio numeros verborum admetiri, & idoneam ſententiam non exprimere, niſi prius conſtricta ſit ſub fatuos verborum modos; quibus qui ſeſe ſubdit, neque ſibi neque cuipiam lecturorum ſatisfaciet, quin cum ſermo ſit lectus, ſententia tamen adhuc quæratur, & extra periodorum iuncturas tædioſas, vix bene inveniatur. Iſtud deiis dictum atque pronuntiatum, volo,

qua

quæ ſententiam liberam interpreti relinquunt; ſunt tamen & alia in Idiotiſmo iſto, ut aliis omnibus, Verba, quæ nulla ratione poſſis traducere talibus, ut Latino lectori commodum videbitur; Itaque cum illa talia rem præſentem clare uniceque indicent, neque ſine his illa poſſit proponi, vel ambagibus conquiſitis, videbar mihi conſultiſſimum factum facturus, ſi ea, licet Latina minus, aut aliter, aliudque, in ea lingua, unde profecta, licet in alios ſenſus, habentur ſignificantia, tamen pro talibus uſurparem, quoniam ſola illa rem indicare poſſunt. Talis eſt Iuſtitia pro Officio Prætoris, Iudicis, Præfecti, Magiſtri Civitatis; quæ vox cum in Galliciſmo, italiſmo, & Hiſpaniſmo, hoc, immò & ſupremã ſcelerum omniũ Vindicationẽ, ſimul cũ ipſis officialibus eius, adeoque Carnifice quoque, deſignet, non poterit ullo ingenio Latinitati talis repræſentari, niſi ita ipſa capiatur ut Idiomata illa conſenſu ſanxerunt. Merito itaque illam iſto ſuo iure, etiã Romanè ſcripturus, uti ſivi, non iam pro Magiſtris Sermonis rem decidens, ſed pro Vſu & experientia; quæ, modo ſit citrà Barbariem, merito uti in artibus ſic etiam in Linguis dominantur. Sic alia, communi tot Populorum conſenſu obtinentia, ineptè veteribus Romanis moribus conciliare ſtuduiſſem, quod facere ſolent homines elumbi ingenio, & ſiniſtri ſtudiorum, qui Ciceroniani vocari volunt, dum ſoli

 illius

illius umbræ addicti, nihil scribere aut dicere volunt, etiam popularibus monumentis, quod non sit illi ævo appositum, cuius tenuis memoria apud doctos etiam superest. Ita cum Dominos sese invicem consalutant Ludi nostri personæ, ego idem Latinè illis permisi, non ignarus ut cessavit servitus, cum omnibus suis miseriis, Romana, ita nunc quoque Herum & Dominum alia omnia indicare; Sic campanam quo alio nomine dixero, quam quo recepta est, & quo omnes simul intelligunt quid velim? Hujus generis sunt quæ Christianismo etiam nostro oriunda, nequaquam ad Paganorum temporum usum redigenda sunt, quæ confidentius admisi, quia egregios Antistites Fidei nostræ, scriptores eloquentissimos & doctissimos, illis usos memineram. Alia nonnulla quæ vel mores læsura, vel alioqui sermonem immani barbarie conspurcatura erant, bono consilio, puto, transii, & seposui prorsus; quod nescio tamen an amplius semel aut bis fecerim; debui quidem omnino eo loco quo Veneficiorum & Pigmentorum Celestinæ species, atque instrumenta, recensentur; quæ quamvis forte vera illa non sint, tamen melius ignorari, quantum in me fuerit, arbitrer. Alia res incantationum ejusdem est; illa enim Poëticæ tantum sunt, ubi Cacodæmonem licio suo anus illigat, & ubique nomina illa, etiam apud Christianissimos Poetas, aliosq; scriptores, vulgo le-

go leguntur. Superest nunc ut Iuventutem inprimis nostram, deinde quosvis alios Lectores, hujus Operis nostri, admoneam, si quibus abuti ex eius serie poterunt, ea seponant, animo constanti in virtutum verarum cultu, Vsumque ejus considerent, & velut sub omni lapide dormientem scorpium, vitare discant, quoties in colloquium suspectarum mulierum venient. Præcipue autem Germanicæ Iuventuti hunc librum consecratum volo, quæ optimis suis annis peregre proficiscitur, ut Linguas exteras moresque, quantum quidem eorum usus poscit, in ipsorum territoriis exterorum addiscant; caveant ab hoc genere insidiantium, tam mulierum; quam servitiorum, neque ullius blanditias animo suo admittat quisquam, quacunque etiam ratione prolatas, quamcunque auctoritatem mentientes; adeoque quotquot vetulas viderint, hactenus æstimare earum ministeria velint, ut meras Cælestinas arbitrentur, quotquot servos, Parmenonas, atque Sempronios, qui nihil tantopere quærant quã argento illos, quacunque ratione, dolis, machinis, periuriis, circumvenire, quotquot adulescentulas abblandientes, norint esse omnes Elicias, atque Areusas, meretrices & lenas, quarum conscientiis parum negotii faciat, etiam sanguine ipsorum sibi aliquid peculii conficere. Sic tenebunt scopum au-

ctoris

ctoris Hispani, meumque, Germani interpretis, qui istum librum supra plerosq; cæteros commendabilem fecit genti illi, cuius sermone conceptus est, ille etiam eius studiis eumdem probet, cujus gratia trãslatus, ab omnibus, in commune bonum, legi potest, & velut consiliarius perpetuus adhiberi juventuti, ad fraudes tales parum semper cautæ. Sic animus mihi addetur proferendi infinita alia ex Italorum, Gallorum, Hispanorũ, Anglorum, Græcorum, Latinorum, Germanorumque thesauris, quibus junctam cum Voluptate egregia Vtilitatem, liberalia ingenia, hauriant. Huic rei studens iam Pornodidascalum meum emisi, quo Dialogo meretricum arcanæ fraudes cavendæ proponuntur, quem tamen proximo otio ad Italicum exemplar, modo eius copia mihi detur, componam; quæque inde tolerabilia decisa sunt, addam; ipsumq; penitus recensebo, quoniã novi, ut primus est fætus meus Hispanismo oriundorum, multa me nullo negotio nunc melius & clarius exponere posse. Descripsi eodem hoc consilio amœnissimum & elegantissimum Gasperis Gilli librum, de Amoribus Dianæ & Sireni, cum Marcelionis & Alcidæ intextis, aliisque aliorum, quem & forte cum ista Celestina mea, librario tradam; quo nihil cogitari suavius arbitror posse, & utilius, quippe ubi simplicitas Vitæ, Fortunæ Varietas, Honestorum Amorum successus optati, Fides erga cõiuges

iuges etiam iniuriosos, cum aliis his accedentibus, tanta dulcedine carminum & Solutæ Orationis explicantur, ut facile quis Turbas & Tumultus Ambitionis humanæ, questus de rerum mortalium inconstantia, Libidinum obsequium, & vitiorum aliorum imperiosos assultus, exemplis tam blandis & commendabilibus inductus, spernere, mentemque ad veram Virtutem sine omni acerbitate vivendi, componere possit. Non alia itidem ratione paris Genii opus, Georgii de Monte-Maiore, Pastoralia, translata sunt proximus his diebus. Eâdem inductus insignia Milesiarum, plus quam Triginta, Volumina ex omnium Idiomatum Selectis fabulis, & Historiis, summa, qua fieri potuit sermonis æquabilitate & hilaritate, composui, ut discant animi generosorum hominum fœda desideria infelicibus damnari exitiis, Virtutum vero studia in ipsis sese non solum Vtilitatem, sed & Voluptatem honestissimam reperire posse, neque felicitatem deesse cultoribus morum bonorum, neque austeritate vitam horrentem facere, id esse, bene præ cæteris vivere. Esse in Vrbanitate, Civilitate, & Lepôre morum eam suavitatem, quæ animos veræ Virtuti addicat, addictos ad veros eiusdem fructus perducat, neque opus esse cum, corda sua rodentibus, Sophistis in sepulcreta habitatum discedere, aut de libris Numina facere, multo minus circa apices, futilium litte-

ratorum

ratorum exemplo, digladiari, ut celebri quis nomine inter cordatos floreat. Quæ singula atq; universa indicari mihi, cum infinitis aliis eiusdem generis, voluisse videntur, qui Milesiarum in talium titulis libros ante nos proscripserunt; non tam ut suavitate sermonum aures permulcerent, quam ut Exemplis, monitis, instructionibus, eloquentiæ hilaritate, velut coram, ob oculos positis, demonstrarent, quid sequendum in vitâ, quid cavendum foret. Horum ego vestigia insistens nequaquam pœnitendum opus effecisse me arbitrabor, ubi eas meas Narrationes in publicum produxero, cum seculum hoc nostrum nullis æque egere videatur, quam iis admonitionibus, quæ & exemplis præsentibus constent, & tali genere dictionis expingantur, ut minime morosos vel facere, vel invenire, lectores velint, In antecessum itaque maiorum illorum Operum, Iuventus nostra, Celestinam hanc meam capiat: quã ubi cum omnibus artificiis suis, ipsorumque ejus ministrorũ, edidicerit, usuque exinde prudentior facta fuerit, videbit atque testabitur nequaquam nanis nos, aut circa apices litterarum hærentibus, curis occupata studia nostra habere. Quæ opinio cũ à nonnullis concepta de nobis sit augebitur, puto, ubi in manus eorum venerint Poemata nonnulla mea & Adversariorum grande Opus quæ nunc sub prælis habent Typographi: Ego autem ab hac pagina eos

monitos

monitos oratosque volo, securi sint pro me sollicitudinum; neque enim scopus omnium mearum Scriptionum alius erit, quam quali optime me dies meos collocaturum confido, licet initia & processus earũ non omnibus omnia enarraverint, testem ego tamen in pectore hoc egregium mihi servo, qui ad suam Gloriam, & humanarum rerum Utilitatem me natum & hactenus conservatum testimonium mihi tam luculentum dicit, tamque efficacibus me ad ulteriora stimulis instigat, ut omnibus rerum caducarum thesauris mutare nolim, paullum hoc ingenii, atque industriæ, quod Ecclesiæ & Vitæ humanæ, non ego, sed per me & in me Numen propitium devovit. Cum istius bono favore hoc labore modo defunctus, mentem & calamum indefessus ad alia transfero.



C. BARTHI.

PORNOBOSCODIDASCALUS LATINUS.

Prologus.

VNIUERSA quæ in rerũ Natura ſunt creata eſſe velut ad contentionem & prælia ſcitum eſt magni illius Heracliti: *Omnia*, inquit, *ſecundum litem fiunt.* Sententia, quantum ego judicare valeo, digna perpetua memoria. Et quemadmodum certum eſt quamlibet vocẽ hominis cordati eſſe fœtã aliquo, quod intelligatur potius quã dicatur, ſic de iſta aſſeri poterit, quod nimia alvi diſtẽſione tumeat, velitque conceptu ſuo velut rumpi, ut ex illa prognaſcantur ſcilicet rami fruticeſq; non parvi, de quorum quarumque etiam minimo termite hominis ſani judicii fructum decerpere valeant utiliſſimum. Quapropter quamvis ſenſus mei, nõ admodum ſubtiles, ingeniumque, valde omnino mediocre, nõ ſufficiant enucleare & exigere dicta nobiliſſimorum auctorum, quorumque *ſententiæ pro teſtimoniis* habentur, ab omni-

àb omnibus, Eo usque tamen rimabor dictum tam eruditum, ut sufficiens inde materia brevi huic prȩfationi subnascatur. Invenitur vero sententia hæc confirmata ab insigni Oratore & Poeta *Francisco Petrarcha*, dicente: *Sine lite atque offensione nil genuit natura parens*. Et paullo infra. *Sic est enim & sic propemodum universa testantur, rapido stellæ obviant firmamento, contraria invicem elementa confligunt, terræ tremunt, maria fluctuant, aer quatitur, crepant flammæ, bellum immortale tanti gerunt, tempora temporibus concertant, secum singula, nobiscum omnia.* Si Hactenus Petrarcha. Æstatem si videmus, nimio calore nos fatigat. Hyemem, intolerabili frigore nos contristat: Omne istud quod revolutionem temporum vocamus. Omne istud quo vivimus, in quocumque, quo creamur, sustinemur, nutrimur, ubi incipit modum excedere & velut cornua nobis obvertere, nihil est quam bellum unum perpetuum. Universum hoc ipsum quo timore nobis metuendum sit Declarat manifeste horrendis terrȩmotibus, infestis tempestatibus, naufragiis, incendiisque tam cælestibus quam terrenis, aquarum illuvionibus, imbribus, tonitribusque immanissimis, strictis fulgetrorum flãmis, Cursibus recursibusque nubium & infinitis aliis monstris atque tumultibus, quorum caussas originesque non minus incertis disputationibus differunt Scholæ Philosophorum, quam ipsi sunt fluctus quibus maritimæ tempestates creditas ventis naves jactare consueverunt. Iam si animalium genera inspiciamus, ne unicum quidem inter omnia sese nobis offeret naturali suo duello carens. Pisces, feræ, aves, reptilia, singulæ quæque harum species persequuntur cæteras. Leo lupum infestat, Lupus capram, Canis lepo-

nis leporem. Quod si non omnibus notissimam fabulam detexere videri possem, minutatim quæque persequi liceret. *Elefas* animal tantarum virium animique, tremit fugitque aspectum *muris*, eminusque audiens vocem ejus, metu prorsus horrescit. In serpétino genere *Basiliscum* natura tam venenatum creat, tamque omnibus aliis animantibus infestum, ut anhelitu suo ea tremefaciat, adventu in fugam vertat, aspectu vero interficiat. Vipera Serpentis genus virosissimum tempore conceptus sui fæmina marem per os admittit, cujus caput gutturi suo immissum, voluptate coitus percepta, præmordet, cumque ipsa jam vicina est partui, primus fætuum perrumpit viscera materna, quem secuti ceteri velut vindices paterni interitus non prius in vitam veniunt quam matrem nascendo peremerint. Quod maius discidium, quæ maior dissensio, aut hostilitas, quam in tuo generare corpore, qui tua tibi viscera exedat & perrumpat? Non minores naturalis inimicitiæ aculeos credimus esse in generibus piscium cum certum sit tantas totque diversas species eorum in mari versari, *quot quantæque nec in aëre* nec in terra inveniantur. Aristoteles & Plinius mirabilia narrant de minuto quodam pisce, cui vocabulum Echeneis, ut natura ejus diversis inimicitiis propritim sit aptata. Inter quas naturalis ei hæc facultas est, sive minuta sive magna navis prope vecta fuerit, ita ab hoc pisce detinetur ut nullo modo produci possit quocunque etiam vento impulsa, aut quacumque remorum vi acta, cuius quidem meminit & *Lucanus* Poeta, ubi ait.

Non puppim retinens Euro tendente rudenteis,
In mediis Echeneis aquis.

O naturalem contentionem, dignam admiratione, valentiorem esse minutum piscem armatâ remis, velisque vento inflata nave maximâ. Porro si decurrere liberat per omnes avium species minutasque earumdem controversias, facile sit indidem concludere nihil non naturam ad Contentionis Regulam cōdidisse. Pleræque harum rapto vivunt, non secus ac Leones, Aquilæ, Accipitres, milvorum diversæ species in ipsis humanis habitaculis prædam de domestica nostra corte quærunt, pullosque gallinarū sub ipsis matrum alis ad rapinam infestant. Narratur de Indię Orientalis ave *Ruch* nomine, magnitudinis eam inauditæ esse, tantique roboris ut non solum unum, duosve, aut decem ipsos homines, sed integram navem cum omnibus vectoribus, oneribus & armamētis suis humo marive tollere, & ultra nubium confinia in cælum usque efferre possit, quodque miseri navigantes ita in sublime elati & præcipitati deorsum sæpe misertime pereant. Sed quid non dicamus de hominibus, quibus omnia supra memorata subdita atque subiecta sunt? Quis enarrabit horum bella, inimicitias, invidias, alterationes, motiones animorum, & inquietudines? Illorum variationes in vestitibus, *ædificiorum structiones*, & demolitiones, plurimosque actus alios innumeros quæ miseram labilemque cōditionem præsentis vitæ differunt & alternant? Verū cum quærella hac & vetustissima sit & plurimis scriptoribus exagitata, nolo mirari si & hæc nostra commentatio nonnihil contentionis & dissensionis lectoribus invexerit, alternantib. videlicet horum sententiis, iudiciisque dissidentibus quo loco eam haberi oporteat, dum quisque secundum captum & præ-

sumtio-

ſumtionem ſuam quid de ea cenſendum ſit, cæterorum opinionibus præponit. Sunt qui prolixitatem in ea vituperant, ſunt qui brevitatem. Aliis ſic ſatis apta, placere poſſe, aliis repræhendenda in eadem videtur obſcuritas, Tali quidem differitate ſententiarum, ut univerſorum ſenſui aptare habilemque cunctis proponere, nullius ſit niſi ſolius Dei, cum ſub eodem vexillo militet etiam opuſculum hoc noſtrum, cui cæterę omnes in univerſo rerum ordine creaturæ ſunt ſubjectæ, nec excepta vita ipſa generis humani, videlicet omnia â primis uſque cunabulis ad ultimã uſque canitiem ipſamque adeo ſepulturam perpetuæ concertationi eſſe ſubjecta. Infantes cum ludicris ſuis crepundiis, pueri cum litteris, Iuvenes cum voluptatibus, *Senes cum mille infirmitatum* morborumque generibus depugnant, ſic chartæ iſtæ noſtrę cum omni ætate mortalium bellum gerunt. Prima enim diſcindit eas & diſcerpit: Secunda pugnat ut litteras aptè legere poſſit; Tertia quæ eſt *luxurians & animoſa adoleſcentia* cum juventute, variat ſuper ſententia ferunda. Pars enim oſſa rodit, hoc eſt *ordinem totius tractationis infamat* non intelligens uſum ſingularum particularum, tamquam ſi anilis ſit fabula *ad Hybernum ignem* fallendi temporis gratia recitanda. Pars ſententias laudabiles *locosque communes* delectationis gratia commendant, oblitterantes nec attendentes ſcopũ ſcriptionis, utilitatem nimirum ad inſtruendamque vitam opportunas monitiones. Verum hi quorum vero uſui ſervit hæc opera noſtra diſponunt ediſſeruntque hiſtoriam ut convenit, colligunt ſummam ad ſuam inſtructionem, rident quod riſui ſcriptum eſt; *Dicta ſententiasque Philoſophorum* memoriæ mandant, ut

dant,ut uti iis commodo ſuo poſſint, & ubi locus & oportunitas poſcit, actu ipſo inque communi vita exprimant. Sicque fit ut cum decem homines convenerint ad *Ludum* hunc cognoſcendum, diverſorum inter illos judiciorum nullus ſit finis, ut negare nemo poteſt accidere ſolere omnibus iis rebus quę diverſimode intelligi, & non uno pacto accipi poſſunt: Etiã Librarii ipſi non potuerunt quam de ſua ſententia adijcerent nonnulla, argumenta nimirum Actibus ſingulis præfigendo & ſummariis ſenſuum prolixiorem ordinem adſtringendo; quæ tamen res antiquitatis imitatione poſſit facillime excuſari. Sunt qui ſuper Inſcriptione in diverſa judicia abierunt; aliis viſũ nõ congruere nomẽ Comœdiæ cum fabula in triſtẽ exitum deſinat, ideoque Tragœdiæ futurum aptiorem titulum. *Auctori* autem primo viſum commodè Lætioris fabulæ titulum ferre poſſe, cum initia & primi actus læti ſint neque quicquam iis triſte intercurrat. Ego cum diſcordes ſententias penſitarem, ratum habui medio per utrum qui tramitem calle ingredi, & quia argumentum mixtum eſt hilaritate atque mœſtitia, Tragicocomœdiam inſcripſi. Interim diſpiciens unde tanta ſuper hoc ſcripto iudiciorum vanitas prodiret, inveni non aliam cauſſam, quam quod *nimis brevis* ea pars viſa fuerit quæ Amores, amantiumque jucunda & amœna colloquia tractat, quam extendi & locupletari perſoniſque hujus generis maiorem campum deliciis ſuis fruendi dari, plerique poſtulabant. Horum importunitate tamdẽ victus animum, quamvis renuentem, eo adegi, ut ſecunda denuo vice calamum in manum ſumerem, ſcriptionique longe & à ſtudiis & à profeſſione mea

alienæ

alienæ me accingerem, suffuratus interim horas nonnullas seriis meis occupationibus, easque velut ludo cuidam aut recreationi destinans, Quamvis non ignorarem minimè defuturos novos detractores novis nostris interpolationibus.

TITULUS.

Comœdia sive Tragicocomœdia de Callisto & Melibæa. Composita in reprehensionem stolidorũ Amantium, qui superati ab affectibus suis *temerariis & vagis* Amicas suas nominibus divinis censent, *Dearumque instar* venerantur.

Nec minus facta admonitioni, cautioniq; à damnosis & fraudulentis deceptionibus Lenarum, & adulantium malorumque servitiorum.

ARGUMENTUM.

Callisto juvenis erat nobili prosapia, acri ingenio, agili corpore, tenere educatus dotatus plurimis animi & corporis gratiis, statura inter celsã & brevẽ media; Hic capitur Amore Melibææ, adolescentulæ speciosissimæ, generosissimæ, & Fortunæ lautissimæ unicæ hæredis parentum suorum Pleberii & Alisæ, iisque charissimæ, Hac alioquin pudicissima, victa tandem est Callistonis assultibus, conciliatrice Cælestina, muliere lenâ astutissimaque quæ & servos Callistonis duos dolo in suas partes traxit, ut quid Domino pro se quisque deberet, obliti, lucrũ & voluptatem suã eius utilitati præponerent. Ad extremum pessima & infelicissima finis secuta est tam Dominos Amatores quam servos horum nequã & malos.

Ad introitum fabulæ infelix fortunæ aptum Callistoni locum sufficit, ubi præsens cum præsente Melibæa, quam perditè amabat, sermocinari posset.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Intrans Callisto hortum quemdam dum Falconem *suum sequitur, offendit in eo Melibæam; cujus amore captus alloqui eam cœpit, ab ea aspero sermone repulsus domum suam se recipit, animo valde anxio, Loquitur inibi cum servo suo Sempronio qui post plurimum sermonis eum ad anum quamdam Celestinam nomine, traducit, in cujus domo ipse Sempronius amicā habebat Eliciam. Hæc cum Sempronius ad expediendum heri sui negotia Cælestinam adiret, habebat alium secum amatorem, Critonem nomine, quem sagaciter abscondit. Dum Sempronius tractat cum Cælestina Amores heri sui, Callisto ipse cum alio servo suo, Parmenone, loquitur; quod colloquiū durat usque ad reditum Sempronii, qui Cælestinam secum ad Callistonem ducit. Agnoscit inibi Parmenonem Cælestina eique multa narrat de matre ipsius, concilians ipsum Sempronio, quo cum graves antea habebat inimicitias.*

LOQVVNTVR.

CALLISTO MELIBÆA, PARMENO, SEMPRONIUS, CELESTINA ELICIA, CRITO.

CALISTO.

IN hoc potissimum agnosco Potentiam Dei, O Melibæa. MEL. In quo, obsecro, CALLISTO? CAL. quod eam valentiam Naturæ dederit qua tam incōparabilibus ista Uenustatibus formam tuam expolivit, mihi autem, etiam immerenti, hoc felicitatis non inviderit, ut te conspicari, & præsentia tua me oble-

ctare

ctare animi possim: Idque nunc loco *tam secreto*, & talibus negotiis conveniente, ut enarrare tibi reconditos meos dolores possim. Absque dubio multimodis major hæc est felicitas, quã quæ per servitia Numinis, Sacrificia, devotionem animi, preces, aliaque Pietatis opera, à me promerita est, quamquam ego omnia eo fine fecerim ut tali te aliquando loco indipisci possem. Quis umquam in vita hac mortali corpus tantæ gloriæ compos, tam glorificatum penitus vidit, quali ego modo humanitatem mihi transcendere videor: Certe Gloriosi illi Sancti qui Speculationibus divinis & Numinis ipsius intuitu sese delectant, majori lætitia non fruuntur, quam ego modo, oportuno te hoc loco adeptus. Verum me miserum, in illo etiamnum impares sumus, quod illi firma & stabilia gaudia sua gaudent, absque nutu, posse aliquando de tanta felicitate decidere, mihi vero tristissima illa hora imminet qua à te solus relictus, absentem desiderare cogar, quam præsentem *satis mirari non possum*. MEL. Heccine tibi tanta felicitas videtur, Callisto? CAL. certè tanti ego hanc ipsam facio ut ipsum Omnipotentem Deum majore me in hac vita mactare non posse existimem, etiamsi omnium *Votorum mortalium summam* semel mihi concederet. MEL. Ego vero *etiam majore te* munerabor, si uti cæpisti, perseveraveris. CAL. O fortunatissimas aures meas, quã immerentibus vobis hæ summæ Fortunæ voces audiendæ obveniunt. MEL. Immo infortunatas penitus, modo finem sermonis mei perceperis. Quippe præmium stultitiæ tale tibi dabitur, quale excors & amens tua temeritas, & audacia, scopusque verborum tam fatuorum meretur. *In hoc enim honore* me

meo circumversum venisti, ut futilibus tuis technis agnitis immanibus modis merito perires. Apage, Apage, te hinc turpissime, non enim tantum mihi superest Patientiæ ut vel suspicionem illam ferre possim, collocutam me homini qui illicitis amorib. me abuti præsumserit. CAL. Ibo igitur velut ille quem ut scopum sibi adversa solum Fortuna prę fixit in quē omnia odiorum suorum crudelissima tela exoneret. Semproni, Semproni, Semproni. Vbi nunc infelicē illum furciferum esse dicam? SEM. Hic eram, here, equorum curæ intentus. CAL. at cur triclinio te proripuisti? SEM. *Falconum* unus rupto loro evolaverat, quem ego persecutus in ponte demum reprehendi. CAL: ut pessima morte pessimus pereas ut perpetuo infelix sis, ut repentina te Mors, nec mitior illa quam ego abhinc exspectare habeo, pessumdet, Propera nebulo, aperi cubiculum, sterne lectum SEM. Here incontinenti omnia facta sunt. CAL. Claude fenestram, sine me tristitiam meam in tenebris exsequi, infortunato suam para cæcitatem, mæstissimi mei sensus non sunt digni luce. O *felicissima mors* quæ desiderata miseris venit. O si *adessetis nunc mihi Crato & Galenus* medici an morbum hunc meum, quis esset, coniectare possetis? O Pietas divina inspira cor *Pleberii*, ne sine spe salutis comitem infortunato illi Pyramo cum pariter pereunte Thysba spiritum meum perditum ad inferos mittat. SEM. Quid negotii est istud? CAL. aufer te hinc, sceleste, ne verbum mutias, si non vis illico dirissima morte manibus his meis ante tempus dies tuos claudere. SEM. Certe ibo, tuque solus mala tua feras. CAL. Abi in maximam malam Crucem comite malo Dæmone. SEM. Non opus est

mihi

mihi ab eo comite metuam,qui,ut res hæ fluunt,manebit potius tecum. O Infortunium, ô repens Malum. Quid hoc fuit subiti casus, quod contrario turbine invectum tam cito hominem istum de hilari tristem fecit; neque hoc solum,etiam de cordato amentem.Solumne illum relinquam, an, cõtra mandatũ, cubiculum intrem. Si solum sino,occidet sese , si intro,fortasse me. Maneat sane.Quid ad me. Potius est moriatur ille cui Vita molesta est,non ego, qui volẽs cupidus sum eius; quamquam ut alia de caussa Vita dulcior mihi non sit,quam uti Eliciam meam videre possim hac sola omnibus periculis cavere mihi debeam. Verum si se interfecerit alio nemine præsente, mihi incumbet rationem ejus mortis reddere. Intrabo igitur.Sed ut intrem; renuit ille omne consilium, solatia omnia respuit; Satis mortiferi indicii est male habentem sanari nõ velle. Omnino paullisper solum illum linquã,ematureat,exinsaniat. Audivi dici periculosum esse premere aut aperire ulcera adhuc immatura,quippe quæ tacta magis sese inflent, & plus virium trahant.Exspectemus paullum. Demus spatium plorandi illi cujus animo male est.*Lacrymæ & suspiria*,& Planctus,& Gemitus, nõ minima parte morbi cor dolentis exonerant: Contra, si præsentem me viderit, acrius mœstitiæ indulgebit, & incendet vim dolorum, Uti Sol radiis alicunde repercussis ardentius calorem vibrat. Cessat oculorum contentio , nemine visui objecto,quod si quis obvenerit sese intẽdit. Hac de caussa retinebo me hic paulisper, si interibi se confecerit. moriatur sanè.Forte sic pretiosum aliquid *involare potero* , nihil enim aliud novi quo malitiam meam compensem , nisi ut more meo

alterius

alterius incommodo meum sequar emolumentum; quamquam salutem suam in alterius pernicie ponere malum esse aiunt. Et quid si me sic quoque Furiç malæ illudant? Illo se interficiẽte, pro homicida me carnifici tradent. Sic *cum pulvisculo interierim.* Ex alia parte Sapientes dicunt maximum malorum levamen esse afflictis, habere cui credere dolores suos possint, quique plorantibus *lacrymas commodet*, vulnusque opertum periculosius dolere. Igitur his contrariis quæ perplexum me habent, expensis, melius erit intrare, condolere homini, consolari vel nolentem; nam sine arte & *adiutoriis* morbus aliquis curari poterit, poterit idem utique facilius adhibitis & arte & adiutoriis. CA. Semproni. SEM. Here. CAL. Cedo Chelyn. SEM. Eccam, here. CAL.

Quis poterit dolor esse, immani tam ferus œstro,
Possim ut eum nostris æquiparare malis.

SEM. Non sunt concordi sono istæ Fides. CAL. Quomodo concordiam det fidium Choro, qui animo suo ipse secum dissidet? qui discors suis est sensibus? Cujus voluntas & Cupido Rationi parere non possunt? Cujus in pectore hæc omnia simul regnant, Aculei infiniti, *Pax*, *Bellum*, Induciæ, Amor, Inimicitię, Injuriæ, Delicta, Offensiones, Odia, Suspiciones, omnia simul, inquam, & una de caussa. Igitur cape tu Chelyn, feri, & canta tristissimam omnium quas didicisti cantionum. SEMP.

Culmine Tarpejo flagrantia mœnia Romæ.
Spectabat, recinens carmina læta, Nero.
Plebsque Patresque Ætas omnis, sexusque, dolebant.
Indoluit tantis hoc minus ille malis.

CAL. Major est flamma mea, minor Pietas illius

unde

unde caussâ meis doloribus SEM. Non fallor ego animi, amens certè est herus meus CAL. Quid murmurâs, Semproni. SEM. nihil CAL. Dic si quid dicere vis, absque timore, SEMP. Dico quod credibile non sit majorem esse flammam quæ vivum unum hominem torret, quam quæ tantam *cum tot millibus* mortalium civitatem concremavit. CAL. Quid: Ego te docebo. Major utique flamma est quæ Octuaginta annos durat quam quę unum aliquem diem. Major etiam illa quæ Animam consumit, quam quâ centum corporum millia considunt. Ut major Res est quam Rei Apparentia, vt Vivum potius picto, ut Corpus umbra, tãtum differt ignis ille Romanus ab isto quo ego modo conflagro. Certe si post Vitam hanc apud inferos talis flamma, hic peccantibus, sustinenda foret, malim *immortalem Animam meam* mutare cum caduca bruti alicujus animantis. SEM. Non de nihilo est quod dico; pejus etiam negotium cedit. Non sufficit isti fatuum esse, nisi Stultitiæ etiam Impietatem jungat. CAL. Non dixi tibi, clare loquereris si quid loqui velles: Quid ais? SEM. Dico numquam Deum hoc permittere debere. Est enim insignita Impietas quod tu modo protulisti. CAL. Quâ de caussâ SEM. ideo quia Christianæ religioni adversatur. CAL. quid ad me? SEM. Non tu es Christianus? CAL. Ego Melibææus sum. Sectam Melibææ sequor, Melibææ adoro, in Melibææ credo, Melibæam amo, Melibæa *mihi omnia est*. SEM. tu persuadeas tibi Melibæam tuã tanti esse pretii. Non sentit in corde suo herus meus quod ore eius temere ebullit. Non opus est pluribus ambagibus, novi quo pede claudices ego tibi medicinam spondeo. CAL. Incredibilem effectu rem promittis

mittis. SEMP. Certe facilem. Initium Salutis est perspicere hominē medicum quo genere morbi ægrotans afficiatur. CAL. Quali consilio regatur hoc quod qui *in se neque consilium neque* ordinem ullum habet SEMP. ha, ha, ha. Hæc est illa flamma heri mei, hæ sunt ipsius ærumnæ, velut solus Amor telis suis hominem impeteret. O Supreme Deus, quam occulta sunt mysteria tua? *quantas vires Cupidini* humano dedisti, necessarium est mente moveri quisquis amat, finem ipsius *pro miraculo mortalibus* posuisti, Videtur amanti neminem præ ipso solo sapere. At quicunque hoc affectu possidentur omnes alios contemnunt, omnibus insultant, ipsi instar taurorum ferorum stimulis velut & calcaribus icti omnia obstacula atq; impedimenta perrumpunt, infrænes, exleges, nullis neque monitis neque consiliis obtemperantes. Tu in lege divina sanxisti hominem relictis Patre, matre omniquè familia & cognatis suis mulieri adhæsurū; non solum hoc isti facessunt, sed te quoque ipsum cum universis præceptis tuis cæco suo adfectui postponunt Exemplo sit iste modo Callisto; cujus tamen neque mira mihi obvenit hæc alteratio; plurimi Sapientes, Cordati, Sancti, Prophetæque viri Amoris obsequio te deseruerunt. CAL. Semproni. SEMP. Here. CAL. ne me deseras. SEM. *Aliter jam hæc lyra tinnit.* CAL. Quid tibi videtur de malo hoc meo? SEM. Amare te Melibæam. CAL, Et nihil præterea? SEM. Satis mali est omnes suos adfectus uno loco captivos detinere. CAL. Non intelligis tu in Amore Constantiam. SEM. In malo proposito perseverantia non est Constantia, sed meæ domi Pertinaciam & obstinationem dici audire memini. Tu aliique Cupidinis Philoso-

Philosophi censete quo vobis libet nomine. CAL. Turpe est mentiri illum, qui alium monere & docere venit; magni tu tibi aliquid facere videris cum Eliciam tuam dilaudas. SEM. Fac tu bonum quod dico, non malum quod facio. CAL. Quid ergo in me tibi displicet? SEM. Summittere te Virtutem & Dignitatem virilem futilis mulierculæ instabili arbitrio. CAL. Mulierculæ? asine; Deus illa est, vere pro Deo mihi. SEMP. Hanc credis tu, an jocaris? CAL. Quid jocer? Pro Deo in eam Credo, Deum illam confiteor, licet non negem in cælo alium Deum esse, hæc vero inter nos moratur Deus. SEM. ha, ha, ha, audivistis hominis blasphemias? Videtis illum insanire, & mente & oculis orbum esse? CAL. Quid ridere habes? SEMP. Rideo stulticiam meam quod crediderim hactenus atrociora peccata nullibi excogitata fuisse quam Sodomæ. CAL. Quomodo? SEM. Illi quippe abominabili abusu Angelis *illudere* voluerũt; tu verò ejus amplexum petis quam Deum esse confiteris. CAL. Male pereas, furcifer, qui ridere me fecisti, etsi animus longe abest. SEM. Igitur deinceps omnem vitam tuam perflebis? CAL. Conclusum est. SEM. Quapropter, CAL. Propterea quod illam amo, illius desiderii maceror, quam ut potiar plane indignus sum. SEM. ô hominem exigui animi, O *degenerem* majorum suorum. Quali mente contra Alexander Magnus atque Nimroth fuerunt, qui non solum Imperio terrarum orbis, sed & *cælo se dignos* judicaruut, CAL. Non admodum bene audivi quid dixeris, verte huc os, repete quod modo locutus es. SEMP. Hoc dico, tu, qui magnanimitate Nimrodum & Alexandrum Magnum superas, unius mulierculæ animum

nimum vincere desperas. Cujus generis multæ, maximæ nobilitatis, & præpotentibus familiis oriundæ sæpe sese *mulionibus*, & vilissimis etiam servitiis substraverunt; Narratur & de nonnullis Regii stemmatis usque adeo vilibus voluptatum suarum, ut etiam brutis animantibus *abusæ sint*. Non subvenit tibi legisse Pasiphaen cum Tauro suo, Minervam cum Cane incestis libidinibus operantes? CAL. Non credo talia: Fabellæ sunt. SEM. Illud aviæ tuæ cum *Simio*, fabella erat? Testis adhuc superest culter Avi tui. CAL. Male pereat fatuus iste, quantas ineptias blatit. SEM. Excita animum, de eoque furorem. Lege scripta Historicorum, confer te in libros Philosophorum recense Poetarum monumenta. Pleni omnis generis libri sunt vilissimarum & pessimarum mulierum exemplis, & quam paucis omnino bene cesserit alicujus eas pretii habuisse. Audi Salomonem dicentẽ; Vinum & Mulieres hominem facere ut blasphemet. Adhibe in consilium Senecam videbis quid de illis judicet. Ausculta Aristoteli, Inspice Bernardum. Gentilium, Judæorum. Christianorum, & Mahumetanorum consensus te eodem ducit. Veruntamen & quod dixi de illis, & quod deinceps dicturus sum nequaquam ita ceperis, ut de omnibus eodem modo judices. Sunt inter fœminas etiam non paucæ Sanctæ, & Virtutum studiosæ generosi animi, quarum peculiaris laus exceptionem habet de generali universarum vituperio: Cæterarum autem quis tibi recensere, *falsimonias*, mendacia dolos, scelera, levitates, mutabilitates, lacrymulas fraudulentas, alterationes, Odia, evaleat? Quicquid cogitant, facere audent absq; deliberatione. Dissimulationes earum, Vana juramenta, arti-

ta artificiosos, & compositos fraudibus, sermones, Deceptiones, Obliviones, Odia, Ingratitudines, Inconstantias, Affirmationes & Abnegationes falsas, Fastus, Gloriositates, Futilitates, stultitias, Indignationes, Dedignationes; Superbias, humilitates adfectatas, Loquacitates, Voracitates, Libidines, Lascivias, Meticulositates, Audacias, Sortilegia, Incantationes, Irrisiones, Detractiones, Calumnias, Impudentias, Lenocinia, quis enarrabit? Considera sodes quid sub pellucentibus illis mollissimisque nimbis monstrorum deliteat. Quæ cogitationes sint animorum sub illis comtis & politis *strophiis*, sub illo habitus fastu, sub illis laxis & *magnificis* tunicarum voluminibus, Quantum, Deus bone, vitiorum, quantæ malorum cloacæ sub incrustatis illis velut & depictis fanis delitescunt; De illis verè dictum est. Arma sunt Diaboli, Caput & fons omnium Peccatorum, Salutis æternæ Destructio; Non precibus tuis in Festo Sancti Iohannis hęc ejusdem verba repetiisti? *Hæc est mulier, Antiqua malitia, quæ Adamum Felicitate Paradysi ejecit, hæc genus humanum depellit ad inferos, Hæc est quam vituperavit Helias Profeta.* CAL: Dic ergo tu jam. Iste Adam, iste Salomon, Iste David, Aristoteles, Virgilius, Et mille alii quos nominare possis, quo pacto submisêre se sexui tam vituperato? Sumne ego Sapientior illis? SEM. Eorum exempla tu sequi debes qui Mulieres superarunt, non qui ab his devicti, exciderunt Virtute suâ. Fuge Fraudes earum: Scis quid faciant? Difficillimũ est arcana dolorum intelligere. Non illis modus est, non ratio, Non consideratio: A rigore ordiuntur ultroneam sui corporis oblationem. *Quos etiam enixe desiderant*, vel in publico iniuriis afficere, etiam per pla-

B teas

tras euntes convitiis de fenestris petere non abhorrent. Invitant, reijciunt, vocant, negant; judicant Amorem, pro hostibus se gerunt, Irascuntur ex templo, Placantur illico, quod cupiunt divinando, te assequi volunt; Vah quanta Vulnera, Odia, Molestiæ apud illas sunt, quas si cum brevi illo tempore conferas quo aliqua ex iis, voluptas capitur, hoc ipsũ nihil esse dicas. CAL. videas tu: Quo pejora de illis memoras, quoq; magis odisse me illas cupis, eo ego magis Melibæam meam desidero; nescio quid hoc negotii sit. SEM. Non hoc opus habet judicio puerili, ut video; quod genus Rationi Se submittere nescit, nescit suis rebus consulere. Miseranda stultitia est videri eum sibi in re quâpiam judicandâ magistrum, qui discipulus in intelligenda numquam fuit. CAL. At tu unde ista nosti, quis te docuit? SEM. Quis censes? Illæ ipsæ, de quarum virtutibus sermo est. Hæ quippe cum semel introspexeris, adeo omnem pudorem perdunt, ut ista omnia, & longe etiam pejora, ultro manifestent. Pone igitur cum animo tuo Rationem Honoris tui, cense longe digniorem esse te quam vilis muliierculæ desiderium faciat. Longe quippe periculosius est hominem existimatione se sua deiicere secum, quam altius atque decebat de se quem sentire. CAL. Sed quid ego sum ad hanc comparatus? SEM. Quid? Principio homo es, ingenii excellentis, quem Natura plurimis de optimorum suorum donorum censu, dotavit: Scilicet Forma, Gratia, statura grandi & conspicabili, Robore membrorum, Agilitate. Ex alio locô Fortuna tecum bona etiam sua prolixe partita est, talia quidem numero & modo ut internæ tuæ dotes per has exteriores cuivis videantur,

antur,& consensu mutuo claré resplendeant; idque. ideo quia absque his Fortunæ muneribus, quæ *extra decentium* domina est,nemo quisquam in hac vita Felicitatem aliquam absolvere potuit. His tu junctim potitus felici quodam sidere ab omnibus charus haberis. CAL. At non à Melibæa. In omnibus vero istis, Semproni,quæ in me commendasti, longissimo spatio superior est illa. Vide nobilitatem generis ipsius, Vide Copiam divitiarum , Excellentissimum ingenium, relucentes per omnia Virtutes, Generositatẽ excelsam animi , *ineffabiles Gratias* Incomparabilem speciositatem; de qua rogo paullum me sermocinari patiaris,ut sic æstuanti animo aliquid dem refrigerii. Quæ tibi autem narrabo,de conspicuis ipsius decoribus dicentur, nam de occultis si sermonem habere possem non opus esset nunc tecum miserabile hoc colloquium instituere. SEM. Quanta mendacia, quales stultitias,nunc recensebit miser meus Dominus; CAL. Quid hoc erat? SEM. Dico, Loquens modo; maxima enim me Voluptate afficies audientem. *Sic Deus tibi propitius* sit,ut ego auscultare desidero. CAL. Quid? SEMP. Ita Deus me juvet ut ego libens audire cupio. CAL. Vt igitur eo majus gaudium capias, sermonem ego per partes extendam, & velut in figura tibi spectandam exhibebo. SEM Hoc erat quod petebam scilicet. Poteram carere his omnibus angoribus,qui in medios me præcipitavi. CAL. A capillis incipiam. Vidisti ne tu filamenta aurea delicatissimo metallo ducta,qualia ducuntur in Arabia? Pulcriores sunt capilli Melibææ neque minus splendoris habent. Prolixi usque ad confinia plantarum; Cũ compositi & in ordinem redacti cirris caput vinciũt,

uti eos componere & aureo funiculo connectere solet, sufficiunt soli quemvis spectatorem in lapidem vertere. SEM. In Asinum potius putem. CAL. Quid ais? SEM. Non esse has setas asini alicuius. CAL. Videsis quam tu turpiter stupidus es; & quæ hæc sit cõparatio? SEM. Sapientia tu *Thaletem superas*. CAL. Oculi *virentes* Clari & patentes, palpebræ longæ; Supercilia delicata, & sursum erecta; Nasus mediocris; Os parvum; dentes minuti & albissimi, Labia rubicundissima, & grandiuscula. Facie figura oblongior quam rotundior; pectus altum; Quis tibi rotunditatem mamillarum non magnarum, forma illa optabilissima, satis apta figura præpinxerit? Desperabundi fiunt quicunque has mortales viderint. Vniversum corporis filum coloris lucidissimi, & velut resplendescentis; quodque candore nivem facile confutit. Procul tincturę & fuci; naturali fulgore mistus albori rubor cutem expolivit, qualem formæ suæ studiosa puella optare poterat. SEM. Tredecim annorum ætatem habet hic fatuus. CAL. Manus minutæ, media tamen forma, succulentæ & delicata carne copiosæ, Digiti longi: Vngues in his ampli & suavi rubore tincti, dicas rubentes gemmas inter margaritarum ordines conspicere. Cætera, quæ visu submota sunt, ab extrinseca specie judicare licet incomparabili venustate esse; meliore utique quam qua instructæ tres quondam Divæ in monte Idâ Paridi judicium pulcritudinis obtulisse dicuntur. SEM. Finem jam facturus es? CAL. quam brevissimè potui rem absolvi. SEM. Ponamus omnia hæc, uti tu recensuisti, vera esse. Tu, quia vir es, etiam meliorib. dignus eras. CAL. Quo pacto? SEM. Eo, quod imperfecte homo est mulier,

lier,obque defectum perfectionis desiderat semper atque appetit virum vel te vel alium? ardentius certè quam vel tu vel alius eam quæ fœmina est.Memento Philosophi quo loco scribit: *Vt materia appetit formam, sic mulier virum.* CAL.me miserum,& quãdo hoc mihi faciet Melibæa? SEMP.Facile hoc ut cõtingat;quin &illud,ut magis eam etiam abhorreas,quam nũc diligis; puta si aliquando ad satiem *eam potitus fueris*,aut aspexeris aliquando oculis liberis à deceptione, quâ nunc occæcatus es. CAL.Qualibus oculis ergo? SEM. Oculis claris & perspicacibus. CAL. Iam vero qualibus video? SEM.Insiticiis,aut per vitream transenuã; unde pauca quæ sunt multa videntur, parva, grandia. Ne desperes autem. Ego negotii huius confectionem in me recipio,ego desiderium tibi tuum explebo. CAL.Deus det tibi quæ voves. Quanta mihi gloria est audire hæc ex te,etiam si confecturum quæ promittis, spem ferè nullam habeam. SEM. Ante expectatum certè hoc fiet. CAL.Deus consiliis tuis adsit. Auro ductilem illum thoracem,quem heri vestitui gerebam, vidisti illum? SEM. Det tibi pro hoc & quibus me aliis donabis, Deus quod optaveris. Ego optimam partem de hoc ludo meam faciam. Si talibus me stimulis incitabit,in lectum ipsi hucusq; Melibæam sistam. Bonum auspicium successibus dabit donarium hoc mihi oblatum ab hero meo. Sine spe præmii numquam quicquam bonarum rerum expedietur. CAL. ne negligenter tractes hoc tantum negotium. SEM.Tu modo ne negligenter hic agas. Nõ enim servum diligentem umquam faciet ignavus dominus.CAL.Quo pacto autem opus tam divinum conficere posse existimas? SEM. Dicam illicet tibi.

Multum temporis jam elapsum est ex quo familiariter novi in viciniæ hujus cōfiniis vetulam quandam *barbatam*, nomine Celestinam, Incantatricem, Magā, astutissimam & omnium malitiarum numeros memoriter tenentem. Quinque amplius millia audivi fœminarum hîc esse quas de virginibus illa mulieres, de *mulieribus virgines* Auctoritate sua per civitatem fecerit. Ludus illi temeratum pudicitiæ florem mentitis machinis pro integro vendere. Hęc durissimas etiam petras in libidinem commovere valet, modo velit. CAL. Potero ego illam alloqui? SEMP. Sistam tibi huc mulierem, para te isti negotio. Sis humanus & comis erga illam, liberè & munificè te gere, Edisce, interim dum ego illam accersitum eo, quibus verbis dolorem illi tuum declarare possis commodissimè; si tam facile tu dixeris, quam illa remedium inveniet, res confiet strenuè. CAL. & moraris? SEMP. Iam eo. Deus sit tecum. CAL. Idem te comitetur. O æterne omnipotens Deus, tu qui perditis hominum rebus auxiliator es; qui Reges ab Oriente, *duce novo sidere*, Bethlehem usque duxisti, & in patriam post reduxisti, suppliciter *te rogo* sis adjutor & Comes Sempronio meo, ut tristissimam hanc mæstitiam meam in optatam lætitiam convertat; mihique indigno contingat fine voti mei potiri.

CEL. *Euangelia Evangelia*, Elicia. Sempronius, Sempronius, EL. ce, ce, ce, st! CEL. quapropter? ELIC. Crito est hic intus. CEL. detrude illum subito *subter acervum* istum scoparum. Dic adesse cognatum tuū, meum veterem familiarē. EL. Crito reduc te isthuc, perii misera, patruus huc meus venit! CRIT. faciam; ne te

ne te ejus rei gratia angas animi. SEM. Mater optatissima, quantum conspectum tuum desideravi. Gratias Deo solvo qui te mihi videndam restituit. CEL. Fili mi, Domine mi, Rex meus, perturbatam me sanè fecisti; nondum *tecum loqui possum*, verte te & denuô me amplectere. Tres integros dies potuisti ut ad nos non inviseres? Elicia, Elicia, hic eccum illum! EL. quem, mater? CEL. Sempronium. EL. miseram me; ut cor salit, & quid illi factum est? CEL. Eccum hîc tibi præsentem illum, hic ille præsens est: Ego vero mihi eum amplectar & exosculabor, mihi eum servabo; non jam tuus ille erit. EL. Sceleste; ut misere pereas, mala te lues malum trucidet, manibus hostium tuorum interficiare, propter facinora crudeli morte digna, Carnificis potestati tradaris, Latro, proditor, ah! ah! SEM. hi, hi, hi, Quid est, mea Elicia, quamobrem te commovisti & excrucias? EL. Triduum jam me non vidisti. Numquam Deus te videat, numquam Deus te Consoletur, neque umquam tibi adsit. Væ miseræ mihi, quæ in te spes omnes meas posui, finemque ipsum omnium meorum bonorum. SEMP. Tace, Domina mea tu, Credisne distantiam locorum posse dissferre duo amantia corda, quorum desiderium imis medullis conceptis ardet; sic à tuo me amato corculo segregare? Falleris, Lux mea, quocunque ego eo, tu me comitaris, mecum stas, sedes, cubas, ne tibi male plorando facias, aut animum tuum affligas, amplius super eo, quod me affecit quam pessime. Verum quem ego supra nos isthic gradientem audio? EL. Quis? Amatorum meorum unus est. SEMP. Certe ego tale quid credo. EL. Illuc vide, verum est quod dico, Ascende & videbis, SEMP.

Adſcendam certe. CEL. huc ades Semproni, fac miſſam fatuam iſtam, irata eſt propter tanti temporis abſentiam tuam, furere jam illam facies, mille tibi ſtultitias dicet, Ades huc fabulemur aliquid , non ſinamus tempus in vanum prætefluere. SEM. Verũ quis ſupra iſtic eſt? CEL. Vis ſcire igitur? SEM. Certè volo. CEL. Puella quæpiam, quam hodie mihi Monachus quidam commendavit. SEM. Quis monachus! CEL. Nihil ad te iſthuc. SEM. dic per vitam meam, quis Monachus? mater. CEL. Moleſtus es. Craſſus & obeſus ille monachorum famulus. SEM. O infelix puella. Et quod illa munus exſpectat! CEL. *Ad nihil non utilem faciemus*, Paucas tu per ventrem occidi vidiſti. SEM. occidi nullam, confodi multas. CEL. vah, quantus irriſor. SEM. Si te irrideo ſine me adſcendam oſtende mihi illam. EL. *Ha furcifer*, videre eam cupis? Vtinam ambo tibi oculi videndo diſſiliant, non ſufficit tibi vel hæc vel alia ; Apage te, vide illam, ut me poſtea perpetuo miſſam facias. SEM. Tace, bone Deus; & tu iſtius gratia tantopere iraſceris! Nulla mulier in terra vivit quam ego videre cupiam, nedũ illam: Matri iſti meæ. loqui volui, Tu vale. EL. Abi, Abi, apage te ut à nemine umquam videaris, alios tres annos ne redi ut me viſites. SEM. Optima mater Cõfidas velim, mihi, neque putes ludere me, cum iſta hic dico. Sume pallium tuum & ſequere me, eſt quod te velim, dum per civitatem imus, narrabo tibi negotiũ nam ſi diutius hic morer, & tuo & meo commodo obſim. CEL. Eamus igitur. Elicia interim vale , & claude oſtium, Valete & vos *parietes* noſtri. SEM. Ades, mater; ſed opus eſt omnib. aliis negotiis animo ſubmotis totum iſti eum des, quod ex me audies , huc

mentem

mentem fige, linque cæteras curas universas, neque dividas cogitationum vim in plures partes: Quicunque enim pluribus animum junctim intendit, nullo cum loco certum habet, neque quod cupit efficiet expendendo, nisi casus aliquando bonum finem rei propositę fecerit. Dicere jam tibi tale quid volo, quale ex me numquam hactenus audivisti, hoc est quod, ex quo semel fidem tibi meam conspondi, *numquam aliquid boni obvenire* mihi optavi, cujus participem te esse & consortem non vellem. CEL. Deus, mi fili, omnia tecum bona sua partiatur, merito quidē id faciet, siquidem & volet, quoniam miseret te vetulę hujus tam miserabilis. Verum enarra quod dicturus es promtè, amicitia quippe perfecta & vera quæ inter nos est, non opus habet grandibus aut artificiosis sermonum introductionibus aut corollariis; non coloribus ullis Rhetorum, aut aucupiis benevolæ auscultationis; Fac edicas breviter, & *in medias res* te ponas. Magnæ vanitatis argumentum est multis ambagibus evoluere, quod paucis verbis dictum intelligi potest. SEM. Sic res est. Callisto ardet Amore Melibææ, ei rei & meo & tuo auxilio opus habet: Quoniam igitur juncti illi prodesse possumus, jungamus & societatem emolumentorum quæ exinde ad nos pervenire possunt. De reliquo *agnoscere quem Occasionis favorem*, & Oportunitate objecta benè uti posse, felices solet homines efficere. CEL. Optimè dixisti. Jam rem omnem teneo, sufficit mihi oculo innui. Affirmo tibi; non mediocriter hoc negotium me exhilarat, ut Chirurgos fracta capitis ossa, Atque ut hi in principio Vulnera atrociora videri sermonibus suis faciunt, & blandiuntur affectis Salutis promissionibus, Sic ego

Callistonem tuum tractare meditor. De longinquo ipsi remediorum certitudinem ostendam; verum est enim quod dicitur, Spes producta macerat cor hominis, Quanto ille magis desperationi accedet, tanto ego illum propiorem remedio pollicitando ponam. Intelligis quid velim. SEM. Taceamus hæc, jam enim ad ostium domus nostræ accessimus. Scis quid dicāt, etiam parietibus aures esse. CEL. Pulta. SEM. tha, tha, tha.

CALISTO, Parmeno. PAR. Here. CAL. surde, non audis? PAR. Quid rei est, here? CAL. pultatur ostium, curre, propera. PAR. Quis isthic est? SEMP. Aperi mihi & huic *matronæ*. PAR. Here, Sempronius & *prostibulum* quoddam *vetus* suffarcinatum hos tumultus dabant. CAL. Tace, tace, infelix. Est amita illa mea, curre, propera, aperi. *Semper hoc usu* venire solet. Qui unum periculum effugit homo, in aliud majus incidit. Ego ut Parmenonem meum hoc negotiū cælarem (cui tamen vel Amor mei, vel fidelitas, vel Timor, facile fræna silentii imposuissent,) potest ut cadam in indignationem hujus fæminæ, quæ non minus vitæ meæ moderatrix est quam ipse Deus. PAR. Quid est, Domine, quod te excruciat? Qua de caussa animum tuum affligis? Censes auribus hujus vetulæ injuriosas videri illas appellationes, quibus eā modo nuncupavi? Ne suspiceris isthuc. Tāta illi gloria est talia audire, quantæ tibi tu esse æstimas, cum dicentem aliquem audis; *Dexterrimus est armis & Equo* Callisto. Immo, quod magis est, non aliis nominibus nota illa est, his pro laudum suarum titulis ubique cognita. Si inter centum mulieres media eat, & forte fortuna è vulgo aliquis dicat, Vetustum prostibulū, nullo

nullo impedimento illico capite obverso, hilari vultu respondet. In Conviviis, in Festis, Nuptiis, Societatibus, Exsequiis, universis omnibus hominum conventibus, hanc tempori fallendo adhibent, illam convitiantur, illudunt: Si per canum illa transit concursus, hos ejus titulos elatrant illi. Si prope avium consessus venit, aliud illæ non recinunt. Si greges ovium accedit, idem isti balant. Si qualescunque alias bestias, grunniendo oncando, rugiendo, aliud nihil sonant, quam Uetus prostibulum, Scortum exoletum, Meretrix defloccata. Ranæ in paludibus aliud nihil coaxant. Si præter fabrorum ferrariorum officinas transit, hoc iterant mallei eorumdem. Eumdem sonum omnia Opificum instrumenta tota civitate sonant. Cantant hos titulos carpentarii, pingunt talem pinctores, texunt textores, per agros, hortos, vineas, diurno se labore sustinentes has ei laudes canunt, cumque eis tædium & laborum & temporis fallunt. Qui tesseris fritillisque ludunt, ut aleam perdunt, his titulis illam cohonestant. Quicquid sonum, aut soni imaginem ciere potest, quamprimum illa astitit nihil aliud quã has ei laudes repræsentant Qualis, Dii boni, *lurco ovorum assatorum* erat quondam maritus ejus! Quid vis amplius, non lapis ullus lapidem terit, quin illico de titulis scelestæ hujus anus aliquis aures præsentium percellat. CAL. Tu vero quomodo hæc nosti, & unde ipsam? PAR. Scire te volo. Multi jam anni elapsi sunt, cum mater mea, mulier egena, vicina isti domicilium colebat: hæc á Celestina rogata me famulum in ejus domum dedit; quamquam illa me jam minime agnoscat, propter interlapsum ingens annorum spatium, & quod interibi ætas

me ferè

me ferè alium fecit. CAL. Quibus ministeriis destinatum habebat? PAR. Here, ibam ad forum & obsonium illi portabam, comitabar illam hinc inde, & quicquid tenerrima mea ætas tum ferebat, ut jussus eram, facessebam. Memini tamen ab illa usque pueritia mea non aliis eam negotiis vitam tenuisse, quam quibus nunc quoque se alit, nec destitura est umquã, quamquam non diu servitiis ipsius adfuerim. Habet bona hæc matrona isthic in angulo ultimo Civitatis, prope illam cryptam notissimam ad latus fluminis, domunculam solam ab aliis semotam, semitutam, minima parte integram, pluribus ruptam & subfultã. Sex illa officiis sese sustinet. Acu netrix, est, Perfumatrix, Fucos & tincturas cuti poliendæ & colorandæ, vendit. Virginitatis damna sarcit, restitutis ope prodigiosorum medicamentorum in speciem integritatis jam plus millies perruptis *locis*; Lena est, & nonnihil etiam Magicorum operum exercet. Dum ego illic viuerem, primo à me loco nominato tegebat cætera. Sub eo colore plurimæ quotidie ad eam ancillæ commeabant, nenda nimirum & acu pingenda ipsi portantes; utque ipsæ discerent conficere, indusia, nimbos, strophia, muccinia, Uentralia, & mille species linteorum indumentorum. Nulla harum aderat sine frusto lardi, carnis, parte tritici, farinæ, Vitro vini pleno, aliisque talibus victui utilibus, ut quæque Dominos suos aliquo defraudare potuerat. Erant etiam furta majoris ponderis quæ in domuncula illa abscondebantur. Amica erat intimior *Studentium*, Dispensatorum, familiaris vel maxime Abbatum servitiis. His illa innocentem sanguinem puellarum illarum miserarum vendebat, non ægrè in devirginationes

nes consentientium, cum illa restitutionem Virginitatis cuique de facili promitteret. Subibat per has easdem quæstus ipsius altius. His mediantibus cum maximè diligenter clausis tractabat lenocinia sua, nõ desistens donec ad præmium & has amatorum votis sisteret. Hujus generis multas, temporum sanctitate suspiciones eximente, domum nostram intrantes vidi, à stationibus, Processionib. nocturnis, Sacris matutinis & ad Gallicinium celebratis, aliisque devotarum fæminarum operibus. Multas capitibus velatis, quas pone amatores sui sequerentur, pedibus nudis, Paulin. *excalcei*, animò afflicti, vultus tecti, qui eo scilicet ibant peccata sua deploraturi. Quid laborum vetulam nostram super his exantlasse putes? Faciebat se medicam puerorum. *natura consultam*, uti infantium ipsi cura commendaretur, Linum in his domibus acceptabat, in aliis fusis ducendum locabat, uti commodè, cum vellet, utrasque intrare posset. Audisses voces per vias clamantium. Mater huc ades, alias, istuc te age; vide anum istam ut omnibus grata est, hæc illa est Celestina quam omnes amant. Hæc illo communis infantiæ nostræ velut nutrix est. Cum omnibus his curis, nullam diem tamen paterfluere sinebat, qua non tam Oriente quàm Occidente Sole Templa per urbem pleraque inviseret. Nulla Monasteria *Nonnarum* aut Monachorum non frequẽtabat, ut simulato religionis cultu lenocinia ibi sua componeret. Domi suæ pretiosos Odores corrumpebat, falsas species, pro veris vendendas, parabat *Adulterabat* omnia genera exoticorum fructuum, quos pro medicamentis aut delectationis ergo Simplex turba emebat. Erat conclave ipsi semotum à reliquis plenũ
Vitreis

Vitreis vasis quibus Chymici ad pręparationes variorum succorum, Aquarum, Oleorum, utuntur. Enarrare velle herbas, frutices, metalla, & omne genus pigmentorum, quibus illa corruptis, adulteratis, excoctis, Incantatis, credulis hominibus illudebat, nulla opis humani ingenii possit. Nihil umquam ad Odia, Amores, Fucos, Defixiones, potationes, philtra, Abortiones, excogitatum est quod in hujus officina nō prostaret. His, & mille talibus artibus illa vitam sustinebat. Quæ mira & infanda dictu confecerit, melius hic silebuntur. Illud me coram gestum est, ancillā suam, quæ diu jam prostiterat, cum Legatus Regis Franciæ hic esset, tribus vicibus pro virgine illibata vendidit. CAL. Poterat centum puto. PAR. Certe; per Deum. Curabat eadem gratis, ex charitate Christianâ, multos orphanos & pupillas quæ ipsi sese cōmendaverant. In alio secessu habebat remedia Amoris conciliandi, & omnibus se amabilem reddendi; ossa cordis corvini, Linguas viperarum, Capitella Coturnicum, Cerebella asinorum, telam Equinam, palliola quibus infantes obvoluti nascuntur nonnūquam Fabam Africanam; Anguillas marinas, *Funem strangulati hominis*, Florem hederæ, spinas erinaceorū, pedes Taxorum, grana filicis, lapidem de nido Aquilæ, Fahrensamen & mille talia. Veniebant domum ejus multi viri, juvenes, mulieres, puellæ; ab uno panem quem momorderat, poscebat, ab altero partem tunicæ à tertio de capillis fasciculum: Aliis in volam manus pingebat figuram de croco, aliis Cinnabari, aliis dabat corcula cera conficta, plena flexis acubus, aliasq; res argillaceas, & plumbo effigiatas, horribiles visu. Pingebat figuras in terram, murmurabat eodem vo-

dem voces obſcuras. Quis cætera tibi enarret quæ anus iſta quotidie patrat; Et omnia ſunt meræ fraudes, mera mendacia? CAL. Bene habet, Parmeno; ſeponamus iſta occaſioni meliori. Satis me monuiſti & inſtruxiſti, bonâ gratiâ affectum tuum recipio. Nunc præſens non moremur negotium, neceſſitas excludit tarditatē. Audi: adeſt huc illa rogata, diutius præſtolatur quā decet. Eamus, ne indignetur. Metuo ego mihi, & metus ille rebus me meis vigilantem & providentem adeſſe jubet. Age, eamus, curemus hoc negotium. Sed & hoc te rogo, Parmeno, odium quo Sempronium proſequeris, ne quicquam impedimenti faciat; Vtor ego volens illius opera in hac re conficienda, quâ ſalus certè Vitæ meæ invertitur. Nec invideas ſi quid illi donavero; ſi illum thorax manet, tibi vel tunica non deerit. Ne cenſeas me minoris præmonitionem & conſilium tuum facere, quam illius operā & laborem. Novi ego id quod animus hominis juvat, nobilius eſſe & majori præmio dignum, quam quod corpore præſtatur. Sic beſtiarum utimur & jumentorum operâ, licet viribus membrorum illa plus hominibus efficiant, nihil illis tamen præter paſtum largimur, amicitiam vero cum ſolis noſtri ſimilibus, hoc eſt Ratione nos juvantibus, jungere conſuevimus. Talis omnino differentia inter Te & Sēproniū mihi ponitur; de cętero, prętérquā quod pro hero me tuo & domino habere, & adeſſe mihi debes, amicū te meū eſſe volo, tibique me in amicitiam largior. PAR. Eſt quod quærar, here, de dubitatione iſta quā ſuper fidelitate mea, ſervitiiſque paratiſſimus, habere te, coniicere poſſum. Quo enim aliô fine promiſſiones tuæ iſtæ & blandæ admonitiones cadūt? Quando expertus es vel per invidiā alterius, vel mei me cōmodi

gratia quicquam rebus tuis defuisse? CAL. Ne indi-gneris, Parmeno; Affirmo tibi præ omnibus ministeriis meis grata mihi ante oculos tuæ versantur ingeniũ nobile, Fidelitas & promtitudo. Verũ uti in negotio tanti ponderis, quod vitã ipsam meã cernit, opus est omnia cautissime agere, & quæ usui sunt acute prçviderç, etiam quç tuta sunt metuimus, & omnibus casibus advigilamus. Scio & ingenio te & consuetudine bonum esse? & naturæ, quæ in te est, excellentiam bonis quotidie actibus firmare. Nunc eamus obviam Saluti nostræ.

CEL. Ambulantes audio, jam descendunt simula Semproni, nihil te tale audire: Ausculta & sine me loqui quod nunc ex tuo & meo usu est. SEMP. Loquere.

CEL. Ne mihi molestus sis, neque me fatiges tantopere, Male affectum antea, onerare aliis miseriis velle, est stimulare animal jam lassitudine deficiens. Tam Callistonis tui morbus te ægrum habet ac si tu ipsemet ille esses, idemque tormentorum genus sustineres. Ne censeas igitur lite hac indecisa me hinc abituram, etsi vitam meam impendere usuveniat. CAL. Parmeno, siste hic paullisper, audi quid fabulẽtur illi. Videamus in quo sit Salus vitæ nostræ O mulier honorabilis; ô indigna omnia bona hujus vitæ quæ possideantur à tam celso & sapiente pectore. O fidelis, & Certissime Semproni! Vidisti, Parmeno, audivisti, Parmeno? Nonne Rationem optimè pono. Quid ais, ô Secretorum meorum arbiter, ô Consiliũ animæ meæ? PAR. Protestatus primum super innocentia meâ contra suspicionem illam qua me modo, domine, verberasti, atq; ut fidelitatis meæ dein-

ceps

ceps securior sis, cumulum meis in te bene meritis hunc adiiciam, ut quoniam sententiam meam dicere me jussisti, quid videatur exponam. Ausculta mihi, ne te surdefaciat Affectio, neque Exspectatio voluptatis occæcet. Tempera cupidinem animi tui, neque festines nimium. Multi scopum tangere solliciti, ipso omnino proposito pariete ictum aberrarunt. Quamquam pauci mihi anni sint, satis tamen rerum humanarum vidi. Iudicium interius, & multarum rerum usus visusque faciũt prudentẽ experientiã. Quia te vel vident vel audiunt scalis descendentẽ hunc sermonẽ exorsi sunt; omnia ista ficta mente & rebus tuis accõmodatis verbis elocuti sunt. Vide quid rerum geras qui in falsos sermones finem desiderii tui collocas. SEM. Scelestè sonant illa Celestina, quæ Parmenonẽ audio dicere. CEL. Tace sis. Mihi illum sine: Ego de nobis unum illum facile efficiam, & ad nostras partes traham. Sit commune tribus nobis lucrum, quod ex hoc negotio ad nos redibit. Bonum quodcunque nõ participatum aliis, bonum certe non est. Lucremur junctim, dividamus prædam, Gaudeamus simul. Ego tibi illum mansuetum adeoque blandum sistam, ut panem de manu mea ore carpat. Erimus duo cũ duobus, &, quod dicitur, tres ad unam mulam. CAL. Sẽproni. SEM. Here. CAL. Quid facis ô qui clavem vitæ meæ tenes? aperi. O Parmeno, jam eam conspicor, sanesco jam, vivere redordior. Vide quam verendum instar quam reverenda auctoritas! *Vultus exteriora* aspectu & sconsideratio quam bene interiorẽ virtutem manifestat! O honoranda Senectus, ô Senilis Honor: O gloriosa spes desiderati finis mei! O finis gloriosa desideratæ Voluptatis meæ! O Salus ægri-

tudinis meæ! *Resumtio* de torm̃etis, regeneratio mea, vivificatio Vitę meæ, Restauratio de morte mea; quã cupio cõplecti q̃ exosculari beatas illas & remediorũ meorũ cõpotes *manus*! Indignitas mea hoc nec patitur; hinc eminus adoro terrã q̃ vestigia tua premunt, & cum veneratione tui illã exosculor. CEL. Semproni, de talibus ego vivo. Ossa quæ jamdudum ego corrosi, fatuus tuus dominus mihi comedenda propinat. Verum processus & exitus rei arbitri fuerint. Dic tu illi os jam claudat, marsupium aperiat. Non de verbis ego sed de operibus dubito. PAR. Infelices aures quę talia audiunt. Periisti miser, si intrat. Iam periisti. O infortunate Callisto, amens, cæce; in terram usque se dimittit adorabundus vilissimum omnium quantũ super eã vivit, prostibulum; cujus abominabile corpus nullum non lupanar distrivit! Confectus es, victus es, cecidisti, Nullo jam remedio, nullo consilio, nulla virture redimi potens. CAL. Quid erat quod mater dicebat? Videtur mihi innuere dubitationem de mercede operæ suæ, & velut verbis non pecunia ego eam compensaturus sim! SEM. Ut ego intelligo CAL. Veni igitur mecum: Sume claves, ego illam illi dubitationem eximã. SEM. Optimè facies, illicet eamus. Non detur spacium lolio crescendi inter tritici sata, nec suspicioni in corde amici; quin eradicetur illico alicujus beneficii sarculo. CAL. Prudenter admonuisti, eamus propere.

CEL. Admodum mihi gratum accidit, Parmeno, datam nobis occasionem colloquendi, ut tibi indicem singularem adfectum quo tibi bene cupio; quamque immerentem te diligam. Immerentem dico, quia audivi omnia quæ hero modo dixisti, quæ

tamen

tamen ipsa magni nõ facio. Virtutis enim solidæ posſessio pati nos tales insultus æquo animo jubet, neq: malo malum rependere, præcipuè cum ab servulis, adolescenti ætate nobis ægre fit, quique in rebus quibus nunc vita vivitur, minime sunt astuti subactique. Hi quippe stulta quadam fidelitate ipsis suis dominis malum pariunt, & se ipsos cum illos perdunt, velut tu modo cum hero tuo te gessisti. Optime omnia tua dicta audivi, neque censeas cum cæteris ab exterioribus sensibus etiam auditum mihi annorum longam seriem abstulisse; Ego non solum ea plane percipio quæ extrinsecus sensibus obiiciuntur, ut visui & auditui, sed & oculis intellectus & auribus Prudentiæ intus bene munita, quid meditetur quisque facile cõjicio. Scias, Parmeno, Herum tuum ab Amore male habere. Neque ideo tu illum subtilitatis arguas; Amor quippe, ipse insuperabilis, facile omnium rerum victor evadit. Et scito, siquidem hactenus ignoras, duas conclusiones esse certissimas. Prior est. Necessario virum amare mulierem, & mulierem virum. Altera; quod is qui verè amat turbetur aliquo pacto, propter Voluptatem summam omnium maximę delectationis, quam insevit universo humano generi Creator optimus Maximus, ut per hanc perpetua successione id continuaretur, alioquin brevi intercisurum. Neque hæc vis voluptatis solis hominibus divinitus addita est, verum pariter etiam cæteris, ad genus suum cuique, animantibus: Piscibus, puta, bestiis, quadrupedibus, Avibus: reptilibus. In genere etiam creaturarum vegetabili, *plantarum nonnullæ huc eodem* inclinant, modo non longis à se spatiis dissitæ sint,

nec arceantur medio aliquo impedimento. Vnde & herbariorum & Agricultorum scholæ sexum huic etiam generi asscripserunt, in masculos eas & fæmellas distinguentes Quid ad hæc dicere habes, Parmeno? Insipidule, fatuelle, huc te verte, simplex rusticelle qui nihil nosti eorum quæ in vita dulcia sunt & lepore pulcro amabilia. *Sed si ego te mihi aliquando applicavero*, utcunque anus vetula sim mala morte peream si cum tota ista tua austeritate qui vocem raucam habeas, pungentem barbam, tranquillum in sede sua servare poteris micronem illũ ventri tuo subditum. PARM. Vt caudam Nepæ. CEL. Immò pejorem etiã Illa enim sine inflatione icit, tu spatio novem mensiũ Voluptate tua inflatam teneas. PAR. hi, hi, hi. CEL. Rides tu, fili, *mala hac ægritudo* est. PAR. Tace, mater ne me tu despicias, neque pro fatuo habeas etiamsi adolescentibus annis sim & servili condicione. Amo ego herum meum, cui fidelitatem debeo, qui me educavit, innumeris beneficiis affecit, etiam non parvi me & ministerium meum facit, optime mihi vult, optime consulit. Hoc est maximum vinculum quod Amori domini fidelem famulum adstringit, si quod ipsi contrarium, & nociturum videt, abrumpit & rejicit. Video illum perditum neque damnosior res est quam desideriis suis obsequi sine spe boni exitus, Præcipue quando confidit remedium invenire posse rebus arduis atque difficilibus in vanis consiliis & stultis persuasionibus bruti istius Sempronii, Quod tantumdem est ac bove leporẽ venari. Non possum ego hæc pati, dico istud & defleo. CEL. Parmeno mi, nõ vides insignitam esse stultitiam deflere illud quod fletu corrige non potest; PAR. hac ipsa de caussa ploro ego

ro ego. Nam si plorando domino meo hactenus sub venire potuissem, vel & iam possem, tam grandis voluptas hujus Spei esset, ut impedientibus gaudiis nequaquam flere valerem. Nunc omnem spem remediorum perditam habens, perdo omnem etiam hilaritatem animi, & perpetuum fleo. CEL. Defles sine successu id quod nullo planctu impedire poteris, & hoc ipsum, si sapis, sanare ne præsumas. Et tale quid nemini alii contigisse censes, Parmeno? PAR. Scio multis. Sed herum meum tali miseria confici nolim. CEL. Non conficitur jam ex hinc, quamquam fuerit hactenus talia passus: Ego ipsũ curare possum. PAR. Non tangunt animum meum pollicitationes istæ. Beneficium non verbis aut valentia, sed opere atque actu præstatur. Malis rebus potius est posse quam facere, Bonis contra; non aliter quam melius est esse sanum quam fieri posse, & præstat posse miserum esse, ipso actu. Et sic melior est potentia mali quam actio. CEL. O miselle; quomodo perplexa narrasti, neque tute quid dicas scilicet nosti. Tu nescis quæ sit ejus infirmitas? Quid dixisti hactenus? Quid deploras? Igitur apage ludum & dic pro vero, quod falsum est, & crede quod cupis: Ipse actu ipso malè affectus est; Posse ipsum sanum fieri in manu flaccidæ & futilis hujus vetulæ est! PAR. Potius dicas vetuli hujus prostibuli. CEL. *Prostituaris tute*, asine. Et unde hæc tibi audacia est? PAR. Vnde te notam habeo. CEL. Quis es tu? PAR. Parmeno filius Patris Alberti, ut vocant, Compatris tui, qui parumper olim tecum fui, datus tibi servitum à matre mea cum ad fluminis latus isthic prope Cryptã habitares. CEL. Iesu, Iesu, Iesu & tu es Parmeno filius Claudinę? PAR. Certè ego. CEL.

 Ergo

Ergo malo igne deflagres, tam prostituta vetus meretrix mater tua erat quam ego nunc sum. Cur me persequeris Parmeno? Ille est per omnes Sanctos, ille est. Accede, confer te huc: Mille tibi pugnos duxi, millies te virgis concidi; sed & totidem vicibus suaviata sum. Meministine cum ad meas pedes cubares? PAR. Optime equidem, & quanquam puer adhuc forem, sæpius ad cervicalia me sublevabas & ad corpus tuũ premebas, ego vero cum vetulam capram oleres, amplexus tuos fugiebam. CEL. mala lepra te conficiat, & qua fronte hæc edixisti, impudens? Seponamus jam ludos istos & verba jocularia, audi tu fili mi, & ausculta. Quamvis enim alio fine vocata sim *alio venerim*, nõ tu tamẽ caussa sis ut minus quod cupio efficiam. Nosti etiamnum, fili, ut bonæ memoriæ, mater tua te mihi quondam obtulerit, vivo adhuc patre tum tuo. Quæ cum à me aufugisses, non alia de caussa finem vitæ dedit quam anxietate de fortunis tuis, & inscia quo locorum viveres, neque an superstes adhuc esses quicquam certi habens; eam propter absentiam tuã & ignorantiam suam aliquot annos Senectutis suæ magno mærore & animi mœstitia confecit. Cum vero jam hinc migratura esset, mortemque imminere certo videret, accersivit me, & secretum animi sui mihi credidit, mihique onus velut hoc imposuit, absque omni quidem teste, præterquam eo solo qui omniũ cogitationum & operum inspector atque judex est, qui scrutatur omnia cordium penetralia, cum ipsis visceribus hominum, quem ipsum inter se moritura & me, conscium, ultimorum suorum verborum testem posuit, mandans mihi te quærerem, indagarem

rem,&velut è tenebris in lucem reducerem; cumque
jam virilitatis annos attigisses, & in eo esses ut vitæ
tuæ gubernandæ præesse bono judicio valeres, tibi
aperirem thesaurum quemdam reconditum, quem
illa certo loco inclusisset, tanta copia auri atque ar-
genti, tantis divitiis uberem, ut nequaquam o-
mnes Callistonis reditus cum eo comparari pos-
sent. Quod quoniam sanctè ipsi promisi, meque
hac sponsione onere hoc aggravavi, sitque omni-
no sanctissima & necessaria res vita *functis fidem datam*
servare, magis etiam quam adhuc superstitibus, cum
illi pro se facere jam nihil possint, dum te undique
expiscari & ubi esses indagare non destiti, multum
temporis ærisque etiam nonnihil insumsi, huc qui-
dem usque, quo temporis articulo placuit illi (qui o-
mnium mortalium desideria novit, justasque optato
petitiones exitu mactare solet, piaque opera ad spe-
ratum finem dirigit) te mihi istic sistere; cum *vix ter-*
tius jam dies decurrat ex quo in urbe te hac esse ali-
cunde docta sum. Sane non parum tibi condolui
quod tantas regiones evagatus sis peregrinando nul-
libi fixam sedem habendo, neque id ullo tuo com-
modo, qui neque *nummos* neque amicitiam homi-
num excellentium retuleris, Verum esse usu exper-
tus illud *Senecæ*, Peregre viventes multa habere ho-
spitia paucos amicos, brevi quippe tempore nulli se
firma dilectione jungere possunt: Et qui in mul-
tis locis est, *nullibi est*. Pariter ut corporibus hu-
manis prodesse non potest cibus qui comestus
illico se ejicit, neque alia res sanitati magis no-
xia est quam diversitas & mutatio frequens dapium,

uti numquam vulnus cicatricem ducit in quo multorum medicamentorum vires discuntur, neq; *subiicere* se planta potest sæpius transposita: Neque ulla res tam proficua atque utilis est, ut statim ubi adest juvet, & virtutem suam exerat. His de caussis, fili mi, amove impetus juvẽtutis, & revertere sub instructione & doctrina *majorum tuorum* ad veram Rationem. Acquiesce in aliquo consilio; & in quo poteris melius quam in voluntate mea? in mea dilectione? in meo consilio? ad quod etiam morituri te parentes tui remiserunt, Et ego insuper ut vera mater tua tibi iniungo, sub comminatione maledictionis, qua dicti tui parentes tibi me commendaverunt, si ulla in re mihi non obtemperares; bene servias isti tuo hero, quem modo nactus es, eousque donec ego aliud tibi consilium dedero; Verum non istud cum stulta quapiam fidelitate, dum imaginaris tibi mobilem rem & vagam firmam esse atque stabilem, scilicet benevolentiam istorum dominorum, ut nunc illi sunt. Para tu tibi amicos, quæ res est durabilis & perpetua. His fidem serva, in horum cultu constans esto, non vives isthic in floribus, excute animo credere vanis dominorum pollicitationibus, quibus moris est exsugere peculium servis suis profundis & vanis promissionibus, instar Sanguisugæ hirudinis; educunt sanguinem miseris, conviciis, iniuriis, bene merentes affligunt, obliviscuntur fidelium ministeriorum, mercedem abnegant. Væ te cui in palatio aliquo senescendum est! Vt de *Probatica Piscina* apud Evangelistam scriptum est, de centum in illam se mittentibus, unũ solum sanasse. Horum temporum domini magis suarum rerum emolumẽto student, quam ut curam *suorum*

rum hominum habeant:neque errant sane: Ita enim & qui sub eorum dominiis sunt, facere debent. Nulla hodie virtuti præmia supersunt. Magnificentiæ nemo,nemo generosis actibus studet,Quilibet illorum misere & scelerate lucrum suum in suorum damnis quærit.Sic ergo suis artibus malitiam earum compēsare jus est eos,qui etiam cum minoribus facultatib. sint,*addere potentibus* illis coguntur, quibus ipsimet opus habent.Vivant ergo magnatum illorum& isti legibus.Dico id eum in finem,Parmeno, quia non de nihilo est quod audivi dominum istum tuum simplicium servulorum egregium *illusorem esse*, ab omnibus ministrari sibi sine mercede cupit. Vide quid agas sedulo,crede mihi,*domi ipsius amicos tibi para*, quæ res omnium in hac vitâ pretiosissima est, illum tibi amicũ esse nequaquam credideris,raro diversis statibus vivendi par amicitia juncta est,quæ æquarum personarum condicionem quærit. Casu nunc nobis oblatum est negotium, unde opulentiores omnes fieri possumus,tu quoque in præsenti re tibi consules, Cæterũ illud,de quo dixi,optima tibi fide adservatur,potiundum utique suo tempore; illud te insuper monebo, multum tibi prodesse poterit amicitia Sempronii, PAR. Celestina,totus horreo hæc ex te audiens; nescio quid faciam perplexibilem me animi fecisti. Ex una parte te velut matrem meam æstimo , ex altera Herum meum pro eo qui est:Divitias equidem desidero,verum qui injuste & scelerato animo ad excelsa evadere cupit,facilius decidit quam adscendit; nō cupio opes male acquisitas.CEL. Mihi ita animus est: *Sive bene sive male* parta sunt,quorum potiri poteris domum tuam rape;comple illam vel ad summas usque

 tegulas.

tegulas. PAR. Ego vero cum talib. nolim vitæ societatem habere; honesta mihi res semper visa est, hilaris pauperies. Super hæc tibi dico quod egeni non sunt *qui pauca poßident*, sed illi potius qui multa desiderant. Et propterea, etiamsi plurima contra inferas, nequaquam tuam in partem consensum dem. Vitam ego transire meam sine invidia volo. Loca sola & aspera sine timore, somnum sine tumultu, *injurias cum retorsione*, Vim sine dehonestatione, oppressiones cum resistentia CEL. *O fili, bene* dicunt prudentiam non inveniri nisi penes provectam ætatem, tu vero admodum adhuc adolescentulus es. PAR. maxime secura est tranquilla Paupertas. CEL. Potius est quod ego, ut provectior annis, dico, Fortunam adesse *audentibus* insuper, quis est qui in Republica humana aliqua bona possidet, qui vivere præsumat sine amicitiis? Postquam, Deo sit gratia, bona tenes; non tantum sapis ut scias opus esse ad illa conservanda amicis, neque cogitas familiaritatem cum isto domino tuo tam te facere incogitantem; Ego tibi dico quo major est Fortuna eo minus tuta est, *& ob id secura* esse debet, propterea etiam amicorum quibuslibet infortuniis, optimum est remedium. Et unde melius hoc tu thesauro boni potiri possis, quam ubi tres formæ amicitiarum conciliandarum concurrunt, scilicet, Propter Bonitatem, Vtilitatem, & Voluptatem? Bonitatem vide, sodes, in illo quod voluntas Sempronii tuæ per omnia concors atque similis est, considera etiam quam virtutibus tuis penitus pares sint illæ, quibus is compositus est. Vtilitas & emolumenta vobis in manu sunt, modo sitis concordes. Voluptatem

quod

quod attinet; æquum est animis vos etiam consentire, ut ætatis bonis & corporum decoribus facti estis ambo ad exemplum paris pulcritudinis, quibus quidem ambobus juventa sese magis junctim delectare consuevit quam anni jam vergentes, sic igitur parem capiatis delectationem pariter ludendo, nequitias machinando, vestitu pulcro vos exornando, comedendo, bibendo, Amoribus indulgendo, puellas ductitando. O si velles, Parmeno, quam suaviter vitam institueremus. Sempronius amat Eliciam cognatam *Areusæ*. PAR. Areusæ? CEL. ita dico tibi, Areusæ. PAR. Areusæ quæ est filia Elisi? CEL. Areusæ quæ est filia Elisi. PAR. Certum hoc?

CEL. Certo certius. PAR. mirifica res est. CEL. Sed bona ne tibi ea videtur? PAR. Non possit melior. CEL. Proinde tu fortunatus esse voles, vides hic qui te talem facere poterit. PAR. Optima fide, mater, nemini credo Ego. CEL. Culpa *est credere omnibus, error credere nulli*. PAR. Dico Credere me tibi, sed non audere. Mitte me. CEL. O ærumnose atque fatue! Ægroti *cordis est ferre* fortunæ bonitatem. Ad edentulos copia optimi victus venit: Dicas verum esse ubi minus intelligentiæ est, eo potiorem venire Fortunam. Et ubi amplius judicii & Sapientiæ, illic minus esse Felicitatis. Hæc felicitas est. PAR. O Celestina audivi ego ex majoribus meis unum exemplum Luxuriæ & Avaritiæ multa mala facere; illisque *debere nos conversari* quorum familiaritas meliores nos facere possit, eos autem vitari, qui nobis meliores faciendi sint.

Sempro-

Sempronius tuus suo exemplo meliorem me non efficiet, neque ego ejus vitia sanare cupio. Et posito ut verbis tuis morigerum me prębens, eo inclinem quo tu trahis, solus ego scire istud uolam, ut ad minimum propter exemplum occultum sit peccatum. Quod si homo voluptate victus contrarium se virtuti posuerit, numquam quid honesti audebit. CEL. Absque prudentia loqueris. Nullius rei sine socio possessio dulcis est; ne te retrahas, neque animum turbes, Natura ipsa quod lętum est sequitur tristia omnia fugit. Delectatio est inter amicos in rebus sensualibus, & speculatione mentium, Speciatim vero in recensendo & communicando negotio Amorum, & expeditiones Venerum: Hoc illa faciebat, hoc mihi dictitabat, talibus delicijs fruebamur, tali eam modo prehendebam, hoc genere dissuaviabar, sic illa me morsicabat, sic ego illam autem amplexabar, sic sese illa mihi commodam præstabat, O quales quam dulces fabulæ! quantæ qualesque gratiæ. Quam suaves ludi, qualia oscula. Eamus illuc, redeamus istuc, Veniat Musica, scribamus & pingamus dicteria, sententias, cantemus carmina, ludamus, quales cristas reportabimus! quales tibi hæ videntur literę. Iam illa in templum veniet. Cras mane domo exibit, perambulemus ipsius viciniam. Vides hic epistolam manu ipsius scriptam! Eamus noctu. Tene tu mihi scalas, custodi portam: Quomodo ille te fugiebat? vide *ninnarium*, Solam illam reliquit Revertere ad eam. Redeamus illò. Hac propter, Parmeno, misera est delectatio quæ cunque sine socio. Per fidem, qui fidibus scit illis canere amat, hæ sunt deliciæ. Cætera melius sciunt asinorum chori in prætorum spatiis. PAR. Nolo, mater,

ter, invites me ad consilia tua audiẽda cum commẽdatione voluptatum, ut fecerunt illi qui carentes omni rationabili Sapiendi fundamento, ex opinionibus suis confecerunt Sectas, involutas dulcibus venenis, ut venarentur & caperent Voluntates hominum futilium, & offuso pulvere dulcium affectuum excæcarunt oculos Rationis. CEL. Quid est ratio, stultule? quid Affectus, asinule? Iudicium, quo tu cares, hæc decidit, & ex judicii bonitate oritur Prudẽtia; Prudentia vero sine Experientia rerum non potest esse: Experientia vero esse nullibi præterquam penes senes & ætate decrepitos hominum. Vocamus idcirco *Patres*, & Patres bonis Consiliis adsunt filiis suis; Ego sigillatim tibi, quæ tui honoris & felicitatis cupidior sum, quam meorum propriorum. Et quando tu mihi hæc compensalis? Cum alioquin neque Parentibus neque *Præceptoribus* par meritis merces à quoquam rependi valeat. PAR. Totus dubito recipere consilia tam periculosa. CAL. Non vis? Dictura tibi sum quæ scribit alibi Sapiens: Homo qui obstinata cervice vituperat castigantem, insperata ruina involuetur, neque sanitatem umquam recipiet. Et sic Parmeno, expedio me negotio isto, teque tibi relinquo. PAR. Ira percita est mater mea? dubium me habent consilia ejus. Error est non credere, culpa omnibus fidem adhibere. Magis humanum est confidere præcipue isti, quæ interesse mei probat uti consiliis suis obtemperem. Audivi sæpe hominem seniorib. & majoribus suis æquum esse credere? Quid autem ista suadet mihi? Pacem & amicitiam cum Sempronio? Pax & Concordia nemini negandæ sunt; felices sunt Pacifici, & filii Dei vocati sunt. Amicitia non refugiend-

fugienda est, caritas fratres decet. Emolumentum cum paucis dividitur. Faciam ergo quod vult, obtẽperabo illi, & dicta facessam. Mater, non decet magistrum irasci ignorantiæ discipuli. Sin id faciat, raro admodum Scientia, quæ natura communicabilis est sui, & paucis omnino locis disciplinam sequetur. Hac propter ignosce mihi & impera; non enim audire te solum volo aut tibi credere, sed magni muneris loco consilia tua sequenda mihi proponam! Neque hinc mihi quippiam Sapientiæ aut Virtutis adscribas: Laudes enim & gratiæ bonis actionibus debitæ, non tam ad recipientem quam ad conferentem beneficium, pertinent. Impera igitur, mandatis tuis sub omni reverentia parebo. CEL. humanum est errare, bestiale in errore pertinaciter hærere. Itaque lætor animi, Parmeno, amovisse te telas illas araneosas ab oculis tuis, eosque expurgatos huc convertere. Sic par mihi ingenii subtilitate, Iudicii elegantia, & Intellectus acumine Patri tuo videris: Cujus persona repræsentata nunc memoriæ meæ, pios hos & teneros oculos in lacrymas solvit, quas largo imbre genibus meis descendere vides. Sæpe etiam ille, ut tu nunc, dura in contrarium argumenta defendit, verum non diu moratus, in veritatis se castra recepit. Per Deum, perque animam meam, dum modo te talia loquentem audio, & in bono proposito constantem auguror. Vtque in veritatis viam reductus sis, gratulor, præsentem illum oculis meis obversari autumo. O quanta viri species, quam pulcro & *minime fame confecto* corpore O! quod caput tam venerabile! Sed taceamus de

his

bis modo, eccum herum tuum appropinquantem! eccum & novum amicum tuum, Sempronium! *Illi te majori* opportunitate conciliatum relinquo; duo quippe uno corde vitam vivendo, magis sunt potentes ad actiones pulcras, & acutum rerum intellectum.

CAL. Dubitabam, mater, ut mea me infelicitas stipat, utrum te vivam hîc inventurus essem. Sed mirabile magis videri poterit, me vivum huc rediisse, qui tantum tormentorum à desiderii mei flammis patiar. Accipe minutum hoc munusculum de manu ejus, qui cum isto vitam tibi suam Spesque omnes in tuam deponit. CEL. Ut in aureo aliquo vase, artificiose & cum cura elaborato, manu subtilissimi alicujus Artificis, Opus sæpe superat materiæ pretium; sic splendidiores mihi, quam ipsa tua hæc magnificentia sit, Gratia & Amabilitas dantis videntur. *Et absque dubio* tam celerata munificentia effectum donationis conduplicavit: Ea quippe quæ promissa exhibere producit, speciem negantis præ se fert, & quodammodo liberalitatem suam Pœnitudine revocaturi. PAR. Quid isti dedit. Sempronii? SEMP. Centum aureos. PAR. hy, hy, hy, SEMP. Collocuta est tecum mater? PAR. Tace. est. PAR. Igitur quid inter nos fiet? PAR. Quod tu volueris, etsi obstupeo adhuc. SEMP. Proinde tace. Ego te altero tanto magis mirari faciam! PARMEN. O Deus, nulla pestilentia *magis efficax* est impedire negotium aliquod inimico domestico.

CALLIST. Recedas licet iam, mater; rem tuam familia-

miliarem cura; postea huc redito ut & nostræ opi-
ileris domui. CEL. Deus te servet. CAL. Et ille te
custodiat.

ACTUS: II.

ARGUMENTUM.

Cum Celestina, relicto Callistone, domum suam rediisset, Callisto cum servo suo Sempronio colloquitur. Cui quidem, ut adsolet eis qui enixe aliquid desiderant, omnis festinatio tarda videtur. Mittit igitur à se Sempronium, sollicitatum Celestinam super negotio consponsô: Interibi Callisto & Parmeno soli relicti mutuo sermocinantur.

CALLISTO. SEMPRONIUS.
PARMENO.

CAL. Fraterculi mei; centum aureos Celestinæ dedi bene ne feci? SEM. Vah. optime tu quidem. Præterquàm enim quod morbo tuo remedium hac pecunia redemisti, etiam maximopere existimationẽ tuã auxisti. Et qua alia de caussâ fortuna faveat mortalibus, quoque loco melius eius dona poni poterunt, quam ut eo collocentur, unde Honoris redeat & Æstimationis augmentatio? Hæc quippe summũ omnium in vita bonorum merito censetur, quæ & ipsa Præmium unicum & Merces Virtutis est; & sic pro omnibus ejus beneficiis & muneribus Honorem Deo rependimus; cum melior majorque res in potestate nostra nõ sit, Hunc uti acquiras ex maxima parte Liberalitas & Munificentia, animi generosi Comites, faciunt. Has thesaurorum in abditis locis constipa-

stipationes ; &incubationes reconditarum opum obscurant, tenebrisque & sordibus avaritiæ etiam mentes mortalium inducunt, egregiis autem laudibus potiuntur, & cælo sublimes hominum commẽdationes efferunt, beare annixæ quamplurimos Fortunæ muneribus. Quid juvat tenere id, quod tibi prodesse dum possidetur, abnegat? Extra controversiam tibi affirmo melius esse uti divitiis, fructumq; Opulentiæ capere, quàm illarum cumulos corradere atq; possidere! Gloriosa res est dare, misera recipere. Quãto melior passione est actio, tãto nobilior est qui porrigit quam qui capit. Elementorum è numero generosissimus est ignis, quoniam, uti loquuntur, magis activus est cæteris, interque orbes cælestes & iis subditos *nobilissimum locum* obtinet. Asseverant nonnulli Nobilitatem existimationem esse quæ à meritis majorum & Antiquitate familiarum proveniat. Ego dico *alienam lucem* te clariorem facere neutiquam posse, si propriam tu tibi nullam luces. Propterea ne te magnum facias altitudine & claritate Parentum tuorũ, quorum laus omnibus celebratur, sed tuapte te Virtute illustrem reddere contendas; Sic adipiscere Honoris præmium quo majus non est inter omnia bona hominẽ ab extra ornantia. Hoc nemo malus umquam dignus fuit, sed bonorum ea, qualis tu es here, merces est, à perfectæ virtutis possessione oriunda: Neque umquam ullibi Hæc invenietur quin Honos & Admiratio hominum illam sequatur atque omnibus bonis commendet. Proinde tu exhilata nunc animum virtute tuum tua, qui egregium decus Liberalitate & Magnificentia ista consecutus es. Nunc vero meum consilium est concedas in cubiculum tuum

D &quiete

&quietè paullum te reficias,cum negotium istud tuũ iis manibus creditum sit,quibus certo expeditum iri confidere potes; vides quam principium felix sit, finis ipse erit sine dubio etiam felicior. Eeamus, suadeo confestim. Plura etenim supra isto tecum colloqui cupio. CAL. Non videtur mihi bonum cōsilium, Sempronii, me sodalitate aliqua exhilarare pectus meum,cum illa sola ambulet quæ remedium malis meis quęrit;potius erit ut tu illam comiteris,illam adjuves illi opitulere,cum noris optime à diligentia illius Salutem meam pendere,tarditate pœnas augeri, oblivione desperationem me secuturam.Sapientia tu cor munitum tenes,Fideli animo, bonæ frugi servū te autumo. Hoc te modo gere ut in solo etiam aspectu tuo judicare illa de cruciabilibus meis tormentis possit, ignemque quo ego conflagro in vultu gestibusque tuis agnoscere. Hujus quidem flammæ violentia tanta est ut vix tertiam partem tormentorum meorum, & secretos animi dolores enarrare illi possim,ita & linguam & animum mihi occupatos & ferè jam consumtos destinet: Tu instar ejus qui liber his sit omnibus malis,laxare fræna orationi poteris,& rē omnem illi edicere.SEM. Cupio ire, here, completū quod mandasti,cupio & tecum isthic manere;ut sollicitæ menti tuæ angorem eximere possim. Timor tuus mihi cordolium facit,solitudinem tuam consolari velim,Consilium capere cum obedientia mādati tui volo quæ ire me jubet & Celestinam officii sui instigare:At quomodo ibo? Solum te relinquam? At tu quando solū te vides,insaniētis verba loqueris, suspiriis,gemitibus, male te habes atq; animum tuum adfligis,lucem times,Obscuritatem sequeris,solitudinē

quæ-

quæris cum finem dare ejulatibus & mentis cruciatibus Decebat, tu novos modos, novas caussas, doloribus quæris, & cogitando malum aggravas, talibus quidem modis, ut si angorum & dolorum non desinas, aut immoriere planctibus, aut mente movebere. Ei rei remedium aliud præsentius non habes quã ut semper tecũ sit qui joculares sermones moveat, cantiones ridiculas, versus lepore amabiles, dicteria falsa, historias suaves, fabulas venustas, recenseat, ludant coram, pingant, Scribat, fingat, omnia genera, omnes modos avocandi animi exquirat, ne dedas te atque implices obscuris illis cogitationum torminibus, quibus primi cum Amoribus tuis colloqui Scæuitas te externavit. CAL. fatue non nosti pœnã & dolores leviores facere, caussam illorum semper deflere? Quâ dulce est mæstitia victis quærimonias tristitiæ suæ nectere? Quantũ malis demunt, quantũ respirationis animo ægro afferunt fracta & imitus evulsa suspiria? Quantũ doloris furias sistunt atq; concidũt lacrymis uberantib. expressi gemitus? Quantum est qui malarũ rerũ consolationes litteris mandarũt, õn aliis reb. majorẽ vim adscripserũt. SEM, Lege quæ apud eosdẽ sequuntur, verte paginas aliquot librorũ taliũ, invenies ab iisdẽ scriptum, ꝙ confidere rebus tempori obnoxiis, & quærere materiã tristitię, æquale sit genus stultitiæ. Et *Macias* ille; idolum amantiũ illud, de oblivione, quod illius oblitus foret, conquerebatur in contẽplatione. Hæc est Pœna Amoris; in oblivione remediũ malorũ est; fuge *dirigere calcẽ contra stimulũ*; finge hilaritatẽ & Consiliũ, ita eris & hilaris, & malũ bonis auspiciis conficies. *Opinio sæpe* res mortaliũ pro lubitu quo vult trahit, nõ ut veritatis constantiã

mutet, sed ut dominetur judicio nostro, *sensusque* nostros transversos auferat. CAL. Semproni, quoniam solitudine mea tantopere afficeris, voca Parmenonē ut mecum maneat, tu uti hactenus fuisti, in posterum quoque bonæ frugi sis, *in servitio enim servi* Domini præmium vertitur. BAR. Ego hic sum, here. CAL. Ego vero hic non sum, cum te non video. Nusquam tu ab illa secedas, Semproni, nec mearum rerum obliviscaris; sic cum bono Deo vade quo iussus es. Tu, Parmeno, quid tibi videtur de isto quod hodie hic negotium gestum est. Grandis est dolor meus, Melibea alti animi, Celestina sapiens & bona Magistra talium expeditionum. Non possumus errare. Tu mihi eam approbasti cum universis tuis hostilibus in illam sermonibus: Ego tibi fidem adhibeo? tanta est vis veritatis ut inimicorum etiam linguas quo velit obnoxias imperio suo trahat. Et ita, cum talis illa sit qualem tu mihi depinxisti, malo illi dare centum aureos quā alteri alicui quinque. PAR. Adhuc ploras? Nos plangimus & tristamur, illi jam opiparum prandium de liberalitate hujus domi istius anus instructum degluttiunt. CAL. Igitur quid tibi videatur, Parmeno, scire desidero, ne avertas vultum tuum, ne caput aliorsum declines, verum ut tristis est invidia, Męstitia sine lingua, plus apud te valeat voluntas ipsius quam timor meus. Quid dixisti, fastidiose? PAR. Dico, here, melius collocari posse magnificentiam tuā in donationibus & servitiis Melibææ præstandis, quam quod illam ditas quam qualis sit ego optimè novi, & quod amplius magisque dolendum est, tuo ære te isti monstro captivum facias. CAL. quomodo captivum, fatue? PAR. Quippe ei *vendis & addicis libertatem* tuam,

cui secreta tua participas! CAL. Fatuus iste dicit tamen aliquid. Volo scias, Parmeno, quod quando ingens differentia est inter eum qui rogatur, & rogantem ipsum, vel propter gravitatem obedientiæ & Imperii, vel propter status excelsitatem & generis obscuritatem, uti nunc est inter me & istam meam dominam, necessario arcensendus est *Medius*, qui de manu velut in manum porrigat petitionem meam, donec ad aures ejus veniat, qua cum ego loqui secunda vice ut possim, plane inpossibile habeo. Quod cum ita sit nunc dicas velim an factum meum probes? PAR. Probet id Malus Dæmon. CAL. Quid dicis? PARM. Dico, Domine, num quam unum errorem errari solū. Et ut vulgo dicitur, unum inconveniens portam aliis mille sequentibus aperire. CAL. Dictum ego probo quorsum autem à te usurpetur, non intelligo. PAR. Here caussa, quod tu hortum his diebus Melibeę intraveris, fuga erat Falconis tui, Introitio illa horti caussa quod illam videris & allocutus sis. Allocutio illa & conspectio generaverunt Amorem, Amor tua tormenta parit, Tormenta illa judicium & mentem te tuam cum animâ ipsa & omni substantia pessumdare facient: Et quod pejus cadet, bona tua venient in manus *ardelionis* istius anus, quæ plus tribus jam vicibus publice sub carnifice *infamia notata* est. CAL. Perge, Parmeno, optime est, placet hoc magnopere, quo tu enim magis illam diffamas eo mihi melior videtur. Convenit certe tibi mecum; dic quarta etiam vice infamiæ notam ferat. Bene sapis tu, absque dolore fabularis; non tibi istud dolet, sed mihi. Parmeno. PAR. Malo, here, iratus mihi conuitiere, quod tibi non placentia proferam, quam Pœnitentia ductus

Fidem meam damnes, quodque bono consilio tibi non adfuerim. Perdidisti enim jam Libertatis tuæ titulum quando voluntatem tuam in captivitatem dedisti. CAL. *Fustes quærit* iste verbero. Dic scelerate serve, cur *maledicis illam* quam ego adoro? Et quid tibi de honore aut Existimatione cognitum esse potest? Dic mihi quid est Amor? In quo consistit fidelitas servilis? At mihi te pro sapiente venditas. *Nescis primum ad stultitiam* gradum esse videri sibi quem sapere? Si tu quicquam ardentissimi hujus ignis sentires, quo sagittæ Cupidinis misero cor mihi transfixerunt, aliam aquam, quam suffunderes incenso animo, quæreres. Propinquum me Sempronius saluti meæ pedibus suis fecit, tu removes altero tãto longinquius lingua tua vanisque sermonibus: Fingebas te fidelem, effarctus eras mendaciis, receptaculum malitiarũ, ipsum habitaculum es & domus propria Invidiæ, qui infamando anum istam sive verè sive falso Amoribus meis diffidentiam iniunxisti, sciens istam meam variã mœstitiam & fluctibus marinis pares animi turbas, ratione minime regi posse, non quærere admonitiones, carere consilio. Et si aliquis tale quid illi' afferre voluerit, minime ex fundo ipso malum curet, quod tolli nisi visceribus ipsis, quibus ad fixum est, minutatim dilaceratis, non possit. Sempronius & abitum suum isthinc, & dem mansionem isthic metuebat. Ego utrumque jussi, nunc fero laborem & molestiã tam absentiæ ejus quam tuæ præsentiæ. Optabilius erat manere solum quam cum malo Comite esse. PAR. Domine nihili est fidelitas quam timor mali in Levitatem convertere potest: Maxime ubi servus cũ hero tuo agat quem dolor & affectio de naturali suo judi-

udicio transversim raptum distinet. Abducendum est oculis velum illud cęcitatis, ignes isti momentanei transvolent, tum cognosces amaras meas motiones meliores esse ulcus hoc horridum curare quam blādaverba Sempronii, quæ quidem materiam cibumque igni tuo injiciunt, afflant vim flammis tuis, Amorem tuum suscitant, instaurant fervorem, addunt pabulum doloribus qui eo modo non desistent prius quam in cinerem te redegerint. CAL. Tace Tace, perdite. Mihi dolendi tibi Philosophādi sic finis nullus veniat. Non feram te amplius. Iube Equum mihi parent, bene cingant, bene poliant, bene mundent omnia, Sedet Obequitare domum Dominæ meæ PAR. Heus vos, servi! Nemo famulorum domi est; Mihi hoc nunc incumbit. Certe conditio jam nostra deterior fiet, curandis equis abhinc addicetur. I. Secęde. *Male mihi consuluerunt compatres mei* &c. Adhinnis tu, Domine Caballe? Non sufficit unum Zelotypia furere domi nostræ? An & tu Melibæam peris? CAL. Producetur hodie iste Equus? quid agis, Parmeno? PAR. Eccum illum hic Domine, Sosia non est domi. CAL. Tene ergo istam *stapedem*. Diduc amplius valvas hujus portæ. Et cum venerit Sempronius cū illa matrona die exspectent, illico ego revertar. PAR. vel nūquam. Illuc eas cum malo dęmone. Ut vos dicite stolidis illis quid utile ipsis sit, nolent vos intueri odio amplius: Istum si quis nunc telo aliquo in calcaneis fixerit, plus cerebri inde exeat quam si caput ruperit. Et quid mea attinet, sine egregie te Celestina & Sempronius concipilent. O me infelicem *propterea quod* fidelitatem servo, malum hoc patior. Aliis lucro est malitia sua, ego per-

perdor quia bonus ſum. Talis eſt nunc curſus humanarum rerum. Ibo & ego communem exinde viam: quoniam video proditores vocari ſapientes, fideles fatuos. Si credidero Celeſtinæ cum ſuis Octoginta annis Calliſto me malè non tractabit. Verum hoc mihi deinceps pro ſpeculo & exemplo cum eo vivendi erit. Si dicet, Pergræcemur, Idem ego: Si domum deſtruere volet, approbabo itidem. Si bona ſua omnia flammæ inijcere, apportare ignem. Deſtruat, rumpat, confringat, damnis & excidio omnia involvat, det quæ poſſidet, Leonibus, Lenis, Ego meam etiam partem inde videbo ut abſtraham: verũ eſt enim quod dicunt, *averſo rivo* prædatum eunt piſcatores. Et *numquam* nimis canum eſt molitori.

ACTUS. III.

Sempronius Domum Cæleſtinæ venit, eam moræ accuſat. Conſultatur quomodo negotium Calliſtonis, & Melibææ confici poſſit. Supervenit in finem Elicia. Celeſtina domum Pleberii it. Manet Sempronius cum Elicia.

SEMPRONIUS. CELESTINA. ELICIA.

QUANTUM inſumet temporis capra iſta barbata? Certe cum veniret non tam tardo gradu erat. *Pecuniæ* ſolutę fractos amãt lacertos. Audi, Celeſtina, parum equidem promoviſti. CEL. qua gratia huc venis, fili. SEM. Ægrotus iſte noſter neſcit quid petat, ipſe ſibi non ſufficit, manibus ſuis iratus eſt, quod adſtrictio-

ſtrictiores ſint videlicet, Timet negligentiam tuam, ſuam avaritiam accuſat, & parcitatem quod amplius pecuniæ tibi non obfuderit. CEL. Non eſt res magis peculiariter propria ei qui amat quam impatientia, Omnis mora illi tormentum eſt. Nulla nec minima quidem talibus tolerabilis eſt; primo momento ad effectum ducere cogitationes ſuas volunt: Prius cõcluſum volunt videre negotium quam incipi poteſt, Precipue autem novitii iſti amatores, qui ad quodvis Terriculum evolant, ſine conſilio, ſine perpenſione damni quod hamus deſiderii ipſorum attrahit mixtũ confectioni & exercitio deſiderii ipſorum per ſervos, alioſque homines quibus in negotio iſto utuntur. SEMP. Quid de ſervis dicis, videtur ex ſermone tuo concludi poſſe damni aliquid ex præſenti negotio ad nos redundaturum? velut ſcintillæ ab hoc igne reſilientes nos cremare veniant? Potius ego malo Dæmoni relinquam Amores illius ut primum hinc mali aliquid eruperit, nequaquam ego ipſius ſervitium morabor, nec ſalem ejus deinceps lingam. Melius eſt ſervitium hoc perdere quam uti id ſerves, vitam impendere. Tempus me, quid facto opus ſit, edocebit. Certé priuſquam cadet univerſum, indicium futurę ruinæ dabit; ut inclinare ſe ante caſum ędificia ſolent. Si idem tibi animus, eſt, mater, nos nobis â damno caveamus, cętera, uti poterunt, cadant. Si eam hoc anno non tenebit, potiatur altero, ſi neq; hoc, plures effluant, ſi neque ſic, numquam per nos quidem. Non eſt res tantæ initio difficultatis, quam tempus faciliorẽ & tolerabilem non faciat. Nullum vulnus tantum majorum dolorum fert, ut non cum tempore eorum vehementia ſubſidat. Nulla voluptas tam dulcis cui-

piam obtingit ut non amaritudinem temporis longitudo illi invehat. Malum & bonũ, Prospera, Adversaque Fortunæ, Gloria & Dolor, omnia cum tempore perdunt vim quam initio ubi contigere cuipiã, habuerunt. Proinde quæ mortalibus admirationi accidunt, quæque sunt longe ante desiderata cum in potestate fuerunt, oblivioni data, transeunt. Singulis diebus novæ res visui & auditui obveniunt, has transimus, pone nos relinquimus, Tempus adedit, dies consumit, & ut obvenire eædem denuo posse videãtur, efficit; æstimationem atque admirationem illis omnem demens. Quantumcunque admiratus fueris cum quis dixerit, Terra concutitur, aut aliquid simili modo Pavefaciens, cum dictum erit, oblivisceris: Pariter si audies, Flumen mirifice se effundit, Cæcus hic hactenus, jam videt; mortuus est pater tuus, Cecidit fax Cælo, Granata devicta est, Rex hodie urbem hãc intrabit, Turcorum exercitus deletus est, Cras Eclipsin Sol patietur, Pons iste elevatus est, Iste jã factus est Episcopus: Petrus furto sua omnia amisit, Vnius suspendit sese; quid mihi dices? præter hoc quod tribus diebus elapsis, aut si denuo ei obvius fueris qui nunc tanta tibi narravit, nemo jam superit cui mirabilia omnia ista videbuntur? Omnia hujusdem cõdicionis sunt; omnia eodem hoc modo transeunt, omnia oblivioni se mancipant, omnia à tergo nobis manent. Sic itaque exit & Amor hic heri mei, quo longius ibit, eo magis imminuetur, Longa consuetudo feritatem omnium dolorum mansuefacit, In nihilum redigit & consumit omnes Uoluptateis, communia & usitata facit omnia miracula. Vtilitatem lucrumque nostrum inhiemus dum malum apud illũ

fervet,

fervet,etsi sicco pede illi remediari possimus; quod optimum est fieri debet ; quod si id fieri non poterit paullatim illi indignitatem rei & Melibææ aversum animum rigoremque indicemus, à malo ejus cõmodum nostrum quærẽtes, præstat enim male affici dominum, quam periculo se obj icere servos. CEL. optime sermocinatus es. Tecum sentientem me habes, tuaque sententiam meam confirmasti. Verum omnino tamen, fili, necessarium est bonum Advocatũ bonumque Procuratorem laboris, nonnihil negotiis interponere, non fatigari, dum judicium pendet, ut inveniat quod caussam suam adjuvet, fingere argumenta, Rationibus compositis adesse, Sophisticis etiam strophis actus omnes instruere, ire in Ius, redire ex Iure, mala judicis verba audire nõ detrectare; præsentibus omnibus re ipsa demonstrare quanta sit officii sui difficultas, neque per ludum sese constitutum pretium indipisci? Sic certatim accurrent consultores, lites suas exsequendas offerent, non secus atque ad Celestinã nunc amatorũ chori. SEM. Fac uti lubet non n. hoc primum est negotiorũ quæ exigenda suscepisti. CEL. Primum, ais, Semproni: Paucas tu virgines. Deo gratias memini, per hanc civitatẽ videas quæ officinas ad mercẽ venundandã suã, aperuerint, quarum ego fusis non primum filũ decerpi fecerim. Cũ primum infans puella in lucem prognata est, ego nomẽ ejus in tabulas meas refero, & hoc ideo ut quot retibus meis exsilire possint, memoriã inire habeam. Et quid arbitrabere. Semproni; poterã ego victũ mihi de vento parare? Nũ quæ alia hæreditas fuit, q̃ ego adiverim? Num aliã domum, agrum, aut vineã habeo quæ me alat? *Nosti aliam substantiã* quam ego possideã

quam quę parta mihi hujus generis officiis? Vnde est quod edo, quod bibo? unde calceatui & vestitui prospicio? In hac civitate nata sum, in hac educata, honorem existimationem & famam conservavi, *uti nemo non novit* Numquid igitur nota non sum? qui vel domum meam vel nomen nęscit, eo ipso indicat peregrinitatem suam neque se ab ea excusare potest. SEM. Dic mihi mater, quid negotii habuisti cũ sodali meo Parmenone; cum ego Callistonem pecuniam promtum sequerer? CEL. Enarravi ipsi & Curam & Curæ prætium & uti nostro se Sodalitio adiungens plus lucri facturus sit, quam de stulticiis illis suis quas hero suo inculcaret, Vt sic vivere pergens inops, in perpetuis à domino injuriis, vitam degere cogatur, mutaret potius consilium nec se sanctum faceret tã vetulæ cani, ut ego essem. Vocabam ipsi in memoriã, quæ fuisset ipsius mater, qnâ de caussa non haberet vituperare institutum vitę meę, dicturus quippe mala in me meumque vivendi genus, sciret convitia illa prius quam ad me venirẽt per latus matris ipsius trãsitura, SEMP. Tanto ergo tempore is tibi notus fuit, mater? CEL, hanc Celestinam vides quæ nascentem illum vidit, & educationi ejus adjutrix perpetua fuit. *Mater ipsius & ego unius digiti unguis & articulus eramus:* Illa me optimas mearum artiũ, quas teneo, edocuit, una erat ambabus mensa, unus lectus, junctim ludebamus, deliciabamur, consilia omnia & conclusiones negotiorum nostrorum invicẽ participabamus, domi forisque, uti duæ veræ germanæ. Nullum illa nummum lucri faciebat cujus dimidium ad me non perveniret, non viverem ego toties decepta, toties irrisa, si illa mihi superstes esset. O mors, mors, quam multos

multos ſpolias chariſſimis ſuis ſodalibus! Quam multis conſilia omnia abrumpit deteſtabilis tuus ſuper viadventus! Si unum aliquem hominem paullatim vivendo ſeſe conſumentem, fini naturali non ſubducis, alios mille contra mediis ſuis diebus eximis, tempuſque decurtas: Si illa nunc ſupereſſet non ego nunc ſola, ſine fideli ſocia, huc illuc diſcurrerem ! Bene quieſcant oſſa illius, fidelis amica, optima ſocia mea erat, numquam cujuſquam rei laborem ſoli mihi incumbere paſſa eſt, quin manum manui ſuã meæ ſubjiceret, & auxilio præſens adeſſet. Si ego panem afferrem, illa cum carne aderat, ſi ego menſam ponerem, illa jam mantile paraverat. Non erat fatua, imaginoſa, faſtuoſa, ut hodie tales ſunt mulieres, Ita felix ſit anima mea ut aperto capite ad extremum uſque civitatis ambulabat, vini vitrum manu tenens, neque tota illa via quicquam mali audiebat de Domina Claudina; neque jurare detrectem; nullam tota urbe pejus vini pretia noviſſe, ut & alia venalia mercimonia. Cum putares vix eo appuliſſe quo iter inſtituerat, jã illa reverſa erat. Vndecunq; illam invitabant, ſecundum amorem quo omnib. commendata erat: numquam de quoquam loco redibat non octo decemve ferculis onuſta, unum vini congium ventre, alterum vitro in manu referens. Sæpe ipſi tres vel quatuor frumenti medimnos credebant, velut pignori grandem argenti maſſam dediſſet. Verba ipſius arrabonis aurei loco erant in omnibus tabernis. Si junctim ambularemus per urbem , quocunque vellemus, quocunque nos loco ſitim ſentire contingeret, intrabamus oenopolia, illico dimidium vini congium poni jubebat ut os aridum aliquà madefaceret, neq; propterea

pterea quisquam illi vestimentorum quid detrahebat; saltim nomen ipsius tabulis debitorum inscribebant. Si talis nunc esset filius ipsius, ita spoliaremus, quantum in me foret: herum tuum, ut ipse ne plumã quidem de tantis suis bonis sibi servaret, & nos omnibus miseriis uno hoc negotio exsolveremur. Verum Ego in partes eum meas traham, si vivo, ego eum referam in numerum meorum. SEM. Et quomodo hoc effecturam speras? Est enim nequam & astutus furcifer! CEL. Contra istum pone duos alios etiam astutiores. Dabo ipsi fruendam Areusam, erit illico nostrorum hominum. Dabit nobis spatium tendendi retia nostra sine omni impedimento, ut illos aureos Callistonem pro lubitu junctim emungamus. SEM. Igitur aliquod effecturam te in hoc Melibææ Amorum negotîo arbitraris, aut jam manum applicare potes? CEL. Non est Chirurgus tam artificii sui sciens, qui primo intuitu aut tactu vulnus consanet. Quod præsenti ego loco in his rebus video, dicam tibi: Melibæa pulcra est. Callisto stolidus & prodigus. Istum effundere multa non gravabit, neque me in eundo & redeundo laborum tædebit. Pecunia nobis veniat, maneat negotium nobis creditum quo loco poterit. Omnia possunt nummi: *Frangit rupes*, sicco pede fluvios transit, Non est tam editus uspiam locus quem asinus auro onustus non ascendat. Stultitia & Amor Callistonis sufficiunt perdere ipsũ, & nos beare. Hoc est quod sentio hoc est quod melior; tantum est quod novi de illo & de illâ Hoc est quod nobis emolumento futurum spero. Nunc domum ad Pleberium me conferam; mane tu isthic cum bono Deo: Melibæa ista quamvis celso sit animo non est prima cum

omni fastu suo, (ita Deus voluit) cui ego expectorem superbas illas & generosas, sine mente tamen, cracationes. *Delicatulæ gannitrices omnes* sunt, post cum una modo vice Ephippium dorso admiserint numquam satisfieri illis potest, nemo campus satis amplus ad desideria earum decurrenda. Marientur prius quam defatigentur. Si nocturnum iter insistent, numquam Auroram redire volent, Gallos canentes exsecrabuntur, quod diei illi vocando assentiri videantur, Horologiis mala verba ingerũt; quod horas breviores præcipitent, Astrologæ esse volunt, Capellas & Septemtriones amant, Iam cum vident prodire Iubar primæ diei, anima ipsis de pectore simul proditura videtur; Claritas solis tenebras cordibus ipsarum inducit: Hoc iter ego ambulando numquam satis defessa fui, numquam fatigatam sensi, Nunc quoque, quantumvis vetula sim, Deus novit quam bonæ frugi sit Desiderium meum: Quanto magis estas cẽseas, quæ fervent sine igne? libertatem suam primo amplexu vendunt, Rogant rogaturos, Tormenta non magis inferunt quam patiuntur: servas se eorum faciunt quorum erant modo Dominæ. rumpunt parietes, aperiunt fenestras, fingunt infirmitates, portarum obices & sustentacula ferrea oleo inungunt, ut sine stridore & strepitu aperiri valeant: Non possum tibi minimam partem enarrare plurimorum facinorum quæ illas facere cogit dulcedo remanens de primis suaviis illius quem amant. Hostes sunt mediorum Amoris temporum; Subito ad ultimos ejusdem terminos transeunt: SEM. Non intelligo ego ista facinora, mater. CEL. *Affirmo* tibi

omnes

omnes mulieres aut perdite amare eos à quibus diliguntur, aut summo eosdem odio prosequi. Ita fit ut cum volentes contemnuntur, facere non possint quin fræna terribilibus odiis laxent, Hæc ego cum certo cognita habeam, magis animi firmata domum Melibææ peto, quam si jam in potestate mea ipsam haberem: Non enim ignoro eam, cui ego nunc supplico, ad finem me rogaturam, & quamquam principio feram sese faciet, minabitur, diris invehet, ad extremũ blandietur, mulcebit me bonis verbis. Hic mecum habeo aliquit linei fili in manica, cum aliis quæ ubique mecum circumfero. ut occasionem mihi veniẽdi, quocunque cupio, conficiam, etiamsi nemo me ante hac viderit eorum hominum; nam si semel tantum loquendi mihi potestatem fecerint, jam talem escam illis obiicio, ut non possint quin ulterioribus sermonibus meis aurem præbeant. SEMP. Ego tibi suadeam, mater, bene & circumspecte te hoc in negotio geras; quando enim principio negotium claudicat vix in finem firmis poplitibus constabit, aut erigetur commode: Cogita patrem Melibææ; homo est generosus & strenuus, mater magni animi, & filiæ amantissima, tu tantum nõ ipsa Suspectio es. Melibæa illis unica est, hac male habente omnia ipsorũ bona cum Spe ipsa vacillabunt, cum hæc considero ego totus tremo; *non eas lanam lucratum* & tute redeas sine plumis. CEL. Quid, ais, plumas fili: SEMP. Vel & implumata, mater, quod sit etiam peius. CEL. Certe bona fide malum te rebus meis adjutorem sumserim si jam in eo sis ut Celestinam tu docere velis, Cum tu nascereris ego jam crustam panis comedebam: Bonũ tu Vigilem nocturnum præstares aut Speculatorem,

qui tan-

qui tantum augureris, & suspiciones omnes eventiles. SEM. Ne mireris super timore meo, mater, Cõmunis ista humanitati cõditio est, quod maxime desideras, minime securum te sui potiundi faciet: Præcipue in hoc negotio & tuum & meum malum metuo, desidero hinc lucrum, opto bonum in finem cõsilia procedere. Non tantum quidem ut cruciatu suo herus meus levetur, quantum ut ego egestate & indigentia exuar; & hoc pacto ego plus contrariorum in cidentiũ video ruditate mea quam tu, licet vetula talium magistra, & exactrix.

EL. Signo me crucis muniam, scribam lineam in aquam, quid hoc novæ rei est, Semproni! venire te bis uno die domum nostram. CEL. Tace, fatua, sine ipsum. Aliud nos negotium gerimus, quodque expediri majoris interest. Dic mihi, nemo hic est qui meã opem poscat? Abiit ancilla quæ servulum hic exspectabat? EL. Illa quidem, & ab illa alia hic fuit, quæ itidem nunc quoque abiit. CEL. Vero? & non frustra quidem. EL. non, bona fide mea, neque Deus hoc siverit: verum est dicterium; Quamvis tarde adsit, bene tamen venire, cui bona fortuna non desit! CEL. Tu vero adscende illico in supremum domus solarium, & defer huc vasculum olei serpentini, quod invenies colligatum fune quem de campo ego apportavi pridie noctu cum plueret & tenebræ spissæ forent, simul aperi arcam lineo filo plenam, inibi ad manum dexteram offendes cartam scriptam sanguine vespertilionis, subter alam illam Dracunculi quem heri exũgulabamus: Vide ne profundas aquam roris Majalis quam condiendam mihi attulerunt. ELIC. Mater nõ est eo loco quo tu dicis. Numquam tu memoriâ ser-

vas ubi res tuas deposueris. CEL. Ne me vituperes tu ob defectam senectutem meam; ne me contemnas, ne me insimules, Elicia: Ne te propterea tam magnam facias quod Sempronius tuus isthic est, me ille consiliatricem magis expetit quam te amatricem: quamquam tu illum pereas: Confer te in conclave unguentorum, & in marsupio de pelle nigræ felis facto, quo oculos lupę te injicere mandavi; invenies; affer & sanguinem hircinũ, & aliquid pilorũ de barbis ejusdẽ, quos tute illi præcidisti. EL. Cape ecca hic quæ poscis mater. Ego adscendã, sequatur Sempronius. CEL. Adjuro te tristitiarum domine, Pluto, Imperator infernalium abyssorum, Princeps Aulæ dãnatorum, Arbiter supreme horrendorum Spirituum, Præses sulfureorum ignium, quos fervens Æthnæ crater projectat, Gubernator & director tormentorum & tormenta inferentium animabus peccatorũ, Rex trium Furiarum, Tisiphonę, Megęræ, atque Alectus: Magister omnium atrarum rerum Regni Stygis & Ditis, cum omnibus suis lacubus & Vmbris infernalibus, cui paret litigiosum Chaos, subsunt volãtes Harpiæ, cum omni exercitu horrẽdarum Hydrarum; Ego Celestina tua notissima clienta te adjuro per virtutem & potentiam rubentium harum litterarum, per sanguinem nocturnæ hujus avis, quo conscriptæ sunt, per vim & potestatem Nominum istorum & signorum, quibus hęc carta exarata est, Per dirum virus viperarum istarum, unde oleum hoc expressum est, quoque ego fila ista inunxi sine mora voluntati meæ obtemperaturus, in hæc te licia involvas, in his commaneas, ne imo quidem momento discessurus donec Melibæa, prima quâ poterit occasione,

te emat,

tē emat, & isto filamēto ita intricetur, irretiatur, illaqueetur, ut quo magis istud aspiciat, eo magis sensus & cor ejus concilietur mihi, & petitioni meæ assensum effectumque det. Tu illam involvas crudo & forti Amore Callistonis, uti omni honestatis memoria projecta, totam sese mihi aperiat, & legationem mihi meam uberi mercede compenset. Hoc si feceris, quicquid tu contra volueris, me roga. Quod si non illico imperata exsequeris, capitalem me tibi inimicam pronūtio, feriam immissis solis radiis tenebrosos tuos carceres, & speluncarum abdita horrenda patefaciam, accusabo crudeli mente continua tua mendacia, comprimam atque excarnificabo diris meis verbis horrendum nomen tuum; Iterum iterumque te adjuro. Sic fidens magnæ potentiæ meæ abeo cum filamento hoc meo, cui te, uti credo, involutum porto.

ACTUS. IV.

ARGUMENTUM.

Celestina dum eo it in via secum ipsa loquitur, donec ad ostium domus Pleberii uenit. Offendit illic Lucretiam, ancillam Pleberii, quam alloquitur. Mater Melibææ Alisa, colloquentes videns, sciscitata quæ sit Celestina, intro illam vocat. Accersitur aliorsum misso nuncio Alisa. Exit domo: Celestina cum Melibæa sola relicta aperit ei caussam legationis suæ.

CELESTINA. LUCRETIA. ALISA. MELIBÆA.

NUnc cum sola ambulo caute considerabo quod Sempronius metuere dixit super legatione hac mea. *Res enim non satis* animo expensæ & considera-tæ, quamquam non raro optatum finem tangant, ut plurimum tamen incertos effectus habent intenta & pressa perpensio raro caret optimo fructu. Et quamquam illi ego talia confessa non sim, poterit evenire certe ut hic meus ad Melibæam accessus pessime axcipiatur, & ego discrimen vel vitæ ipsius subeam; vel summa cum ignominia propellar, si occidere me noluerint ut diris modis verberent, aut flagris concidant, ita amarum mihi fuerit pretium centum istorũ aureorum. Ah miseram me, quibus me plagis involui! ut diligens atque efficax alienorum negotiorum videar, me ipsam in summum periculum conjicio! Quid faciam vitæ meæ, ærumnosa! Nec retrocedẽdo lucrabor quicquam, nec persistere incepto periculo caret? Igitur ibo! Sed an revertar potius; O dura & incerta perplexitas! Nescio utrum sit melius: In audendo manifestum discrimen est, in ignavia & timore ignominiosa damnositas! Quorsum ibit bos arandi pigens? Vtraque via profundas lamas & periculosas interrupti itineris moras ostentat! Si in furto deprendar certa mors erit, vel ut bene negotium cadat, infamia publice notabor. Si retro eo, quid dicam Sempronio? Hæccine erat tua illa decantata potentia, hæc efficacia tanti negotii; hæc Sapientia, Confidentia Astutia, Sollicitudo? Herus vero illius Callisto quid dicet? faciet? cogitabit? Quid aliud quam

meras

meras apud me deceptiones esse & fraudes? quodq; ego Melibææ arcana ejus & velut insidias aperuerim ut à contraria parte plus ad me lucri rediret, ut præva-ricatrix, sim operta falsimoniis? Vel, si tã inimicæ se co-gitationes ipsi non objecerint, clamabit, vociferabi-tur, instar amentis, in faciem meam pessimis me con-vitiis diffamabit, mille malos successus excogitabit quibus consilia mea ipsum implicaverint, dicendo. Tu, exoletum prostibulum, cur tormenta mea polli-citationibus tuis majora fecisti? Falsa. perjura, lena, omnibus aliis pedes & operas habes, mihi solam lin-guam vendis? illis effectu ades, me dicteriis & fabu-bulis ducis. Omnibus cæteris remedia habes, mihi æ-gritudines doloribus cumulas: Cæteris efficax, mihi ignava atque nullius pretii es, aliis lux ex te oritur, me tenebris obscuris damnas. Et cur te mihi defloccata proditrix, ingessisti? Oblationes tuæ Spem mihi feli-cem proposuerunt, Spes distulit mortem meam: Pro-tuli vitam, meam , hilaris mihi hominis vices sumsi, Nunc, aliter cedente negotio, neque te Pænæ neque me desperatio umquam deserent. Igitur quid faciam perdita ego? Vtrobique mala fortuna vertitur! Et hic & illic infortuniam est! *Quando extremis rebus nullum est* medium, ad id quod clementuis est, sese applicare Sapientem decet. Potius offendam Pleberium, quã Callistoni injuria ero. Ibo igitur. Major ignominia est vecordiæ damnari & ignaviæ, quam malum quod periculum rei in te receptæ subeuntem te sequi po-test. Audacibus fortuna numquam defuit. Iam ostiũ Pleberii video. Pejoribus me extricavi. Cape animũ, aude, Celestina, non deficias metu? Numquam de-erunt bona verba & intercessores qui malum miti-

 gent.

gent. Omnia auguria dextra obveniunt, aut ego nihil amplius istarum artium novi. Quatuor homines mihi obviam facti, de quatuor tres Iannes vocantur. Duo de tribus Ninnarii sunt. Prima vox quã per plateam audivi bonum omen Amoribus fuit, numquã pedem impegi, ut alias sæpius. Silices ipsi quibus viæ stratæ sunt videntur cossim discedere, & semitam itineri meo facere; non me impediunt vestimentorũ laciniæ, non sentio fatigationem eundi. Omnes me salutant, nemo me canis allatravit; avem nullam atram vidi, turdum vel corvum, vel quamvis aliam talem. Et quod omnium horum auspicatissimum est, video Lucretiam ad fores Melibææ, illa cognata Eliciæ est, non erit mihi obstaculo. LUCR. *Quæ est vetula quæ* circulatorio gradu corpus concutiens huc viam tenet? CEL. Bene sit ædibus istis. LUCR. Celestina mater, bene tu venias. Quis Deus te in has regiones civitatis duxit, tibi non frequentatas hactenus? CEL. Amor meus, filia; Desidero tibi commendare, in ipsa jussit, Eliciam meam, desidero consalutare etiam dominas tuas, Matrem & Filiam, quas visitare non potui toto tempore quo ex hoc vico alio habitatum migravi. LUCR. hac sola de caussa domo tua exiisti? mirer certe, non enim ita nobis nota es, alia sunt studia tua, nullum tu ambulare pedem latum sine lucro consuevisti. CEL. Fatua tu, non satis hoc lucri sit, desiderio suo hominem satisfacere? Tamen uti ætate confecta mulieribus numquam nihil desit, & præcipue mihi, quæ alienas puellas educare cogor, eo vẽditum nonnihil linei istius filamenti. LUCR. Non de nihilo est quod ego dico, sensibus meis utor. Numquam tu quicquam sine lucello feceris; Et nunc Domina

mina mea ſenior opus talib.emtis habet incepit n. neſcio quid telæ texere, tu vero venditis, ut audio. Intra expecta iſthic ne aliorſum mercem tuam deferas. ALISA. Cum quo loqueris, Lucretia? LUCR. Hera, cum vetula illa faciem cicatrice ſignata , quæ habitabat quondam ſub crypta illâ ad latus fluminis. ALISA. Nunc minus etiam mihi nota eſt; tu enim ignotum per incognitum me docere vis. quod idem eſt ac ſi *aquam cribro cogere* velis. LUCR. Per Deum, hera, anus iſta magis nota eſt quam quæ notiſſima. Neſcio quomodo meminiſſe non poſſis ejus quam pro venefica palo publicè hic alligarunt, quæ Abbatibus puellas vendere ſolebat , & mille matrimonia disjunxerat. ALISA. Dic quo opere vitam ſuſtinet? forte ſic illam melius cognovero. LUCR. veſtimenta Odorare, Fucos vendere, pigmenta componere, alia centum talia novit. Herbaria eſt grandis, infantes curat, a nonnullis Anus Lapidaria perhibetur. ALISA. Omnia iſta notiorem illam non faciunt mihi, ſi noſti, dic nomen mulieris. LUCR. Novi certe nomen ipſius, Domina, neque infans aut Senex in tota civitate eſt qui hoc neſciat, & ego ignorem? ALISA. Cur ergo non effaris? LUCR. Pudor prohibet. ALISA. Quid ais, fatua, dic modo. Ne me irrites mora. LUCR. Celeſtina. honos ſit auribus, appellatur. ALISA. Hi, hi, hi, male tibi ſit, quę riſu me percellis, fatua, dum nomẽ abhorres dicere, propter odiũ quod in anũ iſtã habes, Nunc memoriã ſubit, nunc bonã partẽ ejus rerũ recordor: Nõ dicas plura: aderit me rogatura aliquid, dic adſcẽdat iſtuc. LUCR. Adſcende iſthuc, mater. CEL. Bona Domina, Deus cũ bona ſua gratia ſit tecũ, cũq; nobili filia tua: Ægritudines ſenectutis meis me deſtinuerũt

hactenus quo minus te visitatum venerim, uti me condecebat: Verum Deus novit penetralia mentis meæ purissimumque affectum, & verum Amorem, quem distantia domiciliorum non potest pectorib. vere diligentium eximere. Nunc & necessitas me adegit facere, quod magno alioquin desiderio cupiebã: Cum aliis infortuniis meis male nunc me æris etiam indigentia habet, aliquid ejus ut parem melius nunc nihil novi quam ut parum istud linci filamenti vendam, idque tibi attuli, docta ab ancilla tua tali tibi nunc opus esse, Pauperculum est mercimonium, non ego autem Pietate in Deum: Cape domina, & mercẽ & venditricem, si quo pacto ejus servitiis uti voles. ALISA. Honorabilis vicina & civis nostra verba tua & oblatio mercis faciunt condolere me egestati tuæ; eo quidem modo ut malim ea nunc esse tempora ut rebus tuis subvenire alio modo possem, quam redimendis ad usus meos laboribus tuis. Quod dixisti, accipio. Si mercimonium bonum est Bonum pro eo argentum feres. CEL. Talis sit vita mea, talis vita mea & Senectus mea, talis cujus ego participare bona juvavi. Delicatum filum est instar Capilli pulcerrimi, æquale, forte ut fides, lyræ, album ut gluma nivis, omne istis pollicibus meis ductum, diductum expansum, compositum, uti vides in hac tela. Tribus unciã aureis heri vendidi, ita bene sit miseræ animæ meæ. ALISA. Melibæa filia, matronam istam tu colloquio detine, videtur mihi jam diu esse quod sororem meã, uxorẽ Chremetis, visitare debeo, infirmam, ut nosti Nondum hodie eam vidi, & servulum huc misit indicatum, pejus eam, quam heri etiam habere, utque illi adsim. CEL. *Sic meus magister* mihi oportunitatẽ negotii expe-

expediundi præparat. Sic malum crescit alteri, mihi demitur. Sic decet, amice Dæmon, jam ne illi morbũ remittas, hanc autem quam cupere amotam me nosti, hinc amoliri perge. ALIS, Quid dicis, amica mea. CEL. Domina, male sit malo Dæmoni & peccatis meis; quoniam tali tempore morbum sorori tuæ intendunt, ut nõ possit, quod inter nos est, negotium pertractari. Et quid mali illam morbi tenet; ALIS, Dolor laterum, & is uti famulus, qui modo adfuit, narravit, tam vehemens, ut mortiferum metuant. Supplica Deo in precibus tuis, meâ de caussa, vicina optima, ut convalescat. CEL. Spondeo hoc tibi facturam, Domina, cum hinc abiero transibo omnia Monasteria in quibus *monachos notæ relligionis* habeo, & impetrabo ab illis una mecum precibus insistant. Etiam hodie antequam cibum caperem quater jam Deo supplicasse memini, ALISA. Igitur Melibæa, solve vicinæ huic nostræ quidquid bonum æquumque erit, ut bene contenta abeat, Tu vero mater, ignosce mihi, alio tempore amplius colloquemur. CEL. Domina, nihil hic erratum est, nihil cui ignoscere ego debeã: Deus tibi ignoscat: Bonam hic mihi collocutricem reliquisti. Deus illam sinat bene uti & frui flore ætatis suæ, flore teneræ juventutis suæ. Hoc enim tẽpus est quo delectationum omni generi, quas natura ingerit, fortuna poscit, sese animi exhilarare perpetuo decet, indulgere abblandientibus ætatis bonis. Contra, per fidem meam. Senecta nihil est præter perpetuum ægritudinem domicilium, anxietatum hospitium, stabulum infirmitatum, Nutrix est quærellarum, molestia continua, plaga incurabilis, commiseratio præteritorum, Pæna præsentium, metus & sollicitudo tristis futurorum,

turorum, vicina ægrimonia morti, casa sine tibicine & tegulis, quæ undique perpluit, baculus arundineus, qui ad quodvis onus duplicatur & cedit. MEL. cur tanta mala, mater, de ea re dicis quam tantopere videre & obtinere omnes homines cupiunt? CEL. Cupiunt satis mali sibi quisque hoc voto, cupiunt satis laborum; desiderant illuc appellere, quia non nisi vivẽdo eo pervenire possunt. Vivere aũt dulce est, & vivendo mortales senescunt, sic puer optat adolescẽtiã, adolescentia virilitatẽ, virilitas senectutẽ, senectus omnia vitæ suavitati postponit, licet eo tẽpore mille effarcta sit doloribus. Sed quis tibi, Domina, omnia malæ istius æstatis incommoda, contraria votis vota, fatigationes, Curas, sollicitudines, ægritudines, Rigores, fervores, animi anxietates, querellas, gravedines, rugatam frontem, canos capillos, auditus frustrationem, debilitationem visus, oculos umbris supernatantibus dubios, oris fœditatem, dẽtium excidia, roboris evacuationem, incessus flaccidos, longam mãducationẽ, enarrare satis valeat? Et dolor dolori, infortuniũ infortunio additur si taleis annos egestas comitatur; hæc cæteris omnib. malis pejor venit, hoc conspecto tacere reliqua velis, & velut vela tormentorum contrahere jubeas, *nulla cruditas fame* deterior umquam fuit, quantum ego sensu perceperim. MEL. Optime rationes tuas agnosco. *Loqueris tu de nundinis*, ut in iis felix fuisti, aliam tibi cantionem Dites & opulenti canent. CEL. Domina filia *cuique* in hac vita sua pars infortuniorum experiunda est. *Ad quamque* mansionem tria millia malorum passuum emetienda sunt. Opulentis & ditibus hominum Gloria & Voluptas per alios rivos & canales velut insidiantur, quas
non

nõ videant illi malis dolis atque assentationibus noxjis comitatas venire. Ille dives est cui bene cum Deo convenit. Securius est contemni quã Timeri. Quietius dormit pauper quam ei datur qui quod maximis laboribus acquisivit, ingenti cura & sollicitudine custodire cogitur, tamdem cum planctu & doloribus relinquere. Amicus meus nihil mihi simulabit aut finget, Opulento suus omnia. Me amet quispiam mei gratia, istum ejus quod possidet: Veritatis vocem ille numquam audiet, omnes illi adulantur, i sermonum gustum ad palatum illius componunt, Omnes illi invident. Vix invenies divitem aliquem qui non ultro confiteatur melius secum agi crediturum, si in mediocritate facultatum sit constitutus, vel in honesta adeo paupertate Divitiæ non divitem faciunt sed laboriosum. Non faciunt Dominum, sed dispensatorem. Plures sunt ab opibus possessi quam qui illas possideant. Multis caussa mortis fuerunt, Omnibus demunt bonos mores & Gratiam ; & nulla omnino res est magis sibi ipsi contraria. Non audivisti dici Dormierunt de more somnum suum viri Divites, & nihil invenerunt in manibus suis. Omnis opum potens decem aut amplius liberos & Nepotes habet, qui Deo pro nulla re alia supplicant, quam ut illum de medio collat. Nullam horam majoribus votis optant, quam quæ illum sepulcro mancipabit, ipsis hæreditatem ejus adjudicabit: Sic properabunt quam minimis expensis cadaver terræ tradere. MEL. Male te habet, mater, bonam tibi ætatem à tergo jam esse; vis retroverti ad priores annos? CEL. Stolidus sit viator, Domina, qui diem totum eundo fatigatus, cum ad locum destinatum vesperi appulerit

optet

optet redire præteritã auroram, ut denuo eumdẽ laborẽ exantlet. Omnes illæ res quarum possessio grata nõ est melius utiq; possidentur quã exspectantur tãto quippe propinquior est finis earum, quanto magis à principio receditur. Non est res dulcior neque acceptior fatigato quam mansio. Pariter juvenilis ætas quantumvis lætifica atque grata sit, verè senex eã non desiderabit; is autem qui ratione & cerebro caret, aliud non potest amare quam quod jam perdidit. MEL. Si propter meliorem aut longiorem vitam tale quid desiderabit; non sane absque ratione id faciet. CEL. Tam facile puer moritur quam senex, domina. Nemo tam ætate affectus est ut non possit unum vitę annum adjicere, neque tam puer ut hodie morĩ nõ valeat. In talibus parum omnino discriminis habemus, neque multo melior nostro est status ætatis vestræ. MEL. Stupefecisti sane me his sermonibus tuis, & in memoriam mihi reducunt illi, alibi te nobis visam. Dic mihi, mater, es tu Celestina quæ habitabas quondam ad cryptam illam, prope flumen? CEL. Quamdiu quidem Deo placebit. MEL. Sanè interea valide consenuisti; Bene dicitur, non frustra ire copiã dierum; ita bene sit mihi non cognoveram te, præter indicium illud in facie. Imaginabaris mihi venustior, alia nunc es, valde mutata es. LUCR. Hi, hi, hi, *Mutatus est iste malus dæmon*. Formosa erat quam Deus suus signo tam pulcro signavit, mediam faciem gladio rũpi faciens? MEL. Quid ais inepta? quid fatuaris, quid rides? LUCR. Te non jam cognovisse istam vetulam. CEL. Domina attine tu tempus ne decurrat, ego formam meam ne mutetur retinuero. Non legisti dicere Sapientẽ? Veniet dies uti in speculo te non agnoscas?

Ego

Ego vero etiam properiter admodum incanui,& duplo videor annosior quam sum. Ita tu flore tuorum membrorum delicatissimo,& ego salute animæ meæ gaudeam,ut *quatuor filiarum*, quæ matri meæ fuerunt, ego natu minima sum;vide quam non sim tam vetula uti ab adspectu æstimor. MEL. Celestina amica, sane gaudeo vidisse me te & agnovisse, neque minus mihi placuerunt sermones tui, nunc pecuniam tuam cape & cum bono Deo domum redi; ut enim conjicio,nondum cibum cepisti. CEL. O forma supra humanam,O unio pretiosissime,quomodo istuc dixisti? exsulto ego gaudio quod loquentem te adspicere datur; & nescis quid infero illi tentatori dixerit divinitatis os? Non de solo pane vivit homo: Verum est itaque non solo nos pane pasci,neque cibo solum sustineri,me præcipue,cui usitatum jam est unum vel& duos dies alienis negotiis continuos insumere, immemorem edere & bibere. Aliud ego nihil ago quã ut bonis bene inserviam huic officio vitam ipsam impendere non abnuam. Hoc studui semper, potius laborare ut alii meis servitiis juventur, quam ut meæ quieti & voluptati secura prospiciam: Nunc quoque, si dederis eloquendi licentiam, narrabo tibi quæ me caussa compulerit huc ad te accedere. Alia enim omnino est ab iis quas memorari hactenus audivisti, & talis ut *omnibus male cessurum sit silentium* meum, si sine judicio ejus abs te recessero. MEL. Dic,mater, absque metu omnes tuas difficultates, si quo remediari ego illis potero,prolixo animo tibi succurram, propter veterem jam noticiam, quæ tecum nobis intercedit,& vicinitatem quõdam domiciliorum, quæ & ipsa bonorum hominum animos invicem obligare solet.

ſolet. CEL. Meas difficultates, Domina? Potius alienas, ut dictum eſt. Meas quidem ego cum clauſo domus meæ oſtio omnes à me elimino, comedendo cũ licet, bibendo quando quid potui habeo; & in omnibus facultatum mearum anguſtiis Deo ſit gratia, nũquam mihi defuerunt unus nummus præſtinando pani, quattuor vino, poſtquam viro meo orbata ſum: Vivo enim illo non eram de his ſollicita Superetant omnia domi meæ; duo utres vinarii alter ſemper plenus, alter vacuus, numquã menſam comeſura acceſſi quin panem toſtum vino bono intinctum præciperem, cum viginti ad minimum ſorbitiunculis, propter Matricis malum, *à cena* duci conſuetis. Nunc cum omnia faciam, potum in maleparvo quopiã vitro mihi ſiſtunt, quod vix duos congios capit; Sexies quotidiè domo mihi infortunatę exeundum eſt, cum iſta canitie mea, circum tabernas vinarias ut illud impleã. Sed ego numquam moriar dum clauſis foribus domi me meæ cum amphora mea vini includere potero. Nullę mihi jam aliæ delitiæ placent, experior in me verum eſſe quod ajunt, *Panis & vinum conficiunt viam non* venitſtas aut Lepor euntis. Hoc uti commemorem nunc. Domina alienę difficultates, propter quas veniſſe huc me dixi, non propriæ meæ, efficiunt. MEL. Dic pete quod cupis, ſit cujuſcumque gratia poſſit. CEL. Puella gratioſa & generoſa, ſuaves ſermonis tui, & civilitas geſtuum hilariſſima, cum indole egregię Liberalitatis, quam erga pauperam hanc anum diſſimulare non potuiſti, eam mihi dant audaciam, ut enarrare tibi, quod injunctum eſt, ſuſtineam. Venio ego de homine ægroto, angore animi ſemimortuo, quem una ſola voce de generoſo illo ore tuo prodita, & ſi-

ta,& fidei meæ commissa, curare & restituere poteris; idque facturam ille confidit ut plurimum civilitati nobilissimæ tuæ benignitatis devotus est. MEL. Honorabilis matercula, non intelligo ego quid sibi velit petitio hæc tua, si clarius illam non enarras. Ex una parte commoves me,& ad iracũdiam provocas, Ex altera condolentem tibi facis. Non potero commodè tibi respondere, ita parum omnino de eo quod proposuisti, intelligo. Fortunata sum certè si verbis meis alicui homini Christiano, male habenti, succurri poterit: *Bene enim facere ei* qui opus habet, est Deo similem fieri. Et qui beneficium facit, si merenti facit, dum confert alii, ipse recipit, sic qui ægre habentem cum potest, non sanat, illum interficit; itaque ne desinas plenius proponere petitionem tuam, neque timore ullo impediare. CEL. Timorem omnem amisi, venustissimam tuam venustatem, Domina, conspiciens, credere quippe omnino non possum, frustra & incassum pinxisse Deum majori alium alio hominem pulcritudine, ornasse moribus gratioribus, comsisse amabilioribus ornamentis; Quin ea hoc fine fecisse ut quam pulcerrimos horum, Officinas velut Virtutum statueret, plenas Clementia, Condolentia, Misericordia, dispensatrices suorum munerũ; quarum tu cum principibus es. Igitur ut omnes communi censu homines sumus, nati ut moriamur, ita pro certo asseri potest natum eum dici non posse qui sibi soli natus sit, sit quippe hic similis brutis animantib. quorũ tamen & quędam sunt misericordiæ capacia ut de Monocerote, dicitur, humilẽ se facere erga puellas quaslibet; Et canis cũ omni impetu & feritate sua mor
suum

suum noxiorum obliviscitur, si quis humi se straverit; Hæc quadrupedum animantium Pietas est. Inter aves Gallus nihil cibi capiet quin prius gallinas suas ad communicandum eum convocet. Pellicanus pectus suum rostro perfodit, ut de sanguine viscerum suorum pullos suos pascat. Ciconiæ ætate confectos parentes suos intra nidos alunt, tanto tempore, quanto ipsi ab illis, dum implumes essent, nutriti sunt. Cũ itaque talem intellectum animantibus natura dederit atque avibus, quo pacto nos crudeliores his erimus? quomodo non participemus bona formarum & gratiarum nostrarum nostri amantissimis? Præcipue ubi infirmitatibus secretis illos involutos videmus, & talibus ut unde medicina saluti expetitur, inde origo veniat malorum. MEL. Per Deum plane mihi edicas, quis sit ille male habens, qui tam perplexo morbo captus sit, ut affectio ipsa & ejus remediũ uno fonte descendant? CEL. Non dubito, Domina, in ista civitate nostra Nobilitatis urbanæ præcipuum decus juvenem majorum suaque propria virtute, generosissimum, Callistonem nomine tibi notum esse. MEL. ya, ya, ya. bona vetula tu, nil dicas amplius, ne ulterius sermonem producas. Hic erat ille infirmus, ille male habens quem tantis verborum circuitionibus legatio tua eloqui distulit, Cujus tu caussa mortem hũc tibi accersitum venisti? Cujus gratia tantum maledicti laboris insumsisti? impudentissima capra, turpissima vetula. Quid male habet illum proditorem perditum, ut cum hac affectione adsit? De stultitia oriundum erit ipsius infortunium. Quid tibi videtur si me invenires sine suspicione de isto crasso Fatuo? Qualibus me verbis adoriebaris? Non sine caussa di-

ſa dicitur malo homini, tam mulieri quam viro, magis noxium membrum & damnificentius non eſſe quam linguam! Vt igne merito exurare, Lena falſitatibus plena, venefica, inimica omnis honeſti, tradux & conciliatrix ſecretorum criminum. IESV, Ieſu. Apage amove hinc de præſentia illam mea. Lucretiam, occidit illa me, nullam guttam ſanguinis mihi omni corpore reliquit! Bene talia & pejora etiam meretur qui tantum ſui obliviſcitur, ut monſtris iſtis aurem aliquando præbeat. Profecto ſi quod me deceret nō conſiderarem preſſius, & publicari nollem audaciā temerarii hujus balatronis, tali te modo cum iſta honorifica tua legatione excipi tractarique facerem, ut ſermonibus tuis & vitæ unus ſimul jam finis imponeretur. CEL. Malo auſpicio huc veni ſi Adjuratio mea me deſerit. Expergiſcere tu frater, (optime novi cui loquar,) ades confeſtim, omnia male cadunt. MEL. Etiam ſola tecum intra dentes fabularis coram me, ut cumules augeaſque iracundiam meam, pęnaſque tuas conduplices? Volebas honorem & exiſtimationē meam perdere, ut reſtitueres vitam homini inſano: me damnare triſtitiæ ut illi gaudium poneres? Tu lucrum in perditione mea, emolumentum in crimine meo quærere adfuſti? Peſſumdare & deſtruere familiam & honorem Patris mei ut inde tu aliquid, vetula maledicta, qualis es, commodi haurires? Cenſes nō percepiſſe me technas tuas, non intellexiſſe propoſitum exſecrandæ tuæ legationis? Igitur pro certo tibi ſciendum propono, mercedem nuncii tui, præmium legationis tuę, non aliam aliudve futurum, quam impedituram me ne res tam ſceleroſas faciendo, ultra Deum & homines offendere poſſis, vi fine hinc im-

ponendo ſceleratæ tuæ vitæ. Reſponde mihi, proditrix venefica, quomodo tãta hęc patrare auſa es? CEL. Timor tui excuſationis meę ordinem occupavit, Domina, Innocentia mea mihi audaciam dicẽdi prçſtat, præſentis tua iracundia, animum meum conturbat; & quod peſſimè omnium me afficit atque cruciat, abſque ulla cauſſa aut culpa mea tantum à te mali patior. Per Deum, Domina, ſine me orationem meam detextere, concluſionẽ ſermonis mei audias; ſic neq; ille criminis hujus inſimulati reus erit, neque ego tãta crudelitate condemnabor; videbis pariter omnes conatus meos potius ad Dei iuſſus & honorem pertingere, quam ullam inhoneſtitatem, potius ad ſanitatem hominis ægroti procurandam, quam ad infamiam medenti. Si cogitare potuiſſem Domina, de rebus præteritis tam levi motu te noxias ſuſpiciones Concipere animo potuiſſe, non ſuffeciſſet à te ipſa mihi conceſſa dicendi licentia, dare audaciam pudori meo de rebus vel ad Calliſtonẽ vel ad alium quẽvis pertinentibus verba ad te faciendi. MEL. Ieſu, ne audiam amplius mentionem huius deſultoris parietarii fieri, phantaſma nocturnũ, lemurum par, longus inſtar ciconię, trama figurę, quales tapetib. intexũtur, male pictę, male viſę, ſi nomen iſtud denuo audiendũ erit, pro mortua iſthic jacebo. Hic ille eſt qui pridiè primum me viſam, amentibus dictis allocutus eſt, admodum ſibi civilis viſus, & urbanitatis vernulæ fons tum autem amator admodum gratioſus! Dicas illi, bona vetula, cum crederet jam omnia *quæ cuperet ipſius eſſe poteſtatis*, neque quicquam jam illi negatum iri, quomodo animum inducere potuerit, non caſtiga-

tionem

tionem potius peccatis suis inferre, quam insuper stoliditatem suam publicatum adesse? Potius pro fatuo atque amente illum irridebo nunc, quam ut temeritatem hominis tam absurdi notiorem vindicta faciam! Tamen indices tu illi, plane aliorsum mentem applicet, obliviscatur Amorum nostrorum, ita poterit fieri ut de stultitiæ morbo convalescat. sin, & persistet. facturam me ut nulla umquam oratio illi tanti constiterit. Sciat deinde pro victo minime habendum *nisi qui superatum sese agnoscat*: Ego optime pudoris mei secura manebo, & ille maximè Gloriosus & ab omnibus honorabilis, stultis puto, fatuis, atque amentibus, ut ipse est. Tu vero revertere cum ipsis illius ad eum verbis: nam à me responsum aliud non habebis, neque exspectes, Vanitas enim est rogare illum cui nulla miseratio impetrabilis est; maximas pro te Deo gratias habens quod tam libere ab *his rundinis recesseris*. Bene mihi narratum est quæ sis tu, & monita super tuis sum virtutibus, quamquam nondum te nossem. CEL. fortior utique resistebat Hector ad Ilium, alias ego, etiam magis feras, edomui. Nulla vehemens tempestas diuturna est, MEL. Quid ais, inimica. Loquere ut percipi possis. Habes excusationem aliquam satisfaciendi injuriæ huic meæ, & audaciam tuam peccatumque colorandi. CELEST. Dum tu irata es, magis ego me intricem quam expediam, ita sæviter sævis: nec mirum id mihi, Sanguis enim recens minimo calore admoto opus habet ut totus infervescat. MEL. Minimo calore? Certè minimum tu appellare potes jure tuo quæ hinc viva discedere possis, & ego

quam pessime habere, debet temeritas hæc tam immanis. Quod verbum reperire tu possis pro isto tali homine quod bono meo sequi ego aut accipere valeam? Responde quoniam dicis sermonem te tuum ad finem non duxisse, & sic poterit ut præteritorum adhuc pœnam luas. CEL. Orationē à te poscere volebam de Sancta Apollonia quam illi dictum est te penes esse ; optimè facientem ad dolores dentium. Pariter Cingulum tuum quod fama est tetigisse omnes Relliquias quæ Romæ & Hierosolymis sunt. Horum desiderio & indigentiâ moritur nunc juvenis tam nobilis. Hæc caussa fuit adventus mei, verum cum in fatis fuerit hoc me modo à te excipi, patiatur ille dolores suos, pretium infortunii sui, qui tam infelicem nuntium huc miserit; Et quoniam in tanto virtutum tuarum numero Pietas locum nullum tenet, ego deinceps creditura sum profundo mari aquā aliquando defuturam. Nosti tu, neque admonitione opus habes, voluptatem vindictæ momento perire, Misericordiæ durare in perpetuum. MEL. Si ista petebas cur non expresse statim quid velles dixisti? Cur talibus ambagibus vix tandem ad propositum tuum venisti? CEL. Domina, quoniam puritas affectus mei credere me faciebat quocunq; modo quod vellem, proponerem, in malam partem nulla suspicione te ituram, Quod si debitis circuitionib. negotium non proposui, meminisse te velim *veritatis voces nullis opus* habere dicendi artificiis. Condolentia dolorum, confidentia magnificentiæ ejus, alligarunt principio in faucibus meis expressionem caussæ planiorem; tibi, Domina, cum ignotum non sit turbare animum dolorem, turbationem mentis alterare linguam,

guam, & intercludere voces, quæ perpetuo sensibus bonis & consideratæ gravitati affixæ esse debent, per Deum supplico, ne mihi culpam imputes, quodque alibi ille peccavit non in malum mihi expetat, quæ alium errorem non erravi quã quod nuncia sum peccãtis: Ne frangas filum ubi maxime tenue est, Non imiteris araneam quæ vires suas non experitur nisi in iis animalculis quas devincere facile potest; ne luant justi pro peccatoribus. Imitare potius divinam justitiam quæ dicit: Anima quæ peccavit illa ipsa morietur. Imitare & humanam cujus scitum est, *patrem numquam damnari* ob delictum filii neque filium ob delictum patris. Non est æquũ uti ipsius temeritas meã producat perditionem; quamquam, ut ego merita ejus & nobilitatem animi novi, nullo modo credidissem talia illum deliquisse, tali pœna digna admisisse: vel ut ille peccaret, ego autem pœnam subirem, neque enim aliud est officium meum quam talibus hominibus inservire? hinc vitam teneo, hinc me vestio. Numquam voluntas mihi fuit molestam esse uni, ut alteri complacerem, quamquam absente me fortasse ab invidis alia sint auribus tuis oblata: Ad summam, domina, *firmitas Veritatis ea est* ut vulgarium calumniarum venti eam concutere non possint. Ego sola in talibus pura mente versor. In tota urbe nostra paucos novi non optime mihi volentes, & servitiis meis cõtentos, Omnibus satisfacio, qui aliquid mihi injungunt, non aliter ac si viginti mihi manus pedesque ad officia essent. MEL. Non mirum hoc mihi; verè enim dicitur unum aliquem vitiorum doctorem sufficere ingenti populo hominum corrumpendo, Certe tot tantasque laudes de vanis & falsis tuis actionibus

mihi narrari memini, ut nesciam credibile sit te horum, quæ nunc dicis, gratia huc venisse? præcipue super oratione ista? CEL. Numquam ego illam recitē, & si recitem, numquam exaudiar, si aliud quid vel mille fidiculis mihi extorqueri possit. MEL. Præterita jam iracundia mea non patitur ridere me excusationem tuam, optime enim novi neq; juramento ullo, neque tormento, veritatem ut dicas te adigi posse; non enim tale quid tuæ potestatis est. CEL. Tu Domina meą es. me decet silere ad omnia quæ in me dices, tibi ego serviam, tu mihi imperes; Mala verba *tua tu munusculo aliquo emendabis.* MEL. quippe benè merita es. CEL. Si non merui verbis, nō perdidi tamen intentione animi. MEL. Tantopere affirmas ignorantiam tuam ut credere velim id quod fieri potest, ut verū sit. Volo itaq; in excusatione tua tam dubia sustineas secundum æquum & bonum sententiam, neque petitionem̄ tuam flectas ad interpretationem subitam. Non ægrà feras neque mireris præteritam meam iracundiam; concurrebant quippe duæ res in sermone tuo, quarum utraq; sola sufficiēbat animi me externare, nominare mihi tuum istum juvenem qui tam audacter alibi me allocutus est, & ejus nomine aliquid à me petere, sine majori caussa; Hinc quid oriri poterat præter suspicionem tentatæ Pudicitiæ meæ? Verum quoniam bona mente & fine omnia proveniunt, ignoscam illi omnia quæ hactenus in me deliquit, secessit enim aliquo modo de corde meo gravis istius injuriæ opinio, consideratione ejus, quod Pium Sanctumque est sanare male habentes, & remedia ægris non negare. CEL. hic quidē æger Domina, talis est, ut si illum paullo melius co-
gnitum

gnitum habuisses, nequaquam talibus verbis, alia omnia merentem esses invecta. Nihil illi fellis inest, Deum & animam meam testor, quorum utrique ejus tantumdem est: Gratiis amplius mille præditus. Liberalitate Alexander, Fortitudine Hector, indole Regia, comis, hilaris, numquam tristis, nobili sanguine, ut nosti; Equestris rei peritissimus, Efficaciam Herculis habet. Virtutes illius cæteras enarrandas aliam poscas linguam, hæc non sufficit; Summa; Divinum quam humanum potius censeas. Certe crediderim tam speciosum non fuisse Narcissum illum nobilem, qui amore figuræ suæ periit, cum ab aqua redditam diligere cæpisset: Nunc unicus illum dens ita male habet, ut numquam cesset plangere. MEL. Et quantum tempus illi est? CEL. Poterit, domina, ætatem habere viginti trium annorum, hic eccam tibi Celestinam illam quæ nascentem vidit, & suscepit ad pedes matris parientis. MEL. Non hoc te rogo, neq; opus est nosse mihi ætatem ejus, quanto jam tempore æger sit, quæro. CEL. Octiduum est, Domina, tam autem viribus tenuatus est ac si integrum annum decubuisset, remedium non aliud est quam Chelys, quã tanto lepore, tangit, versus à se cõpositos, vocis tẽperata concordia; accinens tales, ut meliores fuisse non credã, quos *Magnus ille Imperator* & Poeta Adrianus super secessione animæ suæ jã moriturus dixit. Quãq̃ ego Musicẽ nulla intelligã, sępe tamẽ visa sum tali suavitate ipsã illũ Chelyn loquentẽ cõcinnasse. Cantus vero ea est gratia, plures illi aves auscultãt q̃ illi olim veteri quẽ arbores & rupes voce sua movisse ajunt. Si hic tũ vixisset, nemo laudasset Orpheũ. Vide, domina an paupercula aliqua an⁹, qualis ego sũ, beatã se cẽ-

ſere non debeat reſtituendo vitam tam gratioſo juveni? Nulla mulier illum adſpicit quin laudet illico Deum qui tali talē formoſitate dotaverit: Si loquētem quæ audit, non amplius ſuarum rerum domina eſt, illius omnia poteſtati ſubjicere ſtudet. Hæc cum ita ſeſe habeant, tamque ego bonam cauſſam ſuſtineam, in bonam partem propoſitum meum ſuſcipias, adventum meum gratum, ſuſpicione vacuum, illi ſalutarem, cenſeas atque efficias. MEL. Quantum me ægre habent tam ſubiti animi mei motus! Cur illo mali nihil moliente, te innocente ſuſpectarum rerū, tantum iratæ mihi obſecundaſti? Verum gravitas rationis tollet à me culpam, quā propter ambigua tua verba admiſi. Vt pretium patientiæ tuæ habeas, volo petitioni tuæ ſatisfacere: Cingulum meum illico tibi tradam; quoniam vero ad Orationem deſcribendam tempus jam non eſt, exſpecta reditum matris meæ, vel ſi hoc moleſtum eſt, cras mane illam latura redi, idque quam potes ſecretiſſime. LUCR. Iam jam perit mea Domina, jubet ſecreto accedere Celeſtinam, fraus rei ſubeſt. Amplius: quam quod dixit modo, illi datura eſt. MEL. Quid ais, Lucretia. LUCR. Heia, dimittas anum, jam veſperaſcit. MEL. Igitur, mater, ne indices illi tuo, quid hic rerum acciderit, ne me pro crudeli, præcipiti, aut aliqua quā ſum, habeat. LUCR. Non mentior ego male cadet hoc negotium. CEL. Magnopere equidem miror. Melibæa Domina, dubitare te ſecretum me iſtud habituram. Ne timeas, omnia iſta pati & occultare didici, Optime video malam ſuſpicionem tuam omnia in ſequiorem partem rapuiſſe, uti ea aſſolet. Nunc cum cingulo tuo tam læto animo recedo, ut videar jam illum videre cum

tota

tota comitate sua imo pectore petitas tibi gratias dicentem ob istam tuam opem in se collatam, adeoque integrum illum & sanitati restitutum. MEL. Amplius in gratiam ægri hujus tui fecero, si opus erit, in satisfactionem patientiæ tuæ. CEL. Amplius certe opus erit, & amplius tu facies, quamvis invita etiam. MEL. Quid de invitâ dicis, mater? CEL. Dico, domina, non invitum, sed summa alacritate omnem tuum favorẽ illum recepturum, quodque omnes merito tuo tibi obligati sumus. Solutio enim maxime certa est cum maximè quem obligatum tenent. LUCR. Perfodiunt me ista verba. CEL. Filia Lucretia venias domum meam, dabo tibi lixivium egregium quo capillos rubicundiores ipso auro facias. Ne dicas hoc Dominæ tuæ, Dabo & pulverem tibi extergendo fætori isto oris tui, quod male tibi olere sensi, toto regno isto nemo alia mulier hæc parare potest, atque ego. Neque est quod pejus fœminā hoc malo dedecoret. LUCR. Deus tibi bonam senectutem cõcedat, magis his ambobus mihi opus est quam cibo & potu. CEL. Igitur quid contra me, fatua, submurmurasti modo? Tace. Non enim nosti an aliquâ in re mea opera opus habeas. Non provoces porro ad iram Dominam tuam satis jam illa turbarum dedit. Sine me negotium meũ expedire sine ire me pace tua. MEL. Quid isti dixisti, mater? CEL. Domina, optime hic nobis convenit. MEL. Dic mihi, malè me habet cum in præsentia meâ quid dicitur, cujus ego conscia non sim. CEL. Vt admoneat te de Oratione, ut describi illam cures, & ut à me discat commodam se tibi præstare quando irasceris; quia in re illud ego dictum sequi soleo: De irato recede paullum, de inimico longum. Tu vero, ira-

 ta meis

ta meis dictis, non inimica mihi fuisti, ob suspiciones tuas; Quæ quāvis tales ēt fuissent, quales tu credebas, in seseipsis non fuissent tamen malæ; Vbique enim & quotidie accidit, juvenes à puellis amore torqueri, puellas à juvenibus, viros à fæminis, & vicissim. Hoc opus est Naturæ ipsius, *Naturam ipsam fecit* Deus, Deus autem mali nihil fecit. Et huc ibat mea petitio, ut ego illam esse volebam per sese; in se laudabilis est, quoniam tali radice provenit, & ego libera pœnis quas comminabaris. Amplius verborum de hoc facerem, nisi prolixitatis fastidium timerem: Quæ tædiosa audienti, noxia dicenti, venire adsolet. MEL. Omnia bene abs te gesta sunt, & pauca loquendo iratā me vidente & multum vehementiam meam tolerādo. CEL. Domina, toleravi iracundiam tuam cum timore, cum te non sine ratione commotam viderim. Ira quippe, juncta potentiæ, fulminis loco est: ideo commotę mala verba silentio transire sive, donec penus tuorum conviciorum insumta esset. MEL. *Injungo & commendo* tibi istum Iuvenem. CEL. Domina, ampliora is meretur. Si quid obsequio meo & ministerio ipsi gratum confeci, metuo ne mora mea detegam. Nunc ad eum secedam. si tu licentiam mihi abeundi dederis. MEL. Si promtius petisses, redisses velocius. I cùm bono Deo, neque enim mihi aliquid commodi accessus tuus tulit, neque quicquam abitus feret dispendii.

* * *

ACTUS. V.

Recedens à Melibæa Celestina per plateam it secum sermocinando intra dentes. Domum suam reversa, offendit illic Sempronium, qui præstolabatur ejus reditum. Eunt colloquentes usque ad domum Callistonis, venientes videt Parmeno, & indicat hero suo. Callisto illos admitti jubet.

CELESTINA. SEMPRONIUS. PARMENO. CALLISTO.

O Conflictum rigidum, ô sapientem audaciam! ô grandem Patientiam! Quam propinqua morti eram, si insigni mea astutiâ & temporis captatione vela postulationis meæ non rexissam! O minas puellæ feritate magna: O virginem iracundam! O *Malè Dæmon* quem ego adjuravi! quod pulcre complesti omnia verba tua, per universa mea abs te postulata! Debeo ego tibi; sic iratam illam mulierem mansuefecisti, tua virtute, & tam oportunum locum orationi meæ dedisti matrem domo amovendo! O vetula Celestina, jam ambulare hilarem decet: Recordare *mediam confectam jam esse* rem cujus principium felix est! O oleum serpentinum, ô album filamentum! quomodo consensu pulcro in rem præsentem mihi adfuistis! *Vel ego omnes* machinas meas rumpam, quas exegi hactenus, aut porro etiam exactura sum, neque credidero vel herbis, vel lapidibus vel verbis. Igitur explica animum, vetula, hoc enim negotio plus ad te lucri redibit, quam de quindecim Virginitatibus quas restitues. O ma-

O maledicta vestimenta, quæ impeditis iter meum, quo minus cito illuc me sistam quo omni contentione propero, ut novis his successibus omnes meos beem. O Bona fortuna, ut tu confidentibus opitularis, & timidis contrarium spiras! *Numquam fugiendo ignavus mortem effugit.* O quam multæ mei census erraruntin expediẽdo eo quod ego modo cõfeci! Quid faciant in tam periculoso conflictu istæ recentes officiorum meorum magistræ? Quid præter amittere ima responsione apud Melibæam omnia quæ ego impetravi? Propterea bellè dicunt. Fides non agnoscunt nisi experientem Musicum; & meliorem esse talem Medicum quam litterarum consultissimum. Experientia & Usus faciunt homines eruditos, sic & anum talem qualis ego sum, quæ novit vestimenta sua sublevare, & ita vadum transire ut magistræ nequitiarũ solent. O Cingulum, Cingulum, Ego te faciam vi mihi sistere illam, si vivo, quæ bona cum gratia colloquio me admittere noluit. SEM. Aut ego oculis non bene utor aut illa Celestina est: Malus illam Dæmon juvet, uti circumagit gradum eundo tardissimè! Quid malum, secum intra dentes loquitur? CEL. Cujus gratia cruce te signasti, Semproni, credo quia ego adsum! SEM. Dicam tibi: Raritas rei admirationem gignit, Admiratio oculis concepta transit in animum, Animus indicare eã talibus signaculis cogitur. Quis umquam te vidit per plateam incedentem, capite demisso, oculis tellure fixis, neminem contra contueri, ut nunc ades? Quis te vidit intra dentes tecum sermocinantem per publicum ire, & ambulare temet ipsam stimulando, quasi qui ad prædam festinat? Vides ista omnia merito in te admirari qui te noverit.
Verum

Verum, his omissis, per Deũ dic mihi quid boni portas! Dic mihi, spem aut metum habes in sinu? A prima usque hora te hic præstolatus sum, neque melius successuum indicium habui, quam tantam tuam moram! CEL. Fili ista regula stultorum hominum non semper certa est. Alia me hora magis tardam facere poterat, & *illic relinquere nares*, cum aliis duabus naribus & lingua ipsa: Vt quo magis morata fuerim, eò carius moram luerim. SEM. Si me amas, mater, ne secedas hinc priusquam mihi istuc enarraveris. CEL. Semproni amice; neque ego me ad eam rem comparare possum, neque locus hic satis est commodus, veni mecum ad Callistonem, illic audies mirissima. Deflorem ego nunc legationem meam, multis res gestas communicando. Volo ex ore meo audiat quod ego confeci; etsi paullum de lucro ad te veniet, ego tamẽ gratiam totam mihi servare volo integrã SEM. Paullum tu de lucro ais, Celestina? non valde mihi placent hæc verba tua! CEL. Tace inepte. Sive parum sit sive multum, dabo tibi cum posces: Omnia mea tua sũt, gaudeamus, lucremur, ditescamus junctim, In dividundo communi numquam pugnabimus; & tibi, ut ego taceam, notum est, longe pluribus egere senes quam juvenes, præcipue quam tu qui ad mensam semper paratam accumbis. SEM. *Aliis rebus magis utor* quam cibo & potu. CEL. Quibus? fili. Opus habes duodecim aciculis, pileum qua cingas, fascia, arcu ut de domo in domum circumiens passeres in tectis cõfigas, fascines aviculas per fenestras; juvenculas dico, fatue, eas quæ non volant. optimè tu me intelligis; nõ enim melius lenocinium est talibus capiendis quam talis arcus qui quamlibet possit configere. Amplius

opus

opus habet, Semproni, quæ existimationem suam tueri debet, & eundo consenescit, qualis ego sum. SEM. O assentatrix vetula; O malitiæ omnis stabulū; O triparcum atque avarissimum barathrum, pariter ut Dominum meum me quoque circumscribere & decipere vult, ut saltim ipsa ditescat. Verum malè utatur male partis, non hærebunt apud illam talibus artibus parta; quippe qui turpibus artificiis ascendit in altum, citius decidit quā locum sublimem tenuit. O quam mala res est perspectu, homo; Bene dictitatur nullum animal, nullam mercem, tam difficulter cognosci. Mala vetula, malis falsimoniis oppleta est ista, Malis Dæmon me illi applicavit, E re mea esset illico fugere longe ab hac virosa vipera potius quidē, quam eam tangere. Mea hæc est culpa, Verum corradat illa saltim aliquid, velit nolit partem ego inde meam mihi promissam, auferā. CEL. Quid facis verborum, Semproni, quo cum loqueris? SEM. Quod dico, mater Celestina hoc est, quod mirum mihi non accidit mutabilem te esse, quæ ita semitam plurimarum sequaris. Dixeras mihi differre velle hoc negotium, nunc absque bona mente omnia Callistoni enarrare cupis. Nescis magni eum haberi qui aliquo ante tempore exspectatus veniat, quodque quamdiu ejus amor & morbus, tam diu emolumenta nostra crescere habeant, & se subjicere? CEL. *Sapientis est, ut res cadit, propositum mutare,* stulti persistere in stulte captâ sententia. Novis negotiis nova consilia adhibenda sunt. Non credebā ego tantopere conatibus meis fortunam responsuram. *Cauti & Prudentis* legati est facere id quod temporis opportunitas requirit. Accedit quod hujus rei patratio tempore minime abscondi pote-

di poterit. Præterea novi ego Dominum tuum (quãtum sentire datum est) liberalem esse, & aliquantum ambitiosum; amplius uno die dabit succedentibus votis, quam centum aliis, quos morbum ferendo traxerit, & ego hinc inde decurrendo insumserim: Adde quod subiti atque insperati successus alterationem animi efficiunt, animi alteratio impedit deliberationem capiendis consiliis, Et in quo poterit demereri quis nobilitatem hominis quam bonis nũciis bonorum successuum? Tace, inficete. Sine expedire hęc verulam tuam. SEM. Enarra igitur mihi quid rerum gesseris apud virginem illã generosam, dic mihi aliquas ejus voces; certe non minus hæc audire crucior quã ipsemet herus meus. CEL. Tace, inepte, alteraris tu animi? Scio quid te torqueat, potius gustum quam odorem negotii hujus habere cupis: Eamus propere: In sanire faciet herum tuum longa mora mea. PAR. Here, here, CAL. Quid clamas, fatue? PAR. Video Celestnam & Sempronium appropinquare ædibus nostris, Pausam hic atque illic facientes eundi; cum cõstiterunt charaxar ipse gladio litteris aut notis terrã. Nescio quid sit. CAL. O amentem tuam negligentiã. Vides illos venientes, & non omissis omnibus te præcipitas ad aperiendũ ostiũ. O altissimũ numen, O Sũma Deitas, quid apportant? quid novi ferunt? Cur tãtum moræ traxerunt, Iã magis desiderabã reditũ ipsorũ, q̃ malis meis remedium exspectabam! O aures meæ mæstitia pene oppletæ, parate ad audientiã vos eorum quæ vobis apportantur. In ore jam Celestinæ Cura morbi mei, & Vitæ amissio vertitur. O si per Somniũ trãsiret paullũ hoc tẽporis, ut cũ principio ipso finem ẽt sermonis ipsius hauriã! Iam pro certo habeô mor-

ô mortem meritis, non tam amarum ipsius punctum esse quam timorem quo eam in horas imminentem expectare coguntur, ejusque tristem sententiam è longinquo tremere. O tarde atque ignave Parmeno, manibus præmortuis; rumpe seram istam molestam de ostio; intret honorabilis illa matrona in cujus lingua vita mea jam posita est. CEL: Audis, Semproni; aliter jam tinniunt fides Domini tui, multum differunt hæc verba ab iis quæ ipse & Parmeno nuper super hoc negotio faciebant! De malo in bonum procedunt res nostræ. SEM: Facias igitur, ubi intraveris, tamquam Callistonem non videas, & præmittas colloquio aliquid boni. CEL: Tace, Semproni, licet enim felicissime omnes conatus mei mihi succedant, amplius tamen meretur etiam Callisto, tuaq; & ipsius, petitiones. Et plus ego etiam præmii de generosa ipsius munificentia exspecto.

ACTUS. VI.

Ingressa domum Callistonis Celestina, grandi desiderio & affectione percitus ipse, rogat quid rerum suarum, cum Melibæa collocuta expedierit. Interibi dum isti confabulantur, Parmeno audiens Celestinam omnia ad suum lucrum deflectere, obvertit sese Sempronio, omnibus ejus dictis contradicens, Reprehenditur ejus gratia à Sempronio. In finem vetula aperit omnem negotii successum Callistoni, offertque ipsi cingulum quod à Melibæa acceperat. Sic Callistonem anus relinquens domum suam revertitur, cum ea eodem ambulat Parmeno.

CAL. Quid dicis, domina & mater mea? CEL. O mi domine, Callisto, tu hic eras! O recens amator for-

tor formosæ tuæ Melibææ, nec sine ratione: Et quid præmii dabis vetulæ tuæ quæ hodie vitam suam velut venum exposuit dum tua mandata facessere studet? Quæ mulier nunquam in tam stricto se discrimine vidit, atque ego me hodie! Certe cum retro cogitationes flecto, amittunt omnes venæ corporis meæ sanguinem, & horrore velut exarescunt! Pro vita mihi nemo tanti rem pretii dedisset, quanti vile hoc & usu detritum est pallium. PAR. Tu dices quod è re tua erit. Iã exspecto ut *& tunicam tibi poscas*: Omnia ista solius tua erunt, & ea quidem talia ut ne ulli partem ex promisso date cogaris, scilicet: Pellem mutare quærit anus; tu & nos & horum nostrum emungere ades. Non interturbes sermonem hujus, Semproni, videbis ipsam argentum non petituram ne partem nobis, uti spopondit, inde cedere opus habeat. SEMP. Tace, desperate nebulo. Si Callisto te audierit, occidet ex templo. CAL. Mater mea, aut contrahe orationem tuam, vel ensem hunc cape & interfice me, PAR. Tremit iste malus Genius non aliter ac si venenum aliquod eduxisset, non potest se sistere in pedes suos, Linguam ipsi suam mutuo dare cupiet, ut loqui eo citius possit. Non diuturna hujus vita est, lucrum nos de amoribus istis lucrabimur. CEL. Ensem, domine? Et quorsum? Ensis malus male perimat inimicos tuos, quique male tibi volunt, Ego tibi vitam datura veni, cum optima spe voti tui, has ego tibi porto ab illa quam amas tantopere. CAL. Spem optimã dicis, Domina? CEL. optimã merito appellare possum, cum porta reversioni meæ sit aperta, & optatior ego illi detrita atq; exoleta hac tunica veniam, quam alia quævis Serico & auro netili induta. PARM. Sem-

proni, tantopere me commovet malitia hujus anus, ut factu impossibile putem diutius eã loquentẽ pati; studio tunicam suam inquinavit. SEM. Taceas per Deum aut te hinc in maximam malã crucem ejiciet; quod si illa vestimenta sua fraudulenter rupit, bene fecit; nam melioribus *opus habet*. PARM. Ista vetus venefica volet uno die omnem suum habitum mutare novis vestibus, quantum pretii alioquin quinquaginta annis non corraserit. SEMPR. Hoc omne illud est cujus gratia te increpo. PARM. Ferre possum rogare illam & mendicare, & emungere herum, sed ut omnia suo unius commodo, pati nequeo. SEM. Non est alii vitio obnoxia quam quod suum saltim commodum quærit, avaritiæ dedita. Verum permitte illã domũ suã effercire, farciret postmodũ & nostrã, aut malo auspicio umq̃ nos cognoverit. CAL. Per Deum domina enarra mihi, quid rerum agebat? quomodo intras? quomodo vestita erat? qua parte domus illam offendisti? quo te primum vultu conspiciebat? CEL. Eo vultu, domine, quo solent feri tauri eos intueri qui acutas lanceas vibrant in venatione, aut quo silvestres apri canes, á quibus miris modis fatigantur. CAL. Et hæc tu signa salutis autumas? Dic igitur qualia mortifera erunt? Non certe ipsamet mors Quæ quidem refrigerii loco mihi erit in talibus tormentis, quæ majora ipsa illa sunt & pejus me habent. SEMP. Hi sunt illi ignes præteriti & obliterati, quos promisit, Domini mei! Quid hoc rei est? Non erit tam patiens sui herus noster ut audiat hoc quod semper desideravit! PAR. Et quid taceam ego, Sempronî? Quod si te audierit herus noster, tam tibi malum paratum

erit

erit quam mihi. SEM. Malo igne conflagres, tu dicis ea quæ incõmoda & noxia omnib. ſunt, mei ſermones neminem offendunt: Intolerabilis peſtilentia & mors ſubita te conſumant, rixoſe, invidioſe, maledicte. Et hæc eſt illa amicitia quam Celeſtinæ & mihi tu conſpondiſti? abi iſthinc in maximam malam rem. CAL. Domina & Regina mea, ſi non vis deſperantem me facere & ut anima mea cum damnatis ad æterna tormenta hinc abeat, dum talia ex te audit; certiorẽ me redde brevibus, legatio tua glorioſa an bono fine ceſſerit, & an mutata in melius durities, cujus vultũ modo narraſti, ſpem mihi vitæ reliquam ullam fecerit? Hæc enim quæ adhuc ex te audivi potius odii quã Amoris indicia ſunt. CEL. Maxima admiratio apibus melli legis exinde apud mortales prognata eſt, quod ſecretis artificiis favos conſtruentes omnia quę contingunt meliora efficiunt: Has imitari decet homines cordatos; Hâc eadem ratione indignationis & iracũdiæ plenas Melibææ invectiones tractavi ego: Omnem bilem ipſius melle mutatam tibi fero , iracundiam in manſuetudinem , præcipitem repulſam in conſideratam affectionem : Et tu quo fine illuc iiſſe autumas Celeſtinam , quam ſupra omnia merita ſua tanta tu magnificentia munerasti , niſi ut placaret feram , ferret patienter inſultantem , eſſet ſcutum & defenſio tuæ abſentiæ, pallio velut ſuo ictus inimicos exciperet! convitia, injurias, & indignationes abs te averteret quas præ ſe ferre ſolent tales principio, quando ſuper Amoris negotiis compellantur , eo fine ut poſt majoris ſit pretii apud cupidum animum ipſarum con-

ſenſio, ita cui præ cæteris bene volunt, cum pejus aliis excipiunt. Quod ſi ita ſe non haberet, neque hoc modo exiſtimationi ſuæ conſulerent, quæ eſſet differentia inter publicas & incluſas illas puellas, Si omnes illico ut primum rogantur, aſſenſum amatoribus darent; Nunc quæ maxime intus fervent, & flammis velut conſumuntur, & deflagrant vivis ignibus Amoris, Honeſtatis & Pudoris ſui reſpectu extra horribile frigus demonſtrant, vultum ſeveritate contrahunt, repulſam in ipſa ſuavitate meditantur, conſtantem animum prę ſe ferunt caſti propoſiti regulam tuentur, tam amara verba proferunt ut ipſamet loquẽtium lingua miretur quo pacto tam affectibus ſuis contraria convitia poſſit efferre, eam ſumma vi & violentiâ cogunt alia omnia profari quam ſenſus intus & cordis concluſiones velint. Ego verò ut tu moleſtiis auditus longi leveris, & componas, dum ſeriem omnem rei geſtæ explico, animum tumultuantem, dũ cauſſam, & prætenſionem cauſſæ, introitui meo explico, dico noris finem ipſius reſponſi maxime bonũ & ex ſententia tuâ fuiſſe. Cal. Nunc, Domina, cum ſecuritatem mihi dederis ut poſſim audientiam præbere rigidæ & duræ, q̃ longa erit, reſponſionis ſeriei, dic, effare, eloquere, ꝑ ut vis, ut placet, ego attentus perdurabo. Iam quietem cor mihi redindipiſcitur, jã exonerãtur cogitationes meæ, jam venæ recuperant amiſſum ſanguinem, Iam timorem poſui, iam hilaritatem recepi, Aſcendamus, ſi placet, illuc in cænaculum meum, ibi, quod in ſumma hic indicaſti omnib. ſuis partibus enarrare poteris. Cel. Aſcendamus, Domine. Par. Deus bone quales ambages quęrit fatuus iſte ut de noſtra ſe præſentia hinc auferat! Vt pro

lubitu suo lacrymari ad gaudia illa possit quibus vetula onerata venit! Ut cælet nos mille stultitias insani sui & ridiculi Amoris; ut singula dicta sexies audire possit, sexies ad quodlibet interrogare, & respōdere ne quis adsit scilicet, qui fastidiosæ eum loquacitatis arguat: Ego vero nuncio tibi nos te claudicantem illuc secuturos. CAL. Vide, Domina, quam allubescat sermonibus nostris Parmeno: quam mira illi facinora tuæ diligentiæ obveniant. Obstupefactus est, Domina Celestina, denuo sese signat admiratione. Ades, ades, Domina, conside tu illuc, ego genibus flexis suaves tuas narrationes imbibam. Dic quam causam intrandi habuisti? CEL. Vendere paullum aliquid filamenti, quo genere plus quam triginta taleis venata sum, uti Deo meo placuit omnes ejusdem nobilitatis, aliquas etiam altioris. CAL. Hoc de corporis bonis dices, Celestina, non autem de generositate animi, non de prosapia, non de Gratia & Sapientiâ, non de merita animi excelsitate & decente Superbia, nō de Virtutum omni genere, non Eloquentiæ suavitate. PARM. *Iam dum meras catenas perditus* loquitur, meras affamias, Horologium hoc semper meridiem habet numquam minus duodecim fatuis sonis sonat. Numera tu, Semproni, sed tu jam aperta bucca illius stultitiis, hujus mēdaciis, utriusque deliriis, auscultas. SEM. O virose convitiator, cur jam aures occludis audiendis rebus quibus easdem acuant omnes mortales; *factus es seps*, quæ vocem incantantis fugit, si aliud non esset, si omnia ementita essent, quia tamē Amoris res sunt, attendere debebas. CEL. Audi Domine Callisto, & videbis, Fortuna tua & mea diligentia quid effecerint: Incipiente me laudare & vendere velle mer-

le mercimonium meum, mater Melibææ vocabatur, visitatum sororum suarum unam, decumbentem tū maximè. Cum ergo necesse haberet domo abire, Melibæam loco suo destinatā reliquit. CAL. O gaudium absque pari! ô singularis opportunitas! O cōmodum tempus. O si qui tum subter pallium istud tuum absconsus fuisset, uti consors colloqui tui fieri potuisset cum illa quam supremum numen tantis Gratiis dotatam excellere voluit. CEL. Subter palliū, ais, meum? atqui illic clare conspectus fuisses, plus enim triginta foraminibus illud perforatum est, si quidem Deus melius non dederit, PAR. Ejiciam me ego hinc, Semproni, tu reliquum ausculta. Si perditus herus noster non tantum sensibus suis abesset, quantum spatii inter hanc nostram & Melibææ domum interest, & gestus vetulæ attenderet, utque illa vino vendiderit suam istam mercem, neque sensibus, ut dixi, & cogitationibus omnibus in illam fixis, sui compos nō esset, videret utique consilia mea ipsi magis salutaria futura fuisse, quam fraudes istas & deceptiones Celestinæ. CAL. Quid hoc rei est, servi: Ego cum summa attentione res vitam meam cernentes audio, vos, ut soletis, murmuratis interea nescio quid invicem, saltim ut me interturbetis, molestiaque afficiatis: Si quid mei vobis charum est, comprimite linguas, moriemini voluptate audiendo matronæ hujus diligentiæ effectum. Dic Domina, quid agebas cum solam videres? CEL. Domine tantum voluptate adspectus ejus animi alterata sum, ut nemo qui faciem meam vidisset, ex illa me tum cognoscere potuisset. CAL. Iā ego eamdem voluptatem capio, & quidem tuâ illâ potiorem, quippe qui imaginem illius formæ semper

animo

animo meo impressam, mecum circumtulerim. Obmutuisti ergo subdita & inspectata tanta venustate! CEL. Immo potius majorem audaciam concepi alloquendi illam, & mandata mea proponendi, cum solam viderem. Aperui penetralia pectoris illi mei, narravi legationem, ut laborares tantum obtinere unam ab illa favorabilem rebus tuis vocem, quæ sufficeret remediari maximis tuis doloribus: stabat illa suspensa, me intuens, attonita nova legatione, auscultando donec cognosceret quis ille esset qui verbi unius sui desiderio tam male haberet, cuique linguâ suâ tâm facile opitulari posset, cum nomen tuum audiisset; *frontem excußißimâ palmâ verberans* sermonem meum fixit, instar ejus quæ terribiles auditu res percepisset, imperans, illico tacerem, & me de cõspectu ipsius auferrem, si secus facerem, convocaturam omnes servos & clientes suos, qui carnifices in mortem meam essent, audaciam meam extremè abominans. Appellabat me veneficã, Lenã, Vetulã falsã, barbatã caprã, maleficam, mille aliis ignominiosissimis titulis invecta nomen meum: Illa vero tanti mihi erant convicia quanti *lallationes* nutricum cum infantulis somnũ cãtando quærunt ad cunas; Iungebat his totidẽ animi defectiones, deliquia, mille mirationes, & stupores, turbabantur sensus, movebãtur hinc inde mẽbra violentia quadã sanguinis fervefacti perculsa, feriebatur puella aureis illis sagittis quib. mẽtio nominis tui armata erat; cõtorquẽs velut corp9, manuũ articulos invicẽ junctos velut cõclatrãs, more eorũ q animũ despõsuri vidẽtur, digitos frustillatim diffringere velle putasses, oculos hâc illâc circũvolebat, pedib. humũ quatiẽs: Ego ad ista omnia in angulũ me ꝓximũ cõtrahebam,

hebam, tacens, multum animo gaudii de ferocitate hac capiens; quoque sęvius illa fremebat hoc ego hilarius lætabar, erat enim jam propinqua deditio illius & ut in potestatem meam statu suo velut caderet. Verum interim dum tempestas illa detonaret, iracundia virginis despumaret, insumeretur materia indignandi, non patiebar ego sensus aliorsum amoveri, aut à negotio præsente otium capere, Sed tempus opportunum nacta, fidem & pondus ante à me dictis facere institi, CAL. Hoc mihi nunc narra, dum enim ausculto tibi, animo meo omnia collegi consilia, & in omnes mentem partes versavi: Non reperi excusationem à te dictorum quę sufficeret irato animo, neque quomodo petitionem tuam aut obtegere aut colore inducto venia dignam facere potueris, cōminiscor, scilicet ne suspicio aliqua sinistra in pectore tam castæ Virginis remaneret. Vnde fit ut insignem tuam Sapientiam consideranti ultra humanam conditionem ea instructa esse videaris; ita responsionem ejus futuram qualis erat, præcipiens animo, in tempore, quomodo illi occurreres, excogitasti! Quid amplius fecit *fatidica illa de Hetruria*, que famam certe suam, tuâ superstite amittat necesse est: quæ tertio die antequā vitam poneret; mortem prænuntiavit, & mariti sui vetuli & duorum, quos ex illo habebat, filiorum. Iam credo quod vulgo dicitur, sequiorem mulierum sexum ex *tempore capiendis consiliis masculo promtiorem* esse. CEL: Quid censes, Domine. Dixi malum tuum esse dolorem dentium! Et quod bona illa verba quæ ex ipsa poscerem, foret oratio quædam certa, quam illa teneret, bene isti morbo curando facientem. CAL. O mirabilissima astutia, O singularis ad officia sua diligentiæ

ligentiæ mulier! O provida femina! O præsens remedium! O cauta in legationibus. Quis humanus sensus sufficiat excogitare tam pretiosum & ingeniosum remedium! Pro certo credo si ætas nostra recuperare posset illos veteres Æneam & Dido, non sit laboratura Venus tantum ut filius ipsius Elisæ cor amore Æneæ incenderet, Cupidini suo Ascanii formam induens, ut illam decipere posset; Te mediatricem voti sui, ut omni molestia supersedere valeret, poneret. Nunc bene collocatam à me mortem meam existimo, quæ in tales manus posita sit: Et credo insuper, si desiderio meo non contingat votorum suorum fine potiri hac duce & magistra, in ea opis nihil amplius esse, neque ipsam rerum Naturam saluti meæ consulere jam posse. Quid vobis videtur, Semproni & Parmeno? Quid amplius cogitari poterat? Alia ne talis mulier muliere umquam prognata est? CEL. Ne inhibeas orationem meam Domine, patere me eloqui, jam dies it in noctem, Iam nocti, qui malum facit abhorret claritatem, & domum me meam referens potero *malo aliquo occursu* lædi. CAL. Quid? quid? non satis mihi facium & famulorum erit ad te deducendam? PAR. Sic, Sic, ne quis virgunculæ vim inferat. Tu cum illa ibis, Semproni, timet enim illa grillos qui sub noctem canunt. CAL. Dicis aliquid, Parmeno, fili. PAR. Domine me & Sempronium videri æquum esse, ut eam domum suam comitemur, jam enim obscura nox est. CAL. Bene dixisti, sic facietis postea. Continna tu sermonem mater, & dic, amplius, quid acciderit? Quid respondebat cum orationem peteres? CEL. Daturā prolixo animo, sponte, ultro. CAL. Sponte ultro? Deus optime, quam illustre donum

CELEST. Verum plus ego petii. CALLIST. quid mater mea honorabilissima? CELEST. Cingulum quo illa perpetuo cincta ire consuevit, persuadēdo utile esse illud curādo dolori tuo: quippe quod multas Relliquias attigisset. CAL. Igitur quid ad hoc illa? CEL. Da mihi Evangelium, dicam tibi. CAL. O per Deum; sume totam istam domum, cape omnia quę in illa sunt, & hoc mihi dic. Vel opta quid cupias. CEL. vicem pallii unius quo tu vetulam tuam munerabere, dabo tibi in manus tuas illud ipsum quod corpus illius tanto tempore cinxit! CAL. Quid de pallio dicis? Pallium & tunicam & omnia cum illis mea? CAL. Pallio opus habeo, & hoc nunc contenta ero, ne effundas te amplius, ne ponas in audacium meam petendi suspicionem malam: Verè apud vulgum dicitur; speciem negationis esse multa offerre illi qui pauca petat. CAL. Curre Parmeno Sartorem meum accerse, extemplo huic pallium & tunicam de optimo panno rasili conficiat. PAR. Sic sic perge: omnia vetulæ, quoniam mendaciis onusta advenit ut apis. Mę vero vi nemo huc adiget. Hoc illa totum hodiernum diem ambagibus tantis quæsivit. CAL. Quid mali genii hunc hominem quatit. Nemo est tam molestis & injuriis fāmulis herus ullibi atque ego sum, qui alam hic servos divinatores, relatratores, inimicos bonis meis. Quid murmuras, asine? invidiose, quid dicis? Abi illico quo te jussi, ne me commoveas satis malorum jam patior ut plane peream: Non minus de eodem panno tibi de vestimento prospicietur. PAR. Nil dico aliud, Domine quam jam tardius factū esse quam ut sartor commode adesse possit. CAL. Nō dico ego verū, divinare te? Differatur ergo in crastinum.

num. Tu Domina, si me amas dilationem hanc æquo animo feras. Non aufertur quod differas, interim ostende mihi pulcerrimum & felicissimũ illud cingulũ, quod digno ambitu illa membra circũplecti pŏtuit. Fruantur oculi cũ universis cæteris sensibus meis hujus cõtemplatione junctim, quoniã junctim ẽt omnes tam immanes hactenus dolores sustinuerũt. Fruatur gaudio afflictũ cor meũ, illud cor meum quod nullo momento nõ tristissimũ fuit, ex quo primũ istã puellã cognovit: omnes sensus mei huc concurrebant, cũ onere pro se quisq, dolorũ & laborũ, nõ parvo, Singuli istud lancinabant, ut maximè poterant: Oculi vidẽdo illã, Aures audiendo, Manus tangẽdo. CEL. Dicis te illã attigisse? Magnopere me stupefecisti. CAL. In somnis dico. CEL. in somnis? CAL. Per somnũ illã tot noctibus video ut metũ habeã ne mihi contingat ꝙ *Alcibiadi quondã*, cui videbatur per soporẽ involutũ sese esse pallio amicæ suæ & sequente die interfectus nõ reperit qui de publico tolleret, tegeretve, præter illã, quæ pallio suo id demũ fecit, Verum sive viventi sive mortuo gratissimũ mihi erit vestitu ipsius tegi posse. CEL. Satis malorũ exantlasti, siquidẽ cũ alii quiescũt, tu præparas ẽt in lecto tibi dolorẽ, sequenti die illo te induturus. Cape animũ Domine, Neminẽ Deus ideo fecit ut in mala fortuna destitueret. Da spatiũ desiderio tuo; Accipe cingulũ hoc; ꝙ si vivo ego nec intermorior, brevi tibi Dominã quoq; hujus in manũ dabo. CAL. O insperate hospes, ô cingulum fortunatissimum, quod tantum in te dignitatis habuisti, ut amplecti corpus illud potueris, cui ego servilia omnia præstare indignus sum. O nodi tormentorum meorum. vos constrinxistis hoc modo desideria & vota mea. Dicite mihi, an præsentes ad-

fuiſtis ad infelicem illam reſponſionem ejus, cui vos ſervitis, quam ego adoro, & quamquam laborum diurnorum & nocturnorum nihil omittam, nil proficio ut favorem ejus teneam? CEL. Vetus dictum eſt; qui minus contente quærit ſæpe bonorum amplius invenit. Ego vero diligentia mea conſequi te faciam, quod ſocordia tua nequaquam tibi dediſſet. Conſolare animum tuum, Domine: *Vnius horæ ſpacio nulla* magnifica res umquam confecta eſt; nulla vrbs capta. Nec in hoc duelli eſt lex poſita. CAL. O infelicitatem meam. Vrbium mœnia ſaxis condita & munita ſunt, Saxis poſt ſaxa demoliuntur, urbes capiuntur. Hæc autem Domina Cupidinis mei cor Chalybe factum habet, non eſt opis in alio metallo ad hoc edomandum. Non eſt ictus tormentorum qui hoc rũpat. Igitur applicate ſcalas muro ejus. Oculos illa habet quibus ſagittarum vim emittit, Linguam ad tela convitiorum & repulſas; tam ſitu munita eſt ut ad aliquod millia paſſuum eam accedere nulla obſidio poſſit. CEL. Tace Domine: Vnius hominis felix audacia Trojam cepit, ne deſpondeas animum. Non eſt mulieri mulier ulla inſuperabilis. Parum domũ meã frequentaſti; neſcis quantum ego valeam. CAL. Omnibus quæ dices, domina, fidem habebo, quoniam hunc talẽ theſaurum poteſtati meæ tradidiſti. O mea gloria. O cingulum divinæ illius cincturæ. Ego te video. Ego videre te non credo. O Cingulum, Cingulum, fuiſti tu mihi inimicum? Dic mihi. Certe, ſi fuiſti, ignoſco tibi? Bonorum hominum proprium eſt ignoſcere. Non credo iſtud. Si enim contra me fuiſſes non veniſſes in ditionem meam tam quidem facile? Excipio ſi forte excuſationi tuæ huc veniſti? Adjuro

juro te respondeas, per virtutem incomparabilis illius imperii quod domina tua in me habet? CEL. Omitte jam aliquando sortilegia ista, domine: fatigata sum auscultare tibi, cingulum autem tractando istis modis medium rumpes. CAL. O miserum me. Si pari me tecum felicitate Superi mactassent. de brachiis meis texi & componi tu debebas, neque serico, quali nunc es. Vt sic gauderent illa perpetuo amplecti & cingere illam cum conveniẽte reverentia, illa membra, quæ tu sine sensu Voluptatis semper complexa tenuisti. O quam secretim sæpe excellentissimam illã speciem contemplari potuisti. CEL. Amplius tu contemplabere certè, & cum meliori delectatione; si nõ te ipsum tibi perdes his, quibus nunc, modis loquẽdo. CAL, Tace, domina, nobis invicem optime convenit. O oculi mei reminiscimini quo pacto caussa fueritis & fenestra illa per quam cor meum transfixũ est, idem auctor damni dati putetur, qui caussam dedit. Revocate in memoriam vobis quod salutem mihi meam debeatis, Videte ut medicina mali à vobis oriundi domum nostram sistatur. SEM. Dum tu cingulo te delectas, domine, oblivisceris Amorum Melibææ. CAL. Quid amentissime hominum, impeditor solatiorum meorum, quid vis, quid est negotii. SEM. multum loquendo occidis te simul & auditores tuarum querellarum, sic amittes pariter & sensum & vitam. Quicquid huius erit, poteris usque in noctem imminẽtem diffindere. Pone finem dictis tuis, & audi jam quæ Celestina dicere parat. CAL. molestus tibi mater, eram, longis meis quæstibus? Vel ebriacus est iste homo? CEL. Vt neutrum horum sit, debebas tu tamen jam modum ponere longis tuis sermonibus.
Habe

Habe cingulum pro cingulo, ut noris sermonem sermone distinguere, cum Melibęa proxime alloqueris; Linguam tuam doce non deberi parem honorē vestimento & dominæ ejus. CAL. O Domina, ô mater mea, Consolatrix mea, sine me gaudio meo frui cum isto felicitatis meæ legato. O lingua mea cur impedis te aliis dictis? cur deficis adorare præsentem hujus excellentiam, quam fieri poterit ut numquam posthac in potestate tua videas. O manus meæ quam parva cũ reverentia, quã magna cum audacia tenetis & attrectatis theriacam salutiferam morbo meo. Iam non poterunt nocere herbæ, quas involutas acutiis suis ictibus habebat sæva illa pharetra. Securus salutis sum curante eo vulnera qui fecit. O tu domina Ornamētum omnium tuæ ætatis mulierum, Gaudium juvenum, Salus ægrotorum, qualis ego sum; non me infirmiorē facias timore tuo, quã pudor me meus essē jubet. Solve & remitte fræna contemplationi meæ; sine me cum thesauro hoc meo foras in publicum prosilire, ut omnes, qui me viderent, norint, feliciorē nusquam esse hominem quam sim ego. SEM. Non exulceres vulnus tuum, onerando plagam ardentioribus flammis, Non est solum hoc cingulum à quo pendet ratio salutis tuæ CAL. Optime hoc novi; verum non possum attinere me quin adorem tam eximium dominæ meæ favorē. CEL. Favorem? Ille favor verus est qui sponte cuipiã offertur. Nosti hoc tibi non alio nomine quam pietatis obtigisse ut dentiũ dolori tuo remedium veniret, scilicet, nõ certe tuo, Amoris vulnera ut per hoc sanentur. Sed si vivo illa vertet foliũ. CAL. & orationē? CAL. nondũ eã accepi. CAL. Quis moratur? CEL. Brevitas temporis; Itaq; conclusum

est si

eſt ſi dolores tui interea non remitterent, mane ad eã tibi ferendam, reverterer. CAL. Remittere? Tum dolores mei remittent, cum illa crudelitatem ſuã: CEL. Sufficiant hæc, domine; ſatis pro tempore & dictorũ & factorum eſt, obligata illa eſt, uti reipſa demonſtravit, ad facienda omnia quæ pro infirmitatis cura tuæ ipſa poterit, & ego petiero. Vide an non ſatis hæc ſint pro primo congreſſu. Ego jam diſcedo. Memento ſi cras domo prodieris, ſplenio faciem tegere, ne ſi forte fortuna illa te viderit, mẽdacii me arguere poſſit. CAL. Quatuor quidẽ ipſis, tui cauſſa. Sed dic mihi, per Deum, quid ultra dixit? Major deſiderio audiendi voces ſuaviſſimo illo oſculo proditas. Quomodo tam audax fuiſti, ut antequam notam te haberet, tam familiarem te introeundo & rogando faceres? CEL. Antequam notam haberem? Quatuor annis vicinæ meæ fuerunt domui, converſabar cum illis, confabulabar, arridebam tam die quam nocte. Melius me novit mater ipſius quam ungues digitoſq: ſuos, quamvis Melibæa interibi increverit, mulier generoſa, ſapiens, civilis. PAR. Audi, Semproni, quod in aurem tibi dicturus ſum. SEM. Quid vis, dic. PAR. attenta auſcultatio Celeſtinæ materiam dat hero noſtro ut ſermonem in immenſum extrahat: Applica te illi, pulſa illam pede, faciamus illi ſigna ne exſpectet amplius, potius uti domum eat, non eſt enim homo natus tam fatuus qui ſolus ſecum tanta loquatur, CAL. Generoſam, dicis, Domina, eſſe Melibæam? Videris per ludum hoc extuliſſe. Habetne parem huic univerſa rerum Natura? creavit Deus corpus aliud tantæ felicitatis? Poterit talis forma, talis indoles, pingi? Exemplum ſummum Specioſitatis?

Si in vivis jam foret Helena, cujus caussa tot millia Græcorum mortem obierunt, tot occisi sunt Trojani aut formosa Polyxena, omnes servas se addicerent dominæ meæ, cujus ego caussa talia patior. Si illa pręsens fuisset Litigio trium Dearum propter aureum malum, numquam inter eas Discordiæ nomen auditum fuisset; quippe absque controversia ulla omnes consensu affirmassent ad neminem donum illud quā Melibæam pertinere, & sic Pomum Concordiæ appellatum fuisset. Nostro tempore omnes fæminæ quæ illam viderint, maledicunt sese, incusant Deos, quod nemini illarum hæc dona tribuerit quæ Melibęę; consumunt plorando dies suos, exedunt carnem suam invidiâ, diris se torminibus excruciant sperando fucis & coloribus, aliisque artificiis par decus isti, quod absque omni labore natura huic dedit, indipisci. Aliæ vellunt supercilia sua forcipibus, eadem ungunt unguentis capillos producentibus, depilant, revestiunt; Aliæ quærunt auricolores herbas, radices, frutices, flores, faciendis lixiviis, ut cæsariei istius similem suam quæque conficiat, vultuum formas cogunt, componunt, variis coloribus exornant, lavant, ungunt, poliunt, comūt, candidant, purpurant, nihil sibi reliqui faciunt ut laudatissimę huic formæ exeāt quam simillimæ: Quæ cum ita sese habeant, considera an mereatur coli ab homine tam infortunato, tam tristi, quam ego sum. CEL. optime percipio quid velis, Semproni. Sine illum, ipsa jam mala suâ decidet & finem faciet. CAL. In hac tota natura sese conspicuam videt, omnes suas elegantias & ornamenta insumsit ut istam perfectissimam conficeret. Quicquid Gratiarum singulis cæteris divisim contulit & per partes,

omne

omne junctim huic donavit & rescripsit tenendum, Huc omnes convenerunt Charites, quam maxime venustas se facere potuerunt, omnia sua decora conferentes: Et velut in theatro, spectatoribus se judicādas offerentes, ut omnibus daretur laudare divinitatem in ornamentis tam eximii operis. Solum paullum aliquid aquæ fontanæ cum pectine eburneo sufficit ornatiorem & venustiorem Melibæam facere omnibus puellarum choris. Hęc sunt arma ipsius; his vincit & perimit; his mancupio me sibi captivum duxit, his me colligavit, & catena vinctum adtinet. CEL. Tace jam ne te defatiges amplius: Lima illa quā ego habeo acutior est quā fortior tua illa catena, quæ te vinctum cruciat. Ego rumpam hanc illius ope ut in libertatem tu pristinam revertaris. Quapropter da veniam mihi tamdem discessuræ; nox jam imminet; da & cingulum illud mecum ferre, nosti enim opus mihi eo esse. CAL. O infortunatum me, O inconsolabilem! Adversa me Sors per omnia sequitur. Aut tecum, aut cum Cingulo, aut cum utroque aut cum altero eo esse longam hanc & tenebrosam noctem volebam. Verum cum tormentis meis infortunio meo nondum satisfecerim hoc vivendi ordine, veniat integra solitudo in parteis. Heus vos servi. PAR. Here. CAL. Comitamini matronam istam & deducite usque domum suam, eant cum ea tantæ Voluptas, & Hilaritas, quantæ Tristities & solitudo mecum manent. CEL. Sit, Domine, Deus tecum. Cras redibo, huc convenient pallium meum, & Responsio Melibææ, quoniam hodie neutri satis temporis fuit. Solare animum, ut potes, domine, impera patientiam tibi, & interea alias res cogita. CALL. Minime isthuc.

Scelus enim ſit ejus obliviſci, cujus unius gratia vita mihi mea non diſplicet.

ACTUS. VII.

ARGUMENTUM.

Celeſtina ſermonem cum Parmenone jungit, inductura illum in concordiam & amicitiam Sempronii. Revocat illi Parmeno in memoriam factam ſibi promiſſionem, facturam illam ſeſe compotem Areuſæ, quam Parmeno deperibat. Veniunt domum Areuſæ, Parmeno inibi pernoctat, Celeſtina ad ſe redit, pultat oſtium. Elicia aperit, increpat Celeſtinam tardi reditus.

CELESTINA. PARMENO, AREVSA, ELICIA.

FILI Parmeno, poſt proximum colloquium inter nos habitum nulla ſe mihi temporis opportunitas obtulit, ut dicere & oſtendere tibi, quod volui ſemper, potuerim inſignem Amorem, quem tibi porto, & quo pacto de te ſemper & erga omnes tam præſente quam abſente optima quæque locuta fuerim. Rationi non eſt conſentaneum, neque uſus expoſcit, repetere illa omnia, quomodo te puerum mihi ſervitum traditum, filii loco habuerim, ad minimum inſtar adoptivi in familiam meam, dilexerim, foverim, ornaverim. Spes me quidem ex eo tempore ſemper habuit paria te aliquando mecum facturum, & inſitivũ illum amoré pro naturali, æquo affectu, redhoſtiturum. Nunc tu mihi pretium operæ meæ bonæ malum reponis, vitilitigando omnes ſermones meos,

omnia dicta reprehendendo, pro male sentientibus omnia traducendo, nihil non murmurationibus, & dubiis susurris, moliendo ut suspectam & invisam præsenti, & audienti tuas oblocutiones, Callistoni facias. Confidebam quidem contemtis his omnibus, postquam semel consilia te mea rata habiturum, & jis obtemperaturum cõspondisti, te retro viam non instituturum: Tamen, cum magno dolore meo, intelligere adigor manere apud te odiorum relliquias vanas, loquentem ex inimicitia magis, quam ratione & rerũ dignitate, ita projicis lucrum, quod ex negotio præsente ad te spectabat, ut linguæ petulantiæ satisfacias. Audi nunc me, si ante numquã audivisti, & vide decrepitæ ætatis me esse; quales annos Sapientia Consiliandi omnibus commendat; juventutis cõtra propria est Voluptas & Delectatio. Optime credo erroris tui culpam penes solam adolescentem ætatem tuã esse, & confido Deo, meliorem te mihi futurum imposterum, mutaturumque cum teneris annis propositi absurditatem? Vt dicitur vulgo *mutari mores cum capillis*: Dico fili, increscendo & quottidie novas res cõspicando; Adolescentia enim in solis præsentibus sese impeditam tenet, videt & miratur solum quæ oculis objecta sunt. Matura contra ætas, non relinquit quidem illa aut contemnit præsentia, sed simul tamẽ & præterita considerat, & futura, pro copia, prospicit. Si memoria tenes Parmeno fili, amorem illũ quo præteritis annis te prosecuta sum, recordabere primũ tibi hospitium, quum in hanc civitatem venisti, meæ domi paratum fuisse. Verum adolescentes vos curã senum nullam habetis, rerum pretia ad palati vestri gustum æstimatis, numquam vobis usum seniorum

venturum arbitramini; numquam cogitatis ægritudines infirmitates, numquam defuturum illum vobis ætatulæ florem timere potestis. Igitur expende, amice tu, quod propter supervenientes aliquando tales casus optimum sit confugium, amicitiam cum tali vetula servata; quę loco veræ amicæ sit, sit vicem matris; immo amplius aliquando quam mater, bonum diversorium ad deponendos animi angores, bonum hospitium ad sanandas ægrimonias, bonus thesaurus ad subitam egestatem, optima arca ad recondendas divitias, dum fortunæ favor manet; bonus focus ad hyemis violentiam, patatus ad omnia necessaria. Bona umbra ad æstivos calores; bonus secessus ad pastum & Voluptatem. Quid dices, fatuelle, ad hæc omnia? Bene equidem scio confusum te animi esse, propter ea quæ hodie effutivisti: Ego vero nil amplius ex te posco, quam ut quæ male egisti eorum pœnitentiam habeas, & postea vitam tuam emendes, quę duo Deus ipse sola poscit à peccatoribus. Vide Sempronium, ego, post Deum, hominem & virum eum feci; quam vellem essetis inter vos ut germani fratres, Ejus quippe amicitia bene utens: frueris omnium aliorum conversatione feliciter, ipsius etiam heri tui. Vide quam ille acceptus est omnibus, diligens, aperti pectoris, candidus, servus gratiosus, cupit amicitiam tecum jungere; accrescet pariter amborum emolumentum, cum manum alter alteri prębebit, nosti ipse *amare te debere si amari velis.* Stultitia est amari velle, amare abnuere, Summa amentia compẽsare benevolentiam odiis cupere. PAR. Secundum hunc errorẽ meum, tibi, mater, coofiteor. Et cum ignoveris præterita, futura tuo lubitu disponas. Verum illud cum

Sempro-

Sempronio factu impossibile mihi videtur, servare
amicitiam;ille est irritabilis,ego ferre & pati nihil vo-
lo & possum,concilia hos mihi amicos. CEL. At non
hæc erat naturæ aut ingenii tui conditio. PAR. Per fi-
dem quo magis anni se subjecerunt, eo magis immi-
nuta est mihi patientia. Non sum nunc qui olim etã.
Et præterea Sempronius nihil habet unde commodi
aliquid ego sperare possim. CEL. Amicus certus in-
certis rebus cernitur,in adversitatibus probatur,tum
ille adest cum cæteri aufugiunt,cum majori,quam a-
lias quascunque domos, eam desiderio visitatũ ve-
nit,quam Fortuna destituit. Quid tibi,fili, dicam, de
virtutibus & pretio boni amici? Non est res amore
dignior,neque inventu rarior:Nullum onus subfugit
aut recusat. Vos similes æqualesque estis:Paritas mo-
rum, & adfectuum similitudo; sunt illa quæ amicitiã
sustinent. Vide,fili mi,si aliquid industria tuâ lucri ad
te venerit,jam tibi hoc in tuto est,noris tu parare am-
plius. Illud labore tuo tibi peperisti, hoc jam tibi pa-
ratum invenis,Bene sit patri illi qui hæreditatem hãc
tibi reliquit. Non poteris majore cõpendio ad quie-
tam te vitam componere,sic annos tuos in bonam æ-
tatem senectuti sistes. PAR. Quid vocas quietam vi-
tam,mater? CEL. Fili,ut tibi tu vivere possis, non ha-
beas opus discurrere per domos alienas, qualem tu
vitam perpetuo velut ei damnatus,vives, dum servi-
tio tuo uti non poteris: Miseratione tui, cum viderẽ
te seminudum ruptis laciniis incedere,petivi ego ho-
die abs hero tuo palleum,ut cum sartor præsens ades-
set,tu vero sine tunica adstares, ille indidem tibi ali-
quam comparari juberet. Sic ego non mei solius cõ-
modi, quod obmurmerare te intelligebam, sed &

tui gratia hoc molita ſum. Tu quidem, quantumvis bonæ frugi ſis, ſi ordinariam tuam mercedem ſolam ab his talibus exſpectave s, decem annorum pretia una manica incluſa aufe poteris. Frure flore annorum tuorum, fac bona noctem boni dies ſequãtur, ede laute & bibe, cum potes, cũ gratum eſt, nullo talium te defraudes, pereat quod perire tendit, ne plora tu propter bona, quæ hero tuo hæreditate oblata ſunt; hoc eſt omne quod de hoc mundo feres, amplius nihil in vitâ, poſthac omnino nihil habiturus eſt. O fili Parmeno, ut optime te tali nomine compellare poſſum, quoniam tanto tempore te educavi, placeat tibi conſilium meum, cujus unicus ſcopus eſt, puro affectu, videre te aliquo loco honeſto honorabilem. O quam felicem me cẽſerem ſi tu & Sempronius concordi animo eſſetis, boni amici, fratres germani per omnia! Si viderem vos junctis animis & greſſibus ad pauperculam quamlibet meam caſam gaviſum, recreatum animos veſtros, venire! Ita pulcre me viſitatum veniretis pulcre etiam animis tædia laborum eximeretis; fruendo ſua quiſque puella. PARM. Puella, mater mea? CAL. Certè puella ſuâ quemque fruiturum dico: ſatis vetularum in me una domi meæ eſt. puellas dico qualem Sempronius apud me ſuam habet, quamquam non tam ille mihi charus ſit quam tu es, cum quo ubi loquor, geſtit cor ipſum mihi pectore exſilire. PAR. Ne fallaris animi, Domina. CEL. Etſi maxime fallar, non me excruciabo multum: Pietatis etiam titulo hoc omne excuſare poſſum: Deum propitium habebo cum tuas res curabo quem ſolum in alieno hic ſolo vivere video. Et magis etiam moveor pietate erga oſſa defunctæ illius

quæ

quæ moriens te mihi tantopere commendavit, ut tibi adsim, ut mea ope virilem ætatem commodo tuo ordiare, & vero intellectu tibi adesse valeas; sic dices aliquando: Bene sit ossibus vetulæ bonæ Celestinæ, quæ optime consulebat mihi. PAR. Et ita certe nunc etiam existimo, quamquam minorennis adhuc: Sic quamvis hodie non è re tua loquentem me audiveris, non hoc ideo fiebat quod malum mihi videretur quicquam tuorum gestorum; verum quod viderem ego certa omnia me Domino meo suadere, illum autem malam mihi gratiam reddere. Verū abhinc persequamur illum pariter; strenue tu machinas tuas admove, artibus tuis utere; mihi certum est tacere: Iam tum impegi pedem, non credens tibi, in isto cum illo negotio. CEL. Et in hoc impegisti, & impinges in aliis, donec omnino cades, usque dum toto animo consilia mea sequeris, quæ verè tui amante mente oriunda sunt. PAR. Iam optimè me collocasse illud temporis agnosco quo tibi servivi, puerili ætate mea, cum tantū inde fructuū metam virili meo statui proximus: Et supplicabo Deo pro felicitate animæ patris mei, quod talem mihi tutricem reliquit, pariter & matris meæ quæ tali me mulieri moriens commendatam tradidit. CEL. Ne istam mihi nomines, fili, illico se oculi mei lacrymis involvunt. Et habui ego in hac vitam alteram talem amicam? Aliam talem sodalem? allevatricem omnium malorum & dolorum meorum? Quæ defectus meos supplebat, quæ secreta omnia mea norat! cui intimas curas pectoris mei aperiebam? In qua una omne bonum meum & delectatio vertebatur? quam matrem tuā!

O quam illa gratiis plena erat, quam ad omnia versabilis! puro animo, candida, virili cõfidentiâ. Tam facili animo tam securo, sine omni timore, media nocte ambulabat de cemiterio in cemiterium quęrens quę nostro officio commoda erant! Nõ præteribat ullos Christianos, Mahumetanos, Iudæos, quorum sepulcreta non visitaret: De die ea speculabatur, de nocte effodiebat; tam amica erat obscuræ nocti, quam tu claræ diei: Dicebat hanc esse pallium peccatorum, Porro omnibus cæteris suis gratiis nõ erat invida aut parca sed neque ullo astu utebatur per omnia sua officia. Vnam tibi rem narrabo unde videas qualẽ matrem amiseris: qnamvis silere sit melius; tibi tamen & hæc & alia talia aperire quid vetat? Septem dentes exemerat uni cruciario, forcipe quadam crinali, dum ego calceos eidem exuo. Porro ad conjurandos malos Dæmonas circulum intrare melior me ipsa erat, quamquam ego tum non paullo quam nunc meliore talium fama eram, ita propter peccata mea omnia post mortem ipsius oblita sum. Quid amplius vis? Ipsi mali Dæmones eã metuebant, tremere & horrere, & stupere, nos cogebat horrẽdis vocibus, quibus appellabat. Tum illis nota erat, quam tu domi vestræ: cum convocaret eosdem, precipites alius super alium advoluti aderant, necaudebant mentiri ei, quali illos violẽtia tractare noverat; postquam illam amisi, nihil veri ab iis exprimere potui. PAR. Non magis propitius Deus sit huic vetulę quam illa honoris mei gratia hæc recenset, & ego libenter audio. CEL. Quid dicis honorabilis fili mi Parmeno, & amplius quam Fili. PAR. Dico mirari me quomodo in talibus potior te mater mea fuerit? Verba ne illius majorem vim tuis habe-

habebant? cum tamen eadem fuerint amborum? CEL. Quid? & hoc mirum tibi videtur? nescis quid vulgo dicatur, hominem ab homine immane quantum differre? Illam, qua ea gratia dotata erat, non omnibus datur adipisci. Non observasti in quibuslibet officiis alios bonos, alios meliores: Harum erat mater tua, quam Deus habeat, summa in nostro censu. Pro tali omnes mortales illam agnoscebant venerabantur, tam Nobilitas quam Clerus, Conjugati, Soluti, Celibes, vidui, adolescentes, pueri, tantam ejus Sapientiam noverant. Præcipue virgines & puellæ omnis generis Deo pro Salute ejus vota faciebant, non minus quam parẽtum suorum. Cum omnibus aliquid negotii habebat, cum omnibus sermocinabatur: Si quando per publicum incederemus, quotquot obviam nobis erant, alumni illius erant, obstetricata enim fuerat sexdecim totos annos: sic quamquam tu ob tenerrimam ætatem secretorum illius particeps non fueris tum, nosse te tamen nunc, viro proximum, decet qualem matrem habueris, cum illa jam apud plures sit, tu, ut dictum, ætate jam prope virili. PARM. Dic mihi, bona domina, cum *Iustitia* apprehẽdi te juberet, tum me domi tuæ serviente, eratis jam dum amicæ vos? CEL. Certe eramus; quamquam tu velut illusioni meæ hæc dixeris. junctim talia faciebamus, junctas nos carceri mandaverunt junctas accusarũt, ambas simul pœnæ publicæ subjecerunt, illa quidem vice, quam primam ego fuisse puto. Verum tu tum temporis, valde adhuc puer eras, miror te meminisse hujus rei, cum vix sit alius tota civitate qui non oblitus jam sit. Et hi casus sunt mundanarum rerum, Singulis diebus videas qui peccet & luat, si in istas nun-

dinas procedere velis. PAR. Verum est, sed inter peccata pessimum est Perseverantia, nam, velut primi animi motus non sunt in potestate mortalium, sic ubi primum mali quid admiseris, uti corrigas, nec iteres, Ratio tibi data est. CEL. Tetigisti me, domine fatue; in Veritatis nos negotio jam versamur: Exspecta ergo, tangam te vicissim ubi ulcus est. PAR. Quid dicis, mater? CEL. Dico fili, quod præter istam vicem, quater etiam comprensa est mater tua sola, quę cum Deo jam sit: Semel etiam ducta est pro venefica, Magâ: Noctu enim offenderunt illam cum candelis minutis, legentem terram de trivio quodam, & medio meridie publico foro scalas infamiæ illam scandere coegerunt, caput ornantes quodam quasi papyraceo pileo, mirificis formis picto. Sed hoc nihil erat: *Necesse est aliquid pati* mortales in tristi hac vita, ut honorem & vitam suam sustinere possint: Et vede quam hoc illa nihili faciebat, prudentia illâ suâ solitâ, nec enim vel tantillum postea de officii sui prosecutione remisit. Hoc ideo tibi narrare volui quia de perseverantiâ in malis factis tam pulcre modo philosophatus es: In omnibus rebus Gratiæ illam suæ comitabantur; Deú & Conscientiam meam attestari possum, cum in scalis illis staret apparebat facile, omnes illam circumstantes ne unius quidem oboli facere, nec tantilli illá æstimare tot hominum opinionem, uti constantes & pręsentes gestus ipsius demõstrabat. Porro illos mortalium, qui meliora & plura cæteris norunt, majorisque indolis sunt, & ingenii promtioris, uti ista mater tua, certum est facilius errare omnibus cæteris. Videris quanti nominis ob Sapientiam fuerit *Virgilius*, notum tamen habes quo pacto in scorteo fisco turre suspensum,

spensum, tota Roma conspexerit. Hujus vero gratia non desinit ille esse in omnium admiratione neque Virgilium propterea quisquam ignorat. PAR. Verũ est quod dicis; istud vero nostrum per Iustitiã factum est. CEL. Tace, stupide, Parum nosti de rebus Christianismi. Et quanto melius est per Iustitiam hęc pati, quam alio quovis pacto! Melius hoc norat Parochus noster, qui matrem tuam consolaturus ipsi Dixit in sacris litteris scriptũ teneri, Felicissimos illos esse qui persecutionem propter Iustitiam paterentur, & quod iidem possessuri sint regnum Cæleste. Vide quanti faciendum sit in vitæ hujus cursu tale quid cuipiam cõtingere, cum præmii loco proposita sit æterna Gloria? Præcipue accedente illo quod tum omnibus in ore erat, illa vice summa injuria falsis testibus victam, diritate tormentorum coactam, confessam bonam matrem tuam, quod minime admisisset. Sed illa sua insigni constantia, utque ea quæ forti animo talia ferre consueverat, omnia faciebat leviora quam censerent omnes. Amplius millies eam dicentem audivi; Si pedem fregero, bono meo fregero. Sic enim notior ero quam unquam antea. Et nunc, cum omnia ista mater tua in hac vita passa sit, credere debem⁹ in altera Deũ isti majora ob hæc bona largiturum: Siquidem verũ est quod Parochus noster dixit. Et hoc eodem ego quoque infortunia mea solari soleo: Sis tu mihi deinceps, Parmeno, vere amicus, ut fuit ista mater tua; habes hujus exemplum quod per omnia sequare; Nam quæ pater tuus tibi reliquit ea jam dum *summa securitate, nullo timore*, tenes. PARM. Mittamus jam mortuos & hereditates, fabulemur de præsentibus negotiis, quæ magis ex re nostra sunt quam eorum memoriam reducere qui jam humanis exemti abierunt.

Subveniet recordationi tuæ, mater, promissio non ita dudum mihi facta potiturum ope tua Areusa, cum domi nostræ tibi narrassem quantopere illam amarē. CEL. Si promisi tibi quippiam, noveris oblitam nondum esse, neque censeas cum annis me perdidisse etiam memoriam. Plus jam tricies, te etiam absente intra me pupugi nemet hujùs tui voti gratia. Iam puto satis maturuisse negotium. Eamus illico de via domū ejus, non elabetur, deprehendemus, obtinebimus, ut volumus, illam. Hoc minimum officiorū puta quod præstare tibi velim, Parmeno. PAR. Iam ego desperabam potiri posse, numquam enim cum illa cōcludere quicquam datum est, saltim ut maneret me & verba amantis auribus admitteret: & metuo veritatem dicti vulgaris, Malum indicium amoris esse vultum avertere & fugere. Sentiebam magnam caussam desperandi apud animum meum hac ejus incivilitate. CEL. Non magni ego facio desperationē tuam dum me nondum totam noris, uti nunc etiam; qui in potestate & ad mandatum tuum promtam habeas tantam talium artificem. Porro jā experiere quanti meo nomine valebis, quam mihi morigere illæ sint, quantum ego in conficiendis Amoris negotiis possim. I silentio, hic ostium ejus vides, intremus placide, non sentiant nos vicini, exspecta tu hic inferius ad scalas, ego adscēdam, visura utrum facta promissis meis æquare possim, fortassis amplius inveniemus quam vel ego vel tu credere potuerimus. AREUSA. Quis ambulat isthic; quis in cubiculum meum isthoc noctis adscendere audet? CEL. Quæ certe malum tibi non quærit, quæ pedem numquam ponit quin commodi tibi aliquid facere studeat, quæ sæpius tui quā ipsius

ipsius sui memor est. Amatrix una de tuis, licet vetula. AREVSA. Malus Dæmon male illam vetulam quãcunque excipiat. Quid quærit Larva ista noctambula istic hoc noctis. Mater domina, quid bonum tam tardo tempore huc venis? Iam exuebam me ut cubitum darem. CEL. Cum gallinis, filia? *Sic ditescis tu quidem, sic res* tuæ ferunt, alii sunt qui de paupertate querantur, non tu. Talem vitam optet qui volet. AREVSA. Iesu mater, redibo ut vestem resumam, frigus jam me male habet. CEL. Non facies, per vitam meam; depone te potius in lectum istum, ita poterimus pulcre colloqui, AREVSA. sic bene mihi sit, opus certè hoc habeo, quæ totam hodiernam diem non satis composite fui. Sic necessitas magis quam ignavia faciet me pro tempore capere *lupinos pro nummis*. CEL. Melius utique accubabis sic quam adsidebis; Subduc etiam istam tunicam corpore, ut tota conspici possis. Vah *quam suaviter tunicæ tuæ olent dum commovisti te*! Certè aptissimè omnia te decent. Semper facta & res tuæ mihi præ cæteris placuerunt, tum nitiditas tua & ornatus studiũ! jam frigidiuscula facta es. Deus tibi benefaciat! Qualis vestis stragula, qualia tapetia! qualis lecti pulvilli! Qualis omnium candor & polities! Tam bene sit senectuti meæ quam ista omnia mihi placent! Margarita aurea; videas an tibi bene velit qui tali tempore te visitatum venit. Sine totam te conspicer, contemplor ut cupio, certe magnopere me delectat. AREVSA. paullulum abscede mater, ne propius venias, facis blandis tuis tactiunculis ut rideam, risu autem poterit ut increscat dolor. CEL, Quis dolor, Amores mei? iocari certe mecum lubet. AREVSA. Male sit mihi si per jocum dico. Amplius quatuor horis dolore matricis

tricis pene morior, jam illa pectus meum adscendit, interficiet me certè. Non ego aliud morbi habeo, neque tam atrox uti tu fortasse suspicaris. CEL. Sine ergo me, tactu experiar, etenim & ego aliquid de hoc malo sensi, propter peccata mea. Cuilibet mulieri talis est matrix, & ab illa punctiunculę. AREVS. altius est ubi illam sentio, supra ventrem. CEL. Benedicat te Deus & Archangelus Michael, & quam succulenta atque horridiuscula es; quale pectus, quam pulcra omnia! Formosam apud animum te hactenus meum arbitrata sum, videndo nihil prętequã quod omnibus patet, nunc cum etiam secretiora vidi, affirmare ausim, tota civitate ista non tria talia corpora esse, quæ ego quidem norim. Videris non amplius quindecim annorum esse. O si vir modo essem, & tantum favoris abs te haberem, ut tali te modo contemplari liceret! Per Deum enormiter peccas si non participas bona ista tuarum Gratiarum benevolentibus tuis; Non enim ideo Deus tibi illa contulit ut in vanum obsolescerent, isto quidem ætatis tuæ flore, sub centũ istis linteanimum & tunicarum involucris. Vide avara ne sis ejus quod minimi tibi constat, non recondas Veneres tuas, Venustas enim puellaris tam natura sui communicabilis est quam pecunia; nõ sis canis ille hortulani: Cũ bonis tuis ipsamet uti frui non possis, sine fruantur alii qui possunt & cupiunt, ne sis invida: non persuadeare frustra te in vitam hanc datam esse. Cum natus est Vir, nata est etiam fæmina, & vicissim. Nihil in hoc rerum theatro natura superfluũ creavit, quodque singulari providentia & consideratione non exegerit. Considera etiam tu grande peccatum esse cruciare & torquere homines, cum possis

malis

malis eorũ opitulari. AREVS. Certè tecũ ſentio, mater: Jam vero neminẽ novi qui quid abs me petat. Da tu aliquid dolori mei remediũ, neq; pergas illudere mihi, & labiis ægrã ductare. CEL. Iſte cõmunis ſexui noſtro dolor eſt, ob peccata noſtra; huic ẽt remedia ferè omnes novimus. Quod fieri multis vidi, quodq; mihi ſemper bene fecit, dicã tibi. Sed uti perſonarũ inter homines diverſæ ſunt qualitates, ita & Medicinæ nõ paribus effectibus cenſentur, neque in quælibet corpora iiſdẽ ſucceſſib. operãtur. Omnis odor fortior & vehemẽtior bene facit, ut de pulegio, Ruta, thure, fumo de plumis perdicũ, de Rore marino, de Nuce Moſcata, receptus, ſumma cũ diligentia, juvat, & dolorẽ imminuit, matricẽq; ſenſim in locũ ſuũ reducit. Verũ una ſupereſt res q̃ ego ſemper meliorem & putavi & experta ſum quã cæteras omnes, nolo vero eã tibi edicere quoniã tã purã atq; caſtã te mihi facis. AREVS. Quid, per vitã meã, mater? Vides me male habentem & ſaluti meæ non ſuccurris? CEL. Abi, optime me intelligis, ne te facias ſtupidã! AREVS. Iã jã: peream peſſimè ſi quid velles intellexerim. Quid ergo vis faciã? Scis heri cũ hinc profectũ eſſe amicũ meũ cũ Tribuno militũ ſuo; debeo aliquid ſceleris illo abſente cõmittere? CEL. Videas tu, ſed quid damni hoc faciet, quidve ſit ſceleris? AREVSA. Certè ego pro tali habuero. Ille mihi omnia quę opus ſunt pręhibet, honorat me, magni facit, tã comiter atq; tanto obſequio diligit ac ſi domina verè ipſi eſſem! CEL. Verũ, ut omne iſtud ſic ſe habeat, *dum non paries*, non deſeret te hic dolor; ab iſta quidem hora, cujus ille quidem tuus unica cauſſa eſt. Quod ſi dolori nõ credis, crede colori & videbis q̃d mali tibi ferat unius ſolius iſtiꝰ cõſuetudo.

AREVS.

AREVS. Nihil equidem incuſare habeo præter infortunium meum, mala eſt maledictio, quam credo parentes meos in me poſuiſſe. Non eſt jam tempus omnia iſta qualia ſint probandi. Sed omittamus iſta, ſerò enim eſt, & dic mihi quid boni te huc venire adegerit? CEL. Noſti antea de Parmenone quid tibi dixerim: Quæritur de te quod neque aſpectu illum digneris, neſcio qua de cauſſa, niſi fortè illa, quod noris me illi bene cupere, & filii loco haberi abs me. Quapropter ego aliter jam res tuas miror; mihi quidem propter te Et vicinæ tuæ gratæ ſunt, & gaudium capio tui cauſſa quoties illas video, quod ſciam tecum confabulari ſolere. AREVS. ne erres, domina mater. CEL. Neſcio certè, operibus potius credo, verba quidem vana in vanum cadunt, & apud quemcunque ſatis eorum proſtat. Amor vero niſi vicario puro Amore numquam redhoſtitur, opera pariter operibus. Noſti quæ cognatio ſit inter te & Eliciam; iſta Sempronium jam tenet domi meæ. Parmeno & Sempronius perpetui ſodales ſunt, ſerviunt illi Domino quē tu noſti, & cujus gratia tantum ad te emolumēti pervenire poterit. Non neges illi quod tam parvi tibi cōſtat; Vos eſtis cognatæ, illi ſunt ſodales. Vide quo pacto melior adſit fortuna q̃ ſperare potuerim? Adeſt hic, mecum huc venit, Parmeno, videbis an velis jubere adſcendat. AREVS. Miſeram me ſi ſermones noſtros audiverit! CEL. Minime ille: infra moratur. Aſcendere jubebo. Des illi tantum ut aſpicias & colloquare, & hilarem vultum exhibeas; & ſiquidem talis videbitur, fruatur te totâ, tu illo; ſi quid ille lucriſecerit, tu nihil perdes hoc ludo. AREVS. Optime apud animum meum novi omnes tuas ſuaſiones, omnia

omnia consilia,& quæ modo in medium attulisti, & quæ antea mihi præbuisti, nō alium finem quam meū commodū, petere. Sed quomodo poscis ut tale quid faciam, cum jam ex me audiveris, esse cui ego rationē reddere tenear; si ille hoc facinus meum senserit, occidet me. Vicinia isthæc invidet mihi, illico rescisset omnia. *Neq; tantum ego emolumenti capiam ubi* eum meū fecero, quem tu mihi offers, quam perdidero illum alterum amittendo, CEL. Istis ego omnibus jam ante prospexi. Nemo nos animadvertit intro huc euntes. AREVS. Non dico istud hujus noctis gratia, sed aliarum sequentium plurimarum. CEL. Quomodo? & de his tu eras? tali te modo tractari permittis? Numquam tu aliquid lauti peculii conficies! Absente illo tātopere timida es, quid faceres si in civitate adesset? Sic sors mea conciliata est, numquam cesso stupidis hominibus bonis consiliis adesse, & tamen illi numquam sapere ut velint adigi possunt! Verum neque ista miror. Amplitudo magna est mundi. pauci experientes rerum. Ah, ah, filia, si tibi esset sapientia cognatæ tuæ, cui tantopere profuit educatio & disciplina mea, ut jam etiam Magistram se venditare possit, numquam illa tamen castigari à me renuit, & quę nescit doceri. Gaudet illa habere in lecto unum, alterū ad portam; amatores suos, neque deest illi tertius qui domi suæ illam suspiret. Omnib. illa satisfacit, omnes oculis ducit, vultu arridet. Singuli putant solos sese abs illa amari, alium esse neminem cui illa æquè bene cupiat, cuique videtur solum sese omnia, quæ opus habet, illi sufficere, solum amorem mereri. Tu vero, cum uni jam alter accedat, metum habes ne asseres lecti tui te prodant? Vna sola olla tuam culinam in-

ſtruis? Non multum ferculorum tibi erit; nolim ego de tuis reliquiis victum quærere. Numquam unus mihi placuit, numquam uni omnem affectum meũ largita ſum. Plus poſſunt duo, amplius etiam quatuor; plus habet, plus dant, plus occaſionis eſt unde tuis rebus addere, illorum demere poſſis. Non eſt animal perdi facilius mure, qui unum tantum cavi ſui foramen novit, ſi illud obſtruſum fuerit, non habet quo ſe abſcondat, perſequente cato. Qui unum tantum oculum habet vide *quo periculo peregre eat*. Vna anima ſola neque cantat neque plorat, actio una non parat habitum, Raro unum Monachum ſolum obvium habebis: Miraculum eſt unam perdicem volantem abſque ſocia videre: Vnum cibum, quotidie præbitũ, præſens ſequitur faſtidium: Vna hirundo non facit vernum tempus: Vnus teſtis nõ facit ſolidam fidem: Qui unam tunicam ſolam habet, cito illam atterit. Quid cenſes, filia, de iſto numero Vnitatis? Plus abſurditatum ejus tibi demonſtrabo quam anni ſunt ętatis meæ. Vide an malis duos, quæ *ſocietas eſt laudabilis*; Velut duas aures habes; duos pedes; duas manus, duo linteamina ad lectum ſternendum & veſtiendũ, duo induſia, alterum ſemper elutum: Quod ſi amplius voles, melius hebebis. Certè quo plus captivorũ, eo amplius pecuniæ Honor ſine lucro non eſt aliud quam annulus in digito: Et *quoniam duos ſimul unus* saccus non capit, junge tu de ambobus, qua datur, lucrũ. Adſcende fili Parmeno. AREVSA. non aſcendat, moriar moleſtia; non novi illum, ſemper pudorẽ illo viſo habui. CEL. Hic ego ſum quæ tibi fatuum pudorẽ illũ eximã, aut obtegã, ego loquar vicẽ amborũ. Ipſe non minus te quoq; pudoris habet. PARM. Domina.

Deus

Deus salutet gratiosam tuam pręsentiam. AREVS. Bone vir, bene ad nos venias: CEL. Applica te istuc, aselle, quid illic in angulũ reduxisti te? Ne turbes animũ; hominem pudentem nimis Malus *Dæmon in Palatium duxit*. Audite nunc ambo quæ dictura vobis sum. Iam nosti tu, fili Parmeno, quid tibi nuper à me promissum sit; tu, filia, quid te modo rogarim, Omissa & seposita difficultate omni quã concessioni tuæ junxisti, paucis omnino verbis res trãsigenda est, cũ tempus multa nõ admittat. Sẽper iste tui amoris gratia anxiũ animũ habuit, multa passus est; nunc cũ corã dolores ejus videas, scio, nolis illum, tui caussã, mori, & jã dum cognovi eũ tibi videri talẽ, ut non indignus sit, neque pro malo facto arbitrandũ, ut istã noctẽ hic domi tuę transigat. AREVSA. Per meam vitam mater, ne hoc ita facere animum inducat; Iesu, ne imperes mihi isthuc! PAR Mater mea, per amorẽ Numinis, ne mihi hinc abeundum sit absq; bona negotii mei cõpositione, jã n. visa ea amore commorior. Offer illi omnia quæ pater meus tuæ fidei, mihi exhibenda, cõmisit; dic daturã illi omnia quæ mea sunt. Iã tibi dixi videri mihi ẽt vultum illam à me avertere, neq; oculis dignari velle. AREVSA. Quid tibi in aurem insusurravit iste homo, mater. Putat nihil me eorum facturam quæ tibi placere videro? CEL, Non ait, istud, filia, verum quantopere amicitiam tuam expetat, cum sis puella tam honorabilis, in quam omne genus beneficiorum pulcre collocetur. Accede ꝓpius istud pudẽtulæ, ignave; Videre n. meis oculis volo quãti pretii sis priusq̃ hinc eam; reclina illã suaviter in lectũ istũ. AREVSA. Non erit ille tam incivilis ut in vetitũ sine permissione sese inferat. CEL. Iam tu incivilitates & permissiones

loqueris? Non morabor ego isthic amplius. Ego cautionem dabo mane crastino te sine dolore, *illum sine rubore evigilaturum*. Verum uti est fortiusculus ad talia non credidero posse illum tribus noctibus continuis latus rumpere. Tales Gallos commendabant olim juveni mihi medici patriæ meæ, cum adhuc sanis dẽtibus essem. AREVS. O Domine mi, ne me tractes istis modis tene rationem, per civilitatis legem, respice canos illius honoratæ matronæ; quæ præsens est impudentiæ tuæ. Aufer te hinc, Non sum ex illis quę publice prostant ad vendendum corporis usum pecuniã. Ita bene mihi sit ex ædibus profugiũ si donec Celestina, mater mea, abierit, tunicã meã tetigeris. CEL. Quid hoc rei est, Areusa? Quæ sunt illę longe petitæ, & indignæ obtestationes? hæ novitates morum, & refugia? Videtur tibi, filia; non nosse me quid hoc rei sit. Non viderim alibi virum cum fœmina delicias facienteis? Numquam me talia degustasse, aut rudem eorum esse, quæ pro ætate tua tu expetis? Nesciam quid tali loco tali tempore transigatur, dicatur, fiat? Væ qui talia audiat, qualia ego! Affirmo tibi tam me amatam & expetitam fuisse, quam tu nunc expeteris atque amaris; quotquot autem amicos habui numquam ullum vetulum aut vetulam à me amovi, neq; consilium eorum umquam sive publicè sive privatim! Per mortem illam quam Deo debeo malim grãdi colafo frontem vapulare; Videor mihi heri nata secundum tuam quidem à vultu meo secessionem! Vt te facias honestam, me facis fatuam, & pudoris nimii & secreti nihil tacituram, & inexpertem rerum; mihi imminuis officii mei usum, ut tibi tui amplifices. *Porro cum pirata* piratam oppugnat nihil præter navim

petit.

perit. Amplius te absentem commendo quã tu te æstimas præsentem. AREVS. Si erravi mater, cõdonabis culpã, veniam rogo. Accedas licet propius, & ille faciat quod volet. Potius volo quæ tu vis, quam quæ mihi placent, *oculum mihi prius* excutiam, quam quicquam committam quod tibi molestiam faciat. CEL. Non quicquam ego hinc molestię capio; verum dico tibi hoc, uti in posterum bene rem geras. Deus vobiscum maneat! Ego hinc sola eo, movetis enim vos mihi salivam vestris suaviationibus & amplexationibus: *Quanquam enim gustus gingivarum* mihi perierit, superest tamen ejus aliquid in dẽtibus. AREVSA. Deus te comitetur. PARM. mater, jubes tecum eam? CEL. Sit de uno equo tollere, ut alteri imponas. Deus vos servet: Ego vetula sum, non metuo ne quis vim mihi in platea inferat. ELICIA. Canis latravit. Si adest demum ille malus Genius, vetula nostra. CEL. Tha, Tha, Tha, ELICIA. Quis est isthic, quis pultat? CEL. descende aperi, filia. ELIC. Hæ sunt tuæ reditiones, noctu ambulare tibi placet; Cur hoc facis? Quid tam diu emorata es mater? Numquam cum abiisti meministi redire! Hoc tua consuetudo est; uni satisfaciendo, centum alios frustraris. Hodie quæsivit te pater Sponsæ illius, quam Paschatis die Magistro Rationũ conciliasti, illam elocare conclusit; nuptię fient tertio ab hinc die. Opus est remediis tuis illi adsis, quibus promisisti, ne damnum virginitatis maritus sentiat. CEL. Non succurrit mihi quem dicas, filia. ELICIA. quomodo non succurrit? Obliviosa es certè. O quam caduca tibi memoria est! Certè affirmasti tu mihi cũ illam susciperes curandam, septies jam à te restitutã

 esse.

esse. CEL. ne mirum hoc tibi sit, filia, *qui in multas partes* dividit memoriam suam, in nulla eam integram habere potest. Verũ dic mihi, rediturus ille est? ELICIA. Vide an rediturus sit. reliquit tibi pignori isthic armillã aureã, pro labore tuo, & rogas an rediturus sit? CEL. Illa cũ armilla est; Iam scio qua de caussa dicas. Cur tu non audebas, aliquid, &, sumtis necessariis, rei te accingebas? In talibus certe discere artificium, & periculum facere, te decebat. Quot jam vicibus me facere vidisti? Iam si talibus te non accinxeris, totam vitam tuam imprudens rerum *bestia* manebis, neque officium ullum capies, neque peculium tibi conficies Et cum ad meam hanc aliquando ętatem veneris negligentiam hujus temporis, incassum deliciis vacantis, deplorabis. *Iuventus etenim otiosa.* inducit Senectutẽ ærumnosam & Pœnitentia frustra bonam ætatem revocantem. Iam ego melius ista omnia conficiebam, cum avia tua (quæ cum Deo est) mihi commonstraret usum huius officii, anno uno finito, melius noram quam ipsamet magistra. ELICIA. Non est mirum hoc, *sæpius enim magistri* industriam vincit ingenium discipuli. Neque hoc contingit nisi ex voluptate quam in studio quolibet quis habet. *Nulla scientia* bene collocatur in eum qui illius non est cupidus: Ego officium istud odi, tu amore ejus fere commoreris. CEL. Tibi dicas omnę istud. Pauperem Senectam quæris. Credis te affixam mihi, numquam latere meo amovendam? CEL. Per deum odiosas istas contentiones tempori & consiliis melioribus relinquamus: Nunc indulgeamus Voluptatibus, dum, hodie erit quod edamus non curemus crastinum. Non minus moritur ille qui

le qui multa corradit quam is qui vitam summa inopia decurrit. Tam eruditissimus quisque, quam rudis de villa pastor; Herus uti servus, nobilis ut plebeius, pariter tu cum officio tuo, atque ego sine ullo. Non est ut speremus perpetuo hic vivere. Ludamus & gaudeamus, ad Senectutis annos pauci omnino perveniunt, & qui eam attingunt, nemo ex iis moritur fame. Nihil in hac vita posco præter diem & Victũ, & post locum in Paradiso. Quamvis dites meliora instrumenta ad Gloriam parandam habeant atque egeni; tamen nemo eorum sorte sua contentus vivit: Nemo est qui dicat; Satis jam habeo: Non est ullus inter eos cujus divitiis ego hilaritatem meam mutare velim. Omittamus sollicitudines alienas, & jam cubitum eamus, uti tempus postulat. Sane valentiorem me faciet bene & secure dormivisse, quam quotquot thesaurii sunt Venetiis.

ACTUS. VIII.

ARGUMENTUM.

Mane alterius diei fit: Expergefactus Parmeno Areusam relinquit & domum Callistonis domini sui, redit. Reperit Sempronium ad ostium, amicitiam mutuam consponden t. Eunt junctim ad cubiculum Callistonis, offendunt illum secum ipso fabulantem. Surgit is lecto, & templum petit.

* * *

PARMENO. AREVSA.
CALISTO. SEMPRONIVS.

PAR. Clarum jam mane est ô quid hoc rei est? Quomodo hoc ita lucet per cubiculum? AREVS. Quid lucis narras? dormi etiam, domine: Vix jam cubitum venimus, vix ego oculos satis concinne clausi, jam tu diem novum narras? Aperi sodes istam fenestram ad caput tuum, videbis quod dico. PAR. Bene apud me sum, Domina, clara dies est, jam per portæ rimas lux intrat non dubitanda. O scelestum me; quam ego herum meum offendi, magnum suppliciũ meritus sum; hei quam jam tarde animadverti. AREVS. Tarde? PAR. Et valde quidem. AREVS. At ita bene mihi sit ut nõdum deseruit me malum hoc matricis; nescio quomodo hæc se habeãt. PAR. Quid ergo vis fieri, vita mea? AREVS? ut de malo isto meo sermocinemur. PAR. Domina mea, si quod modo sermocinatum est, non sufficit, quod reliquum est, ignosces mihi, hoc enim quod magis necessarium factu video præferendum erit, mera jam meridies est. Si moror etiam ulterius metus est, ne male ab hero meo excipiar; Cras tibi reditum polliceor, & quot vicibus deinceps volueris. *Et hoc fine Deus diem diei subiecit*, alterũq; alteri instare mandavit, ut quod unius spatio satis expeditum non fuisset, sequentis exigeretur. Verum ut amplius gaudio nostro fruamur, oro, hoc mihi gratiæ facias, ut hodie, duodecima diei hora, domum Celestinæ pransum nobiscum venias. AREVS. Accipio cõditionem, grato animo. I cum bono Deo: Claude ostium abiens. PAR. Tecum sit Deus. O singularis voluptas, ô gratissima recreatio; Quis hominum vel nũc vivit,

vivit, vel umquam antea vixit me fortunatior. Quis cui vota sua melius successerint, atque ego, qui tantũ bonum ad sententiam meam tanto tempore possedi; idque non petii prius quam potitus sum ! Certe si mala facta & technas subdolas hujus anus æquo animo ferre possem, genibus flexis ad eam accurrere debebã, uti ejus gratiam integram obtinerem. Quo pacto rependam tantum hoc beneficium? O summe Deus cui ego jam recensebo gaudium hoc meum, cui reserabo secretum hoc felicitatis meę? Cui communicabo gloriam meam? Bene mihi narrabat vetula nostra, nullius felicitatis integrum esse fructum sine participatione sodalis alicujus, *Voluptas cujus conscius: nemo est, Voluptas vera non est.* Quis percipiet talem hanc delectationem, qualem ego apud animum meũ sentio? Sempronium video ad ostium domus nostræ, bene mane expergefactus est, habebo quod agam cũ hero meo, si jam domo prodiit: Non fecerit, opinor, non enim solet. Verum, ut nunc non optime sensibus suis utitur, non mirum sit si & consuetudinem suam mutaverit. SEM. Parmeno frater, si ego nossem regionem illam ubi stertendo mercedem suam homines merentur, nullo labori parcerem ut eo venirem, neque cuipiam in ea reconcederem , certe tam facile quam quivis alius ditescerem. Tu certe, ignavissimi nebulonis instar hodie parum sollicitus fuisti quãdo huc redires. Nescio quam caussam te attinuisse dicã, nisi forte excaldefactum Vetulam istam ista nocte emansisti; aut, uti puer solebas , *strigilem illi ad balneum.* Supportasti. PAR. O amice Semproni, ne corrumpas Voluptatem meam , non opponas iram tolerantiæ meæ non involvas fastidiis tuis desiderabiles successus meos:
 sus meos:

ſus meos: Ne turbes tam lutoſa aqua clarum limpidumque cogitationum mearum liquorem, dulcedinem fortunæ faventis mihi invidioſis tuis & odioſis reprehenſionibus ne inficias, Recipe cum hilaritate me, & recenſebo tibi mira miracula Proſperitatis meæ quamque volupe mihi totum hoc tempus abſentiæ fuerit. SEM. Dic, dic, an aliquid rerum Melibææ reſciviſti? PAR. Quid Melibææ; Eſt ſuper alia omnino, quam ego cupio potius, & certe talis, ut, ſiquidem non omnia me fallũt, cum iſta facile comitate & pulcritudine paria facere poſſit. Non enim omnes formoſitates & Gratias ſola Melibæa ſibi incluſas & affixas habet, SEM. Quid tibi inſaniæ obrigit, fatue? riderem equidem ſi valerem. Iam omnes Amamus, omnes infatuamur, Calliſto Melibæam perit, ego Eliciam, tu ex mera invidia quæſiviſti ubi paullum illud etiam ſenſuum, quod tibi reſtabat, perderes. PARM. Nunc demum amare deſipere eſt, & ego fatuus & abſque ſenſibus. At ſi *ſtulticia dolor eſſet, in nulla non domo ejulatus* audires SEM. Secundum ipſius dicta tua tu deſipis, ut te audivi conſiliantem Calliſtoni, & contrariantem omnibus Celeſtinæ dictis, ut ejus meoque lucro officeres. Bene tibi erat non participaturum te bona noſtra; jam cum mihi in poteſtatem quid obvenerit unde de te ultionem ſumere poſſim, numquam deſinam tibi viciſſim inequitare. PAR. Non eſt vera virtus aut fortitudo Semproni, obeſſe alicui, impedire, injurioſum eſſe cuipiam, potior eum adjuvare, cõmodis ejus adeſſe, & per omnia res ejus in melius efferre velle. Ego te ſemper fraterno loco habui, non fiat in te verum quod vulgo jactatur, Parvam cauſſam ſæpe ingentes amicitias disjungere. Male me certe ubique

bique tractas. Nescio unde rancor ille animi proficiscatur. Ne indignantem me indignis tuis convitiis facias, Considera raram esse Patientiam tam bonæ fidei ut acuto dicterio non transfigatur. SEM. Non dico jã amplius de hoc: istud solum. postquam & tu amicam habes iterum *Mopso Alisam* obtigisse. PAR Iratus es, tolerabo iracundiam tuam, etsi pejus etiam me invehare. Verum enim quod dici audivi nullam humanã passionem durabilem nedum perpetuam esse. SEMP. Pejus tu herum nostrum tractas, consiliando & suadendo ipsi quod tu in tuis rebus fugis, nimirum inculcando ut Amorem Melibææ abs sese fuget, *Cotis instar factus*, quæ alios secare facit, ipsa impos. O *Parmeno jam percipere* usu potes quam facile sit alienam vitam reprehendere, & quam contra laboriosum atq; difficile bene suæ quemque præesse! Non dico amplius: Tu tibi in testimonium venis? Porro etiam observabimus quid facturus sis, jam enim factus es unus de populo. Si amicus mihi fuisses, cum opera tua opus habebã, tum mihi affuisses, & Celestinæ in cõmodũ meũ auxiliatus esses, neq; cuiq; verbo malæ suspicionis apud herũ clavũ affigere voluisses. Scias, nõ aliter q̃ vinũ ad faces usq; ebibitũ ebriosos homines tabernis emovet, ita adversitates & indigentias fictos & simulantes amicos. *Falsum & inauratũ metallũ* facile esse extremitatib. massarũ prodit. PAR. Dici audiverã, & jã experiẽtia idẽ me addocet, numquã Voluptatẽ venire sine stimulis cõtrariis in tristi hac vita: Claris & serenis Solib9 succedere videm9 obscuras nubes & dẽsas pluvias, Solatiis & delectationib. dolores & tãdẽ mortes: Risibus & delitiis ejulatus & planctus, & mortifera cordolia instãt; Ad summã multis magnisq; gaudiis multæ

multæ tristitiæ & angores. Quis tanta hilaritate animum excitare potuit, quanta mihi nūc obtigit? Quis tam tristi insuper indignitate torqueri! Quis videre se in tantæ gloriæ possessione, quantam ego, potitus Areusæ meæ, obtinui? Quis tam alto loco decidere ut idem ego, tam male nunc á te tractari incipiens! Nec spatium tu quidem dicendi mihi reliquisti quātopere tuus sim, quam te demereri studeam, quam me præteritorum pœniteat, quanta bona consilia, atque castigationes impertita mihi sit Celestina! in favorem & emolumentum tuum, & nostrum commune omnium; uti jam in manu nobis sit opulescere; ludum istum nunc cum Callistone pro lubitu nostro delusuris, aut certe numquam. SEM. Bene me afficiūt sermones tui, si tales operas adjunxeris, quales quidé exinde te bonis illis dictis subjuncturum spero. Verū, propter Deum tibi supplico, dicas mihi, quid sit istud de Areusa quod modo innuisti, Potest ut tibi nota sit Areusa, Elicię cognata? PARM. Quid aliud censes tātopere jactare me quam quod noctem hanc eam habui? SEM. Vide fatuus quomodo hoc extulit! Risus verba impedit, risu moriturum puto! Quæ illa fuit quam habuisse te ais? erat illa ad fenestram aliquam? aut quid dicere vis? PAR. Ita ut dubiam fecerim prægnans, sit, an secus? SEM. Externasti me. Multum efficere potest continuus Labor. Gutta una sæpe cadendo cavat petram. PAR. Videas tu quam labor iste sit continuus. Heri hanc cogitavi, hodie pro mea habeo. SEM. Vetula hoc negotium confecit. PARM. Vnde tu nosti istud? SEM. Ipsa mihi narravit tui illā cupidā esse, & quod in manum tibi illam tradere vellet. Felix fuisti, nullo labore opus habuisti, venisti & potitus es! Hinc

Hinc est quod ajunt, feliciorem esse quem Deus juvat quam qui mane se Conficiendo operi accingit. PAR. sero cupivi, ita mane potitus sum. O fratercule quantum est quod super gratiis ejus tibi narrare habeo: quid locuta sit, quanta venustate omnibus mẽbris decorata. Verum differantur ista in opportunius tempus. SEM. Satis scio illam apprime formosam esse, quæ sit cognata Eliciæ ; non laudabis illam tantum quin illa altera longe meliora omnia habeat : Omnia credibilia sunt, sed, dic mihi, quanti tibi constitit? aliquid illi largitus es? PAR. Nihil sane, quamquam optime collocatum fuisset, si quid expẽdissem: Omnibus illa beneficiis digna est. Tanti æstimantur istæ tales quanto carius comparantur. Tantum valent quã ti constant. Quod magni pretii est numquam vili emitur, mihi tamen cõtra obtigit cum ista mea domina. Ad prandium illam vocavi domum Celestinæ, si placet, junctim eo eamus. SEM. Quem dicis frater? PAR. Te & illam, ibi erit ipsa vetula Celestina, & Elycia tua, bene nos curabimus. SEMP. O supreme Deus, & quam me exhilarasti! Liberalis es, numquam egebis. Quantum te virum existimo! Quam Deus tibi multa bona faciet! Omnem animi indignationem, quam pręterita tua verba mihi fecerunt, in purum Amorem verti. Iam non dubito ex fœdere, quod tibi nobiscum conclusum est, bona omnia proventura nobis. Amplecti te cupio! Simus deinceps velut germani fratres, Amicorum iræ semper redintegrationes amicitiæ sunt. Edamus, bibamus, ludamus; herus noster jejunabit pro omnibus. PAR. Et quid agit desperabundus? SEM. Extensus illic in pavimento jacet secus lectum, quo loco heri sub noctem illum reliquisti,

quisti, si ad eum accedo sonitum stertentis exprimit, si abscedo, cantat aut divinat. Parum ego curo ægre an bene illi sit. PARM. Quid dicis, & numquam me vocavit, aut mentionem mei fecit. SEMP. Sui ipsius oblitus dudum est, eum tui meminisse existimas? PARM. Tamen satis diu factum est quod absfui. Verum cum ita sit, interim dum ille sui meique recordabatur, ego obsonium ad Celestinam mittam, uti cum venerimus, parata sint omnia. SEMP. Quid decrevisti mittere, ut fatuellæ illæ te insignem virum æstiment, liberalem & civilem? PARM. *De pena ampla cœna facile paratur.* Sufficit quod jam hic in conditorio Domini est, ne quid desit epulis: Panis candidus, vinũ de Monviedro, perna, & sex paria pullorum quæ pridie attulerunt, pro annuo reditu domino nostro: Si aliquando illos poscet, persuadebo ipsi, ab ipso jam comestos esse, turtures quos usque hodie servari jussit, referam credituro, jam fœtere putredine. Tu testis eris: simulabimus metuere, nos ne de illis comedat, quando tam sint fætidæ; sic ad nostram mensam ut æquum est transvolabunt. Illic loquemur de universis amplius; prope Amores nostros, ipsius damno, emolumento nostro, cum vetula principe contubernii nostri. Et illic ejus quoque Amores examinabimus. SEMPR. Potius dolores: non enim possum sperare hac illum vice evasurum quin vel plane sensibus excedat, aut moriatur. Quod cum ita sit ascendamus videre quid rerum gerat. CALLISTO.

Morte super nostra non est mora: talia circum.
Vndique me torquent fœta, pericla, malis.
Quippe ubi me desiderii fax fervida poscit.
Quod spei adepturum Regula tota negat.

PARM.

PARM. Ausculta, Ausculta. Semproni. Iam Poetam agit, Dominus noster. SEM. O te scelestum! quatam agit, Dominus noster. SEM. O te scelestum! quam Poetam! Nihil præ isto *Antipater Sidonius*, & Ovidius Naso quos constat naturæ munere omnia subitis versibus claudere potuisse. Sic, sic tu conciliatus es? certè in somnis divinati mihi videtur. CALLISTO.

Audi Cor miserum, bene nunc te ista omnia tangunt.
Tristitiæ ut sævis immoriare modis.
Cum te tam facilem tam duro subdat Amori.
Vnica lux vitæ & Spes, Melibæa, tuæ.

PARM. Non dixi ego Poetari illum? CALL. Quis isthic loquitur? servi. PAR. Here. CALL. est nocticinium jam an nondum tempus cubitum eundi? PAR. Iam tardius est quam quo tu tempore lecto surgere solebas. CAL. Quid dicis, inepte, tota non præteriit? PAR. Etiam bona pars diei. CAL. Dic tu, Semproni, mentitur insanus iste, qui persuadere mihi diem esse cupit? SEM. Depone paullum animo Melibæam here videbis clarum diem. Perpetuæ tuę in illam cogitationes, quibus gestus ejus semper ob oculos fixos habes, non patiuntur illos trans tenebras animi perspicere. CAL. Iam credo, jam enim sonitum de templi turre audio. Credo vestimenta, ibo ad Magdalenæ, oratum Deum ut dirigat Celestinæ propositũ in bonum finem, immittat cordi Melibææ remedii mei curam, vel cito det finem tristi & ærumnosæ vitæ meæ. SEM. Ne tantopere te excrucies animi, neque omnia una horâ contingere quæ cupis, expetas. Non est hominis bono judicio, magno impetu id factũ videre velle, quod ęgre multo tempore conficitur. Si tu vis uno die confici, quod ut expediatur annum integrum poscit, vita tua *nõ magni erit spatij*. Tu mihi herus es, ego

es, ego servitum me tibi dedi; insuper scio bonum te consilium meum sine præmio non præteriturum, neque mala mea dicta absq; pœna à te audientur. Quãquam dici soleat non esse æqualem laudem boni dicti aut facti, castigationi, quæ malum dictum aut factum sequi solet. CALL. Nescio quis te docuerit consuetudinem istam Philosophandi, Semproni. SEMP. *Non omne est candidum*, Domine, quod atro dissimile est. Neque omne aurum est quod croceo colore fulgurat. Præcipitata tua desideria, non moderata lance Rationis, faciunt clara tibi videri consilia mea. Volebas tu heri, ut illico afferrent tibi primo cum eâ sermone involutam & colligatam cingulo suo Melibęã; velut aliquid id esset de foro mercimonii, numeratâ pro eo pecunia, nulla difficultate, parabile. Remitte paullum here, fervorem illum cordi tuo: in minuto temporis spatio non exigitur summa Prosperitas; *Vno solo ictu nulla quercus cadit.* Tolera cupiditatem tuam æquanimitate: Prudentia res est Laudabilis. Præparatio & Patientia resistunt etiam durissimis insultibus. CAL. Bene dixisti, si qualitas modo mali mei tale aliquid admitteret. SEM. Ad quid, here, dati sunt homini sensus, si voluntas imperare habet Rationi? CALL. O stulte, stulte, valens dicit ægroto. Deus tibi sanitatem restituat. Nõ quæro consilium, neque morabor ultra sermones tuos: magis tu his talibus incẽdis, & intendis flammas, quę me consumunt. Ego solus in templum me conferam, neque domum hanc meam me reducam, donec tu me revocaveris, poscẽdo à me Evangelium propter gaudium quod de reditu suo, & bonâ expeditione negotii mei Celestina mihi fecerit, neque ad id temporis cibum capiam,

quam-

quamquam prius sol clarificos illos suos ad pastum consueta in pratorum viridaria Equos curru roseo deligaverit. SEM. Omitte, Domine, istas ambages, pone Poeticas istas deliratiunculas. Non enim familiari colloquio bene sermo ad obscuras & paucis intelligendas descriptiones detorquetur; quas qui nō assequuntur, vituperant, & loco non suo prolatæ ridiculam orationem faciunt. Dic. Quamvis Sol prius occiderit; Sic omnes capiēt quid velis: tuque aliquid boni medicamenti edas, quod tanto tempore te sustineat. CALL. Semproni, fidelis mihi serve, bone mihi Consiliator, fiat uti tibi placet; Pro certo enim habeo, secundum purum tuum in me studium, tanti te facere meam vitam quanti tuam ipsius. SEM. Credis tu idem, Parmeno? Novi te juramento hoc non affirmaturum, & memento, cum ad medicamentum apportandum iveris, corripias aliquid cupediarum pro nostris amicis, *Quod nos magis juverit.* CALL. Quid dicis, Semproni? SEMP. Parmenoni dicebam, here, iret, aliquid boni medicamenti opportaret, citrei pomi puta partem conditā. PAR. Eccam tibi isthic: here. CALL. Cedo. SEM. Vides quomodo hoc deglutivit scelestus! totum uno tolo transglutire vult, ut citius expediatur. CALL. Animam paullum recepi. Deus interea vos custodiat; filii, exspectate hic Celestinam, & bona ejus nuncia capta mihi illuc ferte. PAR. Illuc tu eas cum malo Genio & malis fortuniis, & tali successu medicamen hoc deglutiveris, quali pharmacum illud olim Appuleius, quo ebibito in asinum conversus est.

* *
*

ACTUS. IX.

ARGUMENTUM.

Sempronius & Parmeno mutuo colloquentes domum Celestinæ eunt Eo venientes offendunt Eliciam & Areusam. Assident pransum. Inter pascendum Elicia rixatur cum Sempronio. Iracunda de mensa surgit. Eam mitigare student. Ad hoc epulum venit Lucretia ancilla Melibææ, vocatum Celestinam, ut ad Melibæam veniat.

SEMPRONIVS. PARMENO. CELESTINA. ELICIA. AREVSA. LVCRETIA.

S. PARM. defer pallia nostra & enses, si tibi videtur; tempus jam est ut pransum eamus. PAR. Eamus confestim, auguror jam illos conqueri de morâ nostrâ. Non isthac versum, sed per illam regionem, Semproni; ut per templum euntes videamus an Celestina orationes suas finiverit, perviam illam assumemus, SEM. *felici & jocundo tempore* ad orationes dicendas abutitur. PARM. Sine tempore facta narrari non possunt, quę ut fierent, diuturno eo opus habuerunt. SEM. Verum est, sed male tibi nota est Celestina, quando patrandum aliquid habet, non vacat illi meminisse Dei, neque sanctitatum quarumcunque; Quando quod rodat domi habet, nihil negotii facit sanctis. Cum quis illam accinctam *memorialibus precationum* ad templum iter facere videbit, sciat vacuam eduliis domum relinquere. Quamquam te educaverit illa, plus tamen ego virtutum, illius novi. Quod in preca-

precationibus suis recitat, virginitates sunt quas resarciendas conduxit, quot scorta, quæ ipsi amores suos commendaverint, per civitatem inveniantur, quãtas puellas opus sit quam primum ad pretium devirginari, quales quique ; quamque liberales Rationum magistros debitores habeat, quomodo illi appellentur: Vt quando obviam forte fortuna ipsi venerint non pro ignota illos alloquatur: Quis Canonicus adolescẽtior, quis dando sit honorabilior: Cũ labra commovet, fingit mendacia, dolos, emungendis pecunia hominibus, comminiscitur , Sic ille sermonem ordietur, sic autem mihi responsurus est, hoc replicabit denuo, ita vitam sustinet illa quam nos tãtopere honoramus. PAR. Nihil hoc est præ iis quæ ego rerum ipsius cognita habeo. Verum quoniam commotus es nuper, & Callistoni renuntiasti, nolo quippiam amplius credere. SEM. Quæ commodo & cautioni nobis scimus, ea ne propalemus in damnum nostrum. Scire herum nostrum talia opus nõ est, forte enim illam amoverit, & nos, qui alicujus eam facimus, minime hoc juverit. Cogetur ita adsciscere aliam, cujus laborum fructus nequaquam ad nos, ex parte, redierit, uti de hujus speramus. Quæ bona sua gratia aut vi adacta nobis solvet parte m ejus quod ab hero nostro acceperit. PARM. bene dixisti, Tace: ostium apertũ video: domi est Celestina. Inclama prius quam intro pedem ponas, potest enim ut ornatæ & compositæ nondum sint , & ita conspici adhuc nolint. SEM. Intra tu modo, ne sis de his sollicitus omnes hic domestici sumus. Iã dum mensam ponunt. CEL. ô amatorculi mei, aurei uniones mei , talis mihi adsit

annus hornus, qualis videtur adventus vester. PAR. Qualia verba movet generosa hæc! Vides, frater, adulationes & blanditias istas fictitias? SEM. Sine illã, hinc victum sibi parat, nescio quis malus Dæmon omnes istas sceleratas nequitias illam docuerit. PAR. Necessitas atq; indigentia, *famesque, quibus meliores* magistras res humanæ non habent; non est usquam melior expergefactrix atq; excitatrix ingeniorum. Quis psittacos & picas erudiit nostra verba conari? curvis suis linguis, voces & sermones nostros? quis orgia loquendi mutis animantibus in humanos sonos laxavit, nisi istæ? CEL. Puellæ meę Puellæ, inquam, meæ, descendite illico, huc properate, eccos duos homines isthic qui vim mihi facere moliuntur! ELIC. Vel numquam huc veniant. Quales has invitationes cẽses? Tres jam horę sunt quod cognata mea isthic prę-stolatur. Ignavus ille Sempronius caussã proculdubio hujus molestæ moræ est; non enim oculos habet quibus videre me possit. SEM. Tace obsecro Mea domina, Vita, Lux, Amor, Desiderium; qui enim alii servit sui juris non est. Ista subjectio æquo jure excusare me debet; ne stomachemur; assideamus pransum. ELIC. Sic sic, ad epulas properandi quanta hominis diligẽtia est! *Ad positam mensam manibus bene lotis cum minimo pudore ire decet.* SEM. Post altercabimur, nunc edamus. Sede tu primum Celestina mater. CEL. Accumbite vos, filii mei: Satis spatii, gratia Deo, omnibus erit: Tantum nobis apud Paradisum detur, quando illuc ierimus. Servate ordines, quisque suam Dominam sibi allocet; Ego, quæ sola sum, istud vitrum cum Cantharo prope me defigam, nil in vita mea mihi carius & optatius accidere valet, quam hoc genus alloqui,

ample-

amplecti, cum eo conversari semper. Ex quo anus facta sum nullum mihi ad mensam officium aptius fuit quam vinum ministrare compotantibus. Qui enim mel tractat dulcedinem aliunde quærere, opus non habet. Porro noctibus hybernis, nemo alius tam bonus calefactor lecti est mihi, quam duo vitra vegrandia vini, quando cubitum cedere complacuit, sic tota nocte frigus nullum sentio. Vino vestimenta mea munire, instar mastrucarum ut valeant, soleo, cum Natalitia Christi Festa ingruunt; hoc mihi sanguinẽ vaporat: huic debeo quod perpetuam unam valetudinem vivo, hujus munere hilaris semper incedo, hoc animum defęcatum exhibet, hoc divitias me domi meæ videre facit, numquam malum anni proventuim metuere. *Vna panis crusta etiam* murium arrosu non indemnis, tres dies mihi suffecerit pastui, modo vini copia copis adsit. Hoc pectore tristitiam expectorat, efficacius gemmis & auro. Hoc vires addit pueris restituit senibus, pallidis vivum calorem reducit, animat ignavos, futiles diligentes facit, forte reddit cerebrum, tollit ventriculo frigus, fugat fœtentem oris halitum, impotentes potentes facit, Laborum & sudorum injurias contemnere facit. *Quicquid mali humoris corpori* inest operariis exprimit, catarros dispellit, dentibus dolentibus bene facit. Sine fœtore in mari se servat, quod aquæ negatum est. Amplius virtutum ejus tibi narrare possum, quam toto vertice capillos habes. Nemo est qui ejus saltim mentione facta non exhilarescat, Neq; præter unam maculam habet; quod cum optimum est carum est, cum sequius, nocet: Adde quod cum sanat ventrem & morbos curat, oppugnat marsupium. Verumtamen

etiam cum ſummo meo ſudore ego ubique, quod optimum eſt, perſequor, neque deſiſtam paucos iſtos annos quos adhuc vivere habeo. Duodecim ſtrenui ductus non me dejicient ſtatione ad menſam ordinaria meâ, ad ſingula quidem fercula: Tamen cum foris aut alieno alioquin ſumtu cibum capio, plus aliquantillum aſſumere ſoleo? PARM. Atqui qui de talibus libros commentati ſunt, mater, *tria pocula honeſtati & utilitati ſuffectura* deſtinarunt. CEL. Mendum erit librariorum, fili, tredecim enim ſcribendum erat. SEM. Domina mater omnibus nobis bene eſt bibere, edere, colloqui pro voto. Atqui deinde non erit temporis ſatis ad negotia Amorum heri noſtri Calliſtonis, jam fere perditi expediunda, apud generoſam illam & ſpecioſiſſimam Melibæam. ELICIA. Amove te iſthinc ſceleſte, moleſte, *male tibi quod edis expetat*, qui hoc mihi cibi offundas. Per vitam meam revomere velim omnia quæ iſthic edi nauſeâ, quod iſtā tu ſpecioſitatis laudare auſus es. Vide quanta formoſitas! Ieſu, Ieſu, quale faſtidium, quanta moleſtia eſt audire te tam nullo pudore loquentem! Et quomodo ſpecioſa? Dii mihi omnes male faciant, ſi in illa quippiā hac laude dignum exſtat. Siquidem oculi iſti mei mihi glaucomatis offuſcati non ſunt. Signo crucis me ſignabo tantæ ſtultitiæ & ſtupiditatis tuæ admiratione! ſi quis modo adeſſet cui liberet diſputationes ſuper formoſitate & Civilitate hujus tecum nectere! Tota iſta formoſitas uno nummo in omnibus tabernis venalis eſt. Fidem meam teſtor, notas mihi in eadem regione, quâ illa habitat, quatuor puellas eſſe, longe ſingulas omnibus ad formam & mores pertinentibus Melibæa dotatiores. Quod ſi aliquid illi

ſpeciei

speciei inest, totum hoc de splendidis vestimentis; venit, circumducite vel ligneum palum talibus, pariter speciosum dicetis. Per vitam meam, nec hoc mei commendandi gratiam dixerim, non diffido cuilibet arbitro me probatura, æque me atque illam formosam esse. AREVS. Atqui tu eam nõ tantum introspexisti quantum ego, soror. Deus mihi iratus sit si mentior; si quo jejuniorum die illam videris, non poteris integro illo quicquam cibi sumere nausea & fastidio. Totum annum inclusa sedet mille deformib. maculis corpus vitiata. Cum semel in publicum proditura est, ubi videri possit, caput melle & felle obfuscat, ficubus passis, pane asso, mille talibus pigmentis & polituris, quarum vocabula præsentis mensæ verecundia vel efferre prohibet. Divitiæ suæ istas tales speciosas videri faciunt, non venustates corporũ. Ita bene mihi sit, mamillas ista habet, quæ quidem virgo sit, ac si jam ter peperisset, grandes, instar cucurbitarum. Ventrem ipsius non vidi quidem, tamẽ comparatione cæterorum, facile judiciũ capere possum, non minus flaccidum & rugis confectum habere quam anum quinquaginta annos jam supergressam. Nescio quid intemperiarum Callistonem agat in conspecta semel ista, tantopere furere, cum aliæ sint quarum potiri minori negotio possit, quæque sane majores ipsi delicias facere norint. Verum *gustus semel corruptus amarum frequenter pro dulci æstimat*. SEMP. Ignosce, soror. Videtur hoc loco mihi quemlibet venales suas merces laudare, uti eas extrudere commodius possit: Contrariũ sane de Melibæa sentit tota civitas. AREVS. *Nulla uspiã rerũ longius à veritate abest*, quã vulgi,

vulgi,opinio. Si ad multorum vota te composueris, numquam lætus vives. At contra ita verè concludi poterit: Omnia quæ à vulgo hominum commendantur, Vanitatem esse; quod loquitur plebs, falsum est, quod vituperat, bonum; quod probat, malum; cumq; sit ejus hæc consuetudo, hic usus, ne tu affirmaveris præstantiam & speciositatem Melibææ eam esse, quā suadent plerique. SEM. Bona domina: loquacitas vulgi non facile maculas optimatium dissimulat, aut pervidet, Ita credo si aliquid contemtu dignum Melibææ inesset, jam olim notitia ejus apud plures esset, præcipue cum non pauci eam quotidie videant, alloquantur, per quos talia publicari possint. Et quamlibet dictis tuis accederem: Callisto Generosus juvenis est. generosa itidem puella Melibæa; sicq;, simili stirpis splendore prognati merito mutuò sese amant, proinde mirum non debet videri, eam potius ab illo diligi quam aliam quamlibet. AREVS. *Nihili sit qui pro* nihili sese gerit: Virtutes faciunt genus, ad summam rē persequēdo Omnes sumus filij filiæq; Adami & Evæ. Curet pro se quisque uti bonus sit, neque nobilitatē sibi quærat in virtute ante se vita functorum. CEL. Per vitam meam, Filii cessent altercationes jam istæ vestræ; tu, Elicia, revertere isthuc ad mensam, & stomachationes istas omittas. ELIC. ei ego assideam, qui tantum mihi odii conficit? Ego cum illo cibum capiam, qui in faciem meam mihi objecit amabiliorē esse Melibęę vilem tunicam, omni mea Venere? SEM. Tace, anima mea. Tu comparationem istam orsa es. Omnis comparatio odiosa est; tibi culpa rescribatur non mihi. AREVS. Ades esum, soror, neque tantum perjuris istis fatuis volupe facias, ut eorum caussa hinc absis,

absis, sin, & ego jam hinc abscessero. ELIC. Necessitas parendi tibi facit ut hoc etiam inimico huic meo gratificem; uti decet civilem esse omnibus. SEM. hi, hi, hi. ELIC. quid rides etiam: Mala pestilẽtia cum istac cibi buccella viscera tua intret, fastidiose, injurie. CEL. Ne tu illi respondeas. fili. Aliter numquam finis fiet litigiis. Animum jam ad nostrum negotium vertamus. Dicite, quomodo sese habet Callisto, quomodo illũ solum liquistis? Quomodo ambo subducere, vos inde potuistis. PAR. projecit se foras domo cum mala re sua, ignem spirans; desperabundus, perditus, subinsaniens, ad S. Magdalenæ se contulit, rogaturus Deũ ut sua gratiâ tibi adesset (rodenti scilicet ossa pullorũ istorum) asseverando, non rediturum se domũ donec te à Melibæa reducẽ cognovisset, De pallio tuo, tunica tuâ; item meâ, res certa est, de cæteris quando & quæ illa, exstitura, quando illa daturus, nescimus. CEL. Fiat quando volet. Omne illud lætum *animum facit quod parvo labore paratur*. præcipue cum de tali aliquo loco venit, ubi abscessu suo detrimenti parum potest facere; de homine videlicet divite, cujus ego furfurem de polline indepta, omni meæ indigentiæ nuntium remittere possim, uti illi quidem multa superfluunt. Non ægre facit talibus, quicquid etiã profundant, respectu causæ quæ hoc illis exposcit, illusio nimirũ Amoris, nihil animũ ipsorũ tangit, nõ audiũt nõ vident: Talia ego concludere possum cõparatione eorum quos huic obnoxios adfectui multos vidi, quorum tamen maxima pars neutiquam tanto igne, tamque acerbè, macerabatur, ut nunc Callistoni isti usuvenire video. Nõ edunt; non bibunt; non rident, neque plorant; non dormiunt, nec vigilant; Neque loquun-

loquuntur neque tacent; neque bene neque ęgrè habent; non contenti sunt sorte sua, neque tamen quod querantur etiam habent, uti quidem afficit illos perplexitas *dulcis & amari simul vulneris*, quo corda eorum confixa sunt. Quod si naturæ necessitas aliquid ex modo dictis illos agere adigit, ipsa actione tam secordes sunt, tamque à mente velut sua alieni. ut, dum comedunt, manus obliviscantur, levandi cibi ad labra: Si quisquam quid illos rogabit, numquam *ad propositum respondebunt*; istic corpore præsentes sunt, cogitationes sensusque omnes illic apud amicas suas servãt. Magnâ vi Amor est, non solum in terra, etiam maria ipsa transmittit; tanta ejus Violentia est. Æquali jure omni hominum generi imperat. Omnia obstacula & impedimenta perrumpit. Anxia res est, timida, atque sollicita, omnia ab omni latere metuit, & circumspicit: Vos, siquidem aliquando bene boni amastis, testimonium mihi perhibebitis, vera esse quæ pro talib. dico. SEM. Domina; totus ego accedo sententiæ tuæ. Eccum hic qui credere me adigit, tantillo tempore plane á se ipso alius effectus, Callisto; sensibus perditis, intellectu saucius, fatigato corpore, caput fumis & vanitatibus oppletus, per dies male dormit, noctu prorsus vigilat, tumultuatur, fatuando, ad parietes sussiliãdo, vitam suam quotidie venum exponendo, Tauros venatui exspectando, Equitando, lanceas, hastas, jacula, torquendo, Enses confringendo, scalas ponendo, armis induendo se, mille talibus actibus imaginationes Amoris exprimit. Iam versus pangit, iam pingit verba, invenit historias, excogitat fabellas, Verum omnia illum ego optime collocare existimo qui ad tantum præmium festinat. ELIC. Multum tu

quidem

quidem delectaris mihi molestias creare, &, aliena laude insultare; Verum ego contra certũ te facio, non tam cito faciem aliorsum vertisti, cum ego ipso hoc loco alium amplector, quem certè æquius est uti amem quam te; magis scilicet gratiosum, magis comem, crebrius ad me visentem, te, qui integro anno semel huc ades, idque saltim ut me malis dictis & factis tuis & perfidia excrucies. CEL. Patere æquo animo illam loqui, fili: divinat, ariolatur. Quo plura talia ex ea audies eo securior sis de Amore in te ipsius. Omne inde est quod laudasti isthic Melibæam; non est alia ei vindictæ ratio, quâ vicissim tibi ægrè faciat, quam ut talia fingat. Ego quidem vix meminisse illã existimo temporis quo cum alio aliquo collocuta sit, nedum corporis *illi ut potestatem fecerit*. Porro illam alteram ejus cognatam, ego apprime bene notam habeo. Fruimini teneris vestris floribus, utimini ætatis bonis: Qui commodum gaudiis capiendis tempus habet, aliud autem commodius exspectat, illud quod jam habet perdit, & pęnitudine ductus, perditum recuperare non potest. Tale quid mihi nunc usu venit quæ enixe deploro paucas illas horas quas de juventute mea nõ cũ cæteris, Voluptatib. electilib. impẽdi. Tunc ego in pretio eram, tunc me desiderabant, ambibant, expetebant; Iam, velut morbo Comitiali tactam, nemo appellat, tamen quam ardenti adhuc desiderio bonarum rerum flagrem, Deus novit! Suaviamini, invicem, circumplectite, mihi gaudii nihil reliquum est, nisi quod de visu talium capio. Vos autẽ, pueri, ex vestra quoq; parte strenue rem gerite, spondebo ego puellarũ vicem, nũquã importunitatis vos

accu-

accusabunt: vetus vestra Celestina cum vacuis gingivis suis teret reliquias mapparum vestrarum. Deus vos benedicat, uti ridetis, uti delicias facitis, fatuelli, scordelli! in hoc desinere debebant disputatiunculæ vestræ, quæstiunculæ, quibus initiũ prandio faciebatis. Videte ne mensam rotetis. ELICIA, Mater pultat quis ostium, delitiæ nostræ interturbantur! CEL. Vide, filia, quis sit, forte non tam turbaturus gaudia vestra, quam aucturus, atque incitaturus, venit. ELIC. Vox me loquentis decipit, aut ista est cognata mea Lucretia. CEL. Aperi illi ostium Ad sit illa & copia bonorum annorum. Iam illa nonnihil istarum rerum intelligit, quæ istic tractantur, & de quibus sermo nunc fuit, quamquam anxia illa cura qua cum Domina sua perpetuo inclusa sedet, non patiatur illam flore juvẽtutis uti. AREVS. Ita bene mihi sit, verum dicis. istæ quæ talibus serviunt neque ipsæ Voluptate fruuntur, neque aliis bona ætatis suæ participare possunt. Nũquam verba facere cum ęqualibus aut amicis suis audent ubi libere quæ opus sit, &, collatis velut frontibus, loqui possint. Nemo est qui ut pares alloquatur, aut saltim familiariter rogando? Quid cenasti heri? prægnans es? Quot gallinas domi tuæ alis? Assume me tecum domum tuam meridiatum! Ostende mihi amatorem tuum quantum temporis est ex quo te non visitavit? Quid rerum inter vos vertitur? Qualis isthic vicinas habes? Vel alias tales familiaritatis voces. O mater mea quam durum nomen, quam gravitatis & superbiæ plenum est, Domina, semper in ore tenendum! Itaque ego mei Domina vivere volo, voluique quousque agnoscere me ipsam potui, numquã cupivi alterius me rebus adscribere, semper mea esse

studui:

ſtudui? Præcipue non ignorans mores Dominarum quibus illæ hodie vivunt. Perditur cum illis optima pars temporis, una dilacerata tunica, qua ipſę jam uti non poſſunt, compenſant decem annorum ſervitia: dehoneſtant, male tractant, miſeras ancillulas, ſemper meticuloſas vivere cogunt, verbum coram illis mutire non audent. Quando jam tempus adeſſe vident uti ex promiſſo de matrimonio alicui proſpiciant, tum rixam aliquam ordiuntur, ut illa ſeſe ſervulis applicet, ut filium herilem affectata ſit; aut maritum Zelotypia oppleverũt, aut domum viris ſemper plenam habuerunt, aut quod furatæ ſint aut perdiderint aliquid pretioſum objicitur; Centum miſeras virgarum ictibus concidunt, ejiciunt illas domo obtorto collo, obvoluto capite, clamantes: Apage te hinc proſtibulum, ſtupri furtique plenum, non tu ceſſas domum meam exſpoliare. Sic quæ mercedem exſpectãt opprobrium referunt: Sperant matrimonio cuipiam honeſte jungi, turpitudine convitiorum proſciſſæ, protruduntur, ſperant veſtitus honeſtos ad nuptias, & pretioſam ſupellectilem, exturbantur nudæ atq; dehoneſtatæ. Hæc ſunt ipſarum præmia, hęc ſunt dominarum beneficia atque compenſationes ſervitiorum. Obligant ſeſe verbis proſpecturas ipſis maritos, ſpoliant miſeras etiam ſuis veſtibus. Maximus honos qui illis obtingit, in ſervitiis talibus, eſt ut fiant curſitatrices de domina ad dominam conſuetis onuſtę legationibus. Numquam nomen ſuum ex ore dominarum audiunt; ſemper, meretrix huc veni, illuc meretrix abi, unde ades ſcabioſa; quid feciſti ſceleſta? Cur hoc devoraſti gulæ mancipium? Cur pallium iſtuc nõ enitidaſti, furcifera? Cur iſthuc dixiſti, fatua? Quis argentum

gentum perdidit, ignava? Vbi sunt mantilia, Chirotecæ, furtifica? Lenoni tuo hæc attulisti, vendidisti. Gallina illa versicolor nullibi paret: curre, vestiga illã confestim, si non illico isthic erit, obolũ de mercede tua nullum capies: Post ista omnia mille ictus solearũ, punctiones, verbera virgarum incussiones; Nemo est qui illarum voluntati sufficiens quippiam facere valeat, nemo illarum iracundiam ferre; Voluptas ipsarum est vociferari, Gloria est rixari, altercare, litigare: quod optime facias minimum ipsis placuerit. Hac propter, domina parvę meæ & futili domi malui vivere libera & nulli dominæ subjuga, quam in splẽdidis talium palatiis, subdita, & captiva. CEL. Optime tibi tu constitisti, bene nosti quid facto opus sit. Sapientum sermo est, meliorem esse micam panis cũ pacę, quam plenam lautitiis domum cum perpetuis litigiis. Cessent vero jam ista, & jube intret Lucretia. LUCR. Bene vobis sit mater, & vos amici amicæque. Deus benedicat tot tam honorabiles homines! CEL. tot, filia, ais? Tu vero multos hos censes homines? Optime apparet me in felicibus meæ vitę annis, abhinc viginti æstates, tibi notam non fuisse! Ah qui tum cognitam habuit, & hodie nunc videt! nescio quomodo non condolentia cor sibi rumpere velit! Ego vidi ad hanc ipsam mensam, cui nunc assidentes vides istas cognatas tuas, novem puellas tuæ istius ætatis, majorem non ultra decem & octo, minorem cæteris non intra quatuordecim annos natam! Quid facias? Sic vita hominũ, sic mundi istius conditio est; Trãseunt. curriculum suum obeunt, rotant sese in circulos suos velut utres, quibus aqua rotis appensis tollitur, vacuus alter descendit, plenus sublevatur alius. Lex

hęc est fortunę; nulla res in uno statu diuturna manet ordo rerũ mutatio est. Non possũ absq; lacrymis narrare magnũ illũ honorẽ in quo tunc, penes omnes, habebar, quamquã propter peccata mea & malã fortunam omnia paullatim decreverint, & uti dies vitæ meæ in occasum declinant, ita & reditus opesq; meæ sensim de die in diẽ imminuti sunt. Scitum bene vetus est. Quicquid mundus habet, aut crescere aut decrescere. Omnia tenentur limitibus suis, cuncta gradus suos habent. Honor & existimatio mea in summũ augmentata est, secundũ quidem meam vivendi conditionem: Necessariũ est imminui nũc & descẽdere: Prope finẽ meũ veni, in hoc clare conspicio sepulturæ me meę propinquã esse. Verum numq̃ ignotũ mihi fuit ascendisse me ut descenderẽ, floruisse uti carperor, gavisam esse, ut tristitia indueret; Natã ut viverẽ vixisse ut crescerem, crevisse ut consenescerẽ; consenuisse ut morerer. Et quoniam hæc, antequam acciderẽt, nota mihi fuerunt, minus dolorũ nũc malorũ præsentiâ, patior; quamquã omni prorsus sensu me expedire nequeã quippe & ipsa homo, & sensibili materie concreta. LUCR. Laboriose tũ vixisti cum tot puellis mater, ajunt n. mercẽ esse custoditu difficillimã. CEL. Laboriosè? Certe jucunditer potius & animo remisso; Omnes mihi dicto audiẽtes erãt, omnes me mirifice honorabant, omnes sequebantur, observabant; nulla omnino citra voluntatẽ meã quicquã agebat. Quod ego dicerẽ optimũ erat. Cuiq; suũ officium adsignabam: Non expetebat quæpiam amplius quam à me ipsi erat injunctum, Claudum, tortũ, flexum, mancum; illud solum ipsis sanum erat quod ego cõmẽdassem & unde plus cõmodi ad me rediret.
Ipsarum

Ipsarum erat labor lucrum ad me convolabat. Porrò amicorum & servitiorum mihi mea & ipsarum caussa tum abunde erat. Equites, senes, Iuvenes, Abbates omnium dignitatum viri, ab Episcopis usq; ad ęditu-os, mihi familiares erant. Cum templum aliquod trāsirem vidisses detrahi pileos, inflecti capita honori meo, velut ego Principis alicujus conjux forem. Qui minimum, quod mecum ageret, habebat, maxime sese inhonorum atque inurbanum arbitrabatur. De lapide usque dimidio visa me, negotia sua interrumpebant, singuli junctique ad me properabant, auditum si quid esset quod præciperem; suam quisque Dominam me rogabat: Visa introeunte me turbabantur, ne forte vel factum aliquid vel dictum imprudentibus, secus quā deceret, caderet. Alii matrem me, alii Dominam vocabant, alii amasiā, nonnulli senicam honorabilem. Isthic concludebatur, quando domum meam adfuturi essent, quando ipsorum palatia ego; Isthic pecunia mihi offerebatur, alibi promittebantur divitiæ: suaviabantur lacinias pallii mei, nonnulli faciem mihi exosculabantur, ut magis me suarum partium facerēt. Nunc Fortuna me mea ad hunc statum redegit. SEM. Stupefecisti nos narrationibus tuis istis, ut homines tum religiosi fuerint, nunc sane rara messis talium est. CEL. Non fili, neque Deus permittat, ut talia ego fingā, aut bonis viris injuria sim. Multi senes tum quoque erant devoti Religioni, quorum ego de divitiis parum equidem capiebam, tales me non lubenter oculis suis admittebant. credo ex invidia quam in illos habebāt qui mecum sermocinabantur, Vt Clericorū magna copia, diversa quoque genera erant. Alii egregiè castam vivebant vitam

Alij

Alii non adeo rigide, quin & de meo officio subditis aliquas alerent: Hi Scutiferos, aliosq; suos servulos, quotidie ut me conducerent, mihi adessent, mittebant. Vix domum meam rediveram, cum per ostium adapertum ingerebantur multi galli, pulli, gallinæ, anates, perdices, turtures, Pernæ, placentæ triticæ, & lacteæ. *Harum rerum ut quamque* acceperam ita illico in rationes referebantur, uti ego cum amasiis ipsorum iis fruerer, non aliter quam Decimæ fructuum Deo offerri & annotari solent. Dehinc vini copia erat, optimi quidē quod in urbe bibi poterat; de Monviedro, de Luque, de Toto, de Madrigal, de SanMartin, & multis aliis nobilibus locis advecti: Tantæ quidem hujus species & tam diversa nomina terrarum, unde oriunda, erant, ut licet sapores adhuc gustu agnoscere posse mihi videar, non meminerim tamen vocabulorum, & satis sit tantæ ætatis mulierem, quantæ ego sum ex odore posse iudicare unde quodque vinum venerit. *Aliorum sacerdotum* oblationes vix manus contigerant, primo & pernici impetu domum meam sistebantur, Parocho suaviis vestem meam usque premente. Defissimi servi onerati victualibus, & commeatus omni genere, Domum meam subibant; nescio quomodo nunc vita mihi non acerba sit, cum tali statu deciderim. AREVS. Per Deum, mater, quoniam huc lætitiæ gratia convenimus, ne tu plorando turbes hilaritatē; ne te animi excrucies: Deus omnia tua in pristinum statum reverti faciet. CEL. Satis equidem caussæ mihi est ut plorem, animo revocans tam eximii temporis memoriam; qualem ego tum vitam vivebam! quam omnes me venerabantur, suspiciebant, instar Dominæ! *Numquam annus novam* fru-

ctus speciem protulerat, quam ego prius non gustarem, quam alii nossent natam esse. Domi meæ inveniebatur si quid alibi nullibi erat, & prægnans quædam aut inciens mulier petebat. SEM. Mater, memoria elapsæ felicitatis non est utilis recensitu, potius tristitiam parit, quoniam quod subterfugit recuperari non potest: Id tibi quoque jam usu obtingit, quæ fletibus tuis præsens velut manibus nostris gaudium extorques. Tollatur jam mensa isthæc, eamus nos aliorsum, animum nostrum exhilaraturi, & robustam Voluptatem sumturi. Tu interim responsum des puellæ isti, quę ejus gratia huc venit. CEL. Lucretia filia, omissis istis rebus velim dicas mihi ad quid felicem pedem huc adtuleris. LUCR. Profecto jam ego pene negotii mei, cujus gratia præcipue huc veni, oblita eram, memoria obhærens in felicitate temporum illorum, quæ tu modo recensuisti: Et certe integrum ego annum aliquem sine cibi aut potus cupiditate istic maneam, auscultans tibi, & vitam illam beatam considerans, quâ apud te fruebantur puellæ illæ, quas dicebas modo: videor mihi adhuc inibi esse. Adventus mei, Domina caussa est, quam conjectura te adsequi posse autumo, cingulum Dominæ meæ abs te repetere: Insuper orare te, eadem hera mea, jussit velis eam visitatum venire, idq; extemplo; quippe malè illi esse animi, & dolores cordis pati. CEL. Filia de minutis talibus dolentiunculis major est rumor, quam periculum. Sed stupeo ego, cordis doloribus tangi puellam tam adolescentium annorum! LUCR. Ita tu media rumpare, venefica, ut nescis unde veniant hæc tormenta. Mala sua maleficia facit vetus prostibulum priusquam exeat. Postea simulat ignota sibi omnia.

CEL.

CEL. Quid dicis filia? LUCR. Ut properemus, mater; utque cingulum mihi des. CELEST. Eamus, ego istud ipsa feram.

ACTUS. X.

ARGUMENTUM.

Dum Celestina & Lucretia ad Melibaeam eunt; ipsa domi suæ secum sola sermocinatur. Ad ostium ubi advenerunt, prior intrat Lucretia, Vocat intro mox Celestinam. Melibæa post non pauca ultro citroque verba aperit Celestinæ ardere sese Amore Callistonis. Vident accedere Alisam, matrem Melibææ. Disiungunt sese. Rogat Alisa filiam quid cum Celestina agere habeat? vetans de cætero illi crebriorem cum ea conversatioaem.

MELIBÆA. CELESTINA. ALISA. LUCRETIA.

MO miseram & male providam me puellam! Quantum melius mihi fuisset, heri, concedere & largiri continuo Celestinæ quod peteret, cum nomine illius Equitis, quem semel vidisse tantopere mihi animum percepit, rogatum me adesset! Sic desiderio ejus satisfacere simul, & ægritudine hac mea me exonerare poteram, neque opus nunc foret, coactam vi Amoris aperire ipsi vulneris mei ingenium, cum neque placeat mihi, neque illi etiam fortasse acceptum fuerit. Forte jam ille, duritia & incivilitate mei responsi animum ira perci-

percitus, adfectum oculosque suos aliorsum deflexit, aliamque cordi suo amasiam impressit: Quãtum mihi utilius fuisset blande promisisse rogatam, quam per vim coactam ultro me offerre nunc, atque ingerere? O fidelis mea famula, Lucretia, quid dices de me? quid de existimatione atque judicio meo judicabis, cum videbis publicare me hoc quod numquam occulte tibi credere volui? Quomodo miraberis pudorem meum & honestatẽ uno me impetu junctim confringere velle, quæ hactenus solitariam vitam, ut inclusa vestalis, procul talibus etiam cogitationibus, tenere consuevi? Nescio an & aliquid de loco unde dolor meus oritur, sentire aut animo præcipere potueris? O si jam adesses cum mediatrice illa Salutis meæ! O Supreme Deus, quem omnes afflicti invocant, qui patiuntur mala, remedium poscunt, medicinam vulnerati; tibi cui cælum, maria, terræ, & infernorum recessuum secreta parẽt, tibi, qui omnia creata tibi Hominis imperio subdidisti, supplico humillime, vulnerato cordi meo tolerantiam & Patientiã largiaris, ut terribilem morbum hunc meum dissimulare possim; non commaculem neque attaminẽ purum illud hactenus castitatis meæ aurum, quod in igne jam desiderii mei fervefactum est, præ me feram aliam esse dolorum meorum caussam, quã quæ revera viscera mea exest. Verum quomodo tale quid facere potero? Cruciante me tam miserabilibus modis venenato illo bolo, quem intimis mei pectoris penetralibus aspectus hujus hominis inmisit! O sexum nostrum fragilem & ærumnosum! Cur non & fœminis concessum est aperire flammas amoris sui, & præsentem affectus vehementiam viris ostendere! ut qui-

ut quidem istis licitum existimatur? Sic quidem & querelis suis Callisto eximeretur, & ego pœnis istis non contabescerem! LUCR. Resiste tu paullum juxta ostium istud, mater; ego intrabo visum, cui colloquatur intus Domina mea. Intra, Intra. Secum sola illa sermocinatur. MEL. Lucretia, vestibulum istud aperi. O sapiens atque honorabilis matrona, bene huc venias: Quid tibi videtur, quo pacto fortuna voluerit & Sortis imperiositas mandaverit, ut ego opem Sapientiæ tuæ implorem, opus habeam consilio tuo; ut pari me modo excipere posses, quo ego te excepi; posses tam extemplo eodem genere compensare in me beneficium illud, quod Dominus ille tuus, per tuum ministerium à me petiit, quem cinguli mei virtute curare volui? CEL. Quid est mali quod te afficit; Domina? Certe gestuum tuorum velut affectata alteratio, & coloris mutatio, & omnis ista indoles tua, monstrãt male tibi aut aliter cor affectum esse, quam solebat quondam! MEL. Mater mea, *serpentes intus in corpore meo cor mihi exedentes* habeo. CEL. Bene est; hoc erat quod ego volebam: jam tu mihi lues, fatua Dominula, reliquias nuperę tuæ iracundiæ. MEL. Quid ais; potuisti ab aspectu meo sentire aliquam caussam, unde malum hoc meum descendat? CEL. Nondum mihi domina, indicasti mali tui qualitatẽ, & vis ut caussam divinando assequar? Quod ego dico hoc est, valde me animi male habere, tantam in te tristitiam, tam subitam, conspicere? MEL. Matrona honorabilis, pelle tu illam corde meo: maxima ego mira de Sapientia tua prædicari audivi. CEL. Domina, rerum scrutator & Cognitor solus est Deus. Verum, ut ad sanitates mortalibus restituendas, & remediandas ægritudines

tudines, gratiæ cælitus divisæ atque mortalibus dispertitæ sunt, ut ope earum medicinas invenirent, partim per Experientiam, partim per Artem, partim naturali instinctu & felicitate; aliquid talium edocta est etiam vetula ista paupercula, quæ servitiis nunc usuique tuo sese & omnia sua offert. MEL. O quam delectabile atq; optabile mihi accidit audire te loquẽtem. Salutaris est ægrotanti hilaris vultus illius, qui ipsum visitatum venit. Videor mihi videre, cor meum in frusta discerptum, in manibus tuis, quod integritati tu restituere pristinæ possis, virtute linguæ tuæ. Nõ alio genere quam Alexander Magnus Rex Macedonum, *per somnium conspexit* quondam in ore Draconis salutarem radicem illam, qua vulnus Ptolemæo, amico ipsius, à vipera illatum, sanari potuit. Quare, per Deum, cæteris rebus omnibus tuum animum exoneres, ut eo diligentius percepto malo meo, remedio salutifero quantocyus succurrere valeas. CEL. Bona pars salutis ægro est, desiderare illam. Qua etiã de caussa minus periculi tuo morbo inesse auguror. Sed ut, Deo principe, congruam atque utilem affectioni tuæ medicinam adhibere possim, necesse erit trium me abs te certam fieri. Primo loco, in quã partem corporis tui inclinare morbum sentias, quoque membrorum vehementius illum cæteris attineri. Secundo, diunè factum sit quod illius vim senseris: Quippe teneræ affectiones facilius curantur in principiis suis, quam cum processu temporis crudiores factæ, vel alte insederint, vel late vires suas dispersẽrint. Fera animantia minore negotio primęva domãtur, quam ubi ætate inolevit sævitia cordibus, tũ ægrè ad præsepia illa ligari patientur. Melius proveniunt plantæ, quæ quam tenerrimæ transponuntur, quam

quas, fructu jam maturas, aliorsum defigi curaveris. Recẽs peccatum quodlibet levius eluitur, quam ubi consuetudine in animo hominis velut radices egit, & quotidianis usibus velut in possessionem missum est. Tertio, an procedat ex crudeli aliqua mentis intentione, quæ consederit in locum aliquẽ certum. Hæc ubi ex te rescivero, videbis Curę meæ efficaciam. Igitur quid agendum tibi considera Medico uti Confessori omnium rerum nuda Veritas aperte proponẽda est. MEL. Celestina amicissima, Sapiẽs matrona, & artium consultissima; latam viam mihi aperuisti, qua incedens fontem ipsum mali mei tibi manifestũ facere possim. Certè hoc abs te expetitum est tam luculenter, clare videre possim, experientiam tibi grandem curandarum taliũ infirmitatum esse. Malum meum in corde est, sinistra mãmilla sedes ejus est, radios suos per omnes partes extendit. Secundo, recens admodũ ejus in corpore meo origo & nativitas est. Neq; umquam credidissem, dolorem aliquem sensu me orbare posse, uti quidẽ iste facit. Vultum meũ turbat, Appetitum cibi potusque eximit; dormire non possum, nihil hilaritatis, aut jucunditatis, animũ afficit. Caussa atque cogitatio vehemens, quam loco tertio ex me scire desiderasti, non poterit tibi declarari; nõ n. obitus alicujus consanguinei mei, neque bonorum aliquod damnum, nequo visio aliqua, aut imaginatio, nec somnium adversum, neq; alia caussa est quã ego originẽ huic malo dedisse censeam, demta saltim alteratione illa, cujus tu caussa fuisti petitione illa tua, q̃ mandato Callistonis hic expediisti, cũ Orationem â me posceres; & ego suspexi te, cũ legatione tua, malarum rerum. CEL. Quomodo. Domina? Tam malũ

eum mortalem censes? Tam perniciosum est nomen ejus ut sonitus ejus solum nominati tantum veneni secum trahat? Ne persuadearis istam esse affectionis tuæ caussam. Potius ea erit, quam ego conjicio; quam siquidem licentiam, quæ volo dicendi, mihi factura es, tibi indicare cupio. MEL. Quomodo, Celestina; quid hoc novi præmii est quod petis? Licentiam tu ad restituendam mihi salutem, à me postulas? Quis umquam Medicus tale quid ab ægrotante poposcit? Dic, dic, obsecro: Perpetua tibi illa à me datur, talis tamē ne honori meo verbis tuis aliqua noceas. CEL. Video te, domina, ex una parte querentem de dolore, ex altera timere medicinam. Timor tuus metum mihi concinnat, metus silentium, silentium, inducias inter vulnus tuum & medicinam meā: Sic tu ipsa caussa eris ut neque dolor tuus cessare, neq; medicina mea utilis tibi esse possit. MEL. Quanto amplius differs Curam, tanto magis intendis ægritudinem meam, atque dolores multiplicas: Vel medicinæ tuæ factæ sunt de pulvere Infamiæ, Liquore Corruptionis: Cōpositæ aliis magis acerbis & crudelibus doloribus, quam qui modo ægrotantem male habent; Aut nullius pretii est Sapientia tua; Nam si unum apud te horum alterum non impediret, qualecunque etiam remedium sine metu eloquereris, & proponeres, quoniam jam rogavi te, monstrares; saltim uti ne honori meo contraria loquare. CEL. Domina, non pro novo atque miro habeas, posse amplius apud ægrotum ardentissimum vulnus, & dolores venenatarum plagarum, qui tantopere illum excruciant, ut duplicent passionum vehementiam indies, quam primum medicæ manus experimentum, primam vulneris tam

lati

lati inspectionem, aut contactum. Sed si tu sanitatem recipere postulas, & tibi acutissimi scalpri mei aciem absque timore ostendi sinis, manus pedesque tuos colligare stricta tranquillitatis fascia velis; oculis tuis induc operimentum Commiserationis & Pietatis, Fræno quopiam silentii linguam tuam cõpesce, Aures tuas obtura Patientiæ & Tolerantiæ *Parotide*, senties operari medicinam Magistræ talium jam veteris. MEL. ah quam me dilationibus tuis excrucias! Dic, per Deum, quod dictura es, fac quod facere potes. Non poterit tam asperum esse remedium tuum, ut par sit doloribus atque tormentis meis. Quamlibet Honorem meum tangat, quamvis existimationem meam attaminet, quamvis corpus meum excruciet! differat & dilancinet membra mea, pectus meum discindat, ut cor penetralibus suis eximat. Fidem meã tibi obstringo, ferre me ista omnia patienter Velle, etiam post curatam ægritudinem amplissimis te præmiis cohonestaturã LUCR. Iam sensibus suis spoliata est misera mea Domina; Grande hoc est malum; habet eam jam intra retia sua stryx ista venefica. CEL. Numquam non aliquis malus Dæmon negotia mea impeditum adest! Deus fecit me elabi Parmenoni, nunc in insidias Lucretiæ incidi. MEL. Quid dicis, mater, quid tibi ista puella dixit? CEL. Certe eam nõ attendi, Sed loquatur quicquid velit. Scias sanitati non esse magis contrariam rem, in grandium morborum curis, in aspectu celebrium & animosorum Chirurgorum, quam corda flaccida & parum confidentia. Qualia magnis suis quæstibus, querulis suis planctibus, acutis suis ejulatibus, timidum faciũt laborantem, desperationem salutis ipsi inducunt, Me-

 dicum

dicum turbant, & indignatione induunt: Turbatio
Chirurgi incertam & trepidantem manum facit, ma-
nus trepida ſcalprum nō, uti decebat, reget. Hinc cla-
re equidem conſpici atque cognoſci poteſt, ad ſalu-
tem tibi reſtituendam neceſſarium eſſe, hominem
nullum præſentem Curæ adeſſe; ſic tu excedere iſtā
illinc jubeas, & tu, Lucretia ignoſcas mihi. MEL. Illi-
co te apage. LUCR. Iam jam omnia perdita ſunt. Ego
exeo hinc, domina. CEL, Tantam mihi audaciam ve-
hementia dolorum tuorum infert, quantum jam ſu-
ſpicio tua curæ meę propius accedit. Sed magis claris
atque conſpicuis remediis opus eſt, & animi exhila-
rationem afferre domo Calliſtonis tui. MEL. Tace
per Deum, mater, Ne quicquam de domo ejus curā-
do malo meo apportes, neque illum nomines iſthic.
CEL. Patere æquo animo Curæ meæ exordium, Do-
mina; ne primū medicinæ fundamentum frangatur
atque peſſumdetur, quo pacto nil quicquam profe-
cerit omnium, quæcunq; jungere & inædificare vo-
luerimus. Vulnus tuum grande eſt, aſpero remedio
opus habet. Durum duro facilius curatur, contrariū
contrario miteſcit. Et Sapientium dictum eſt, Medi-
cum felicius curare, qui ipſe malum morbi expertus
ſit; Periculum ſine periculo numquam ſuperatur. Pa-
tientiam pauliſper aliquam indue, moleſtū quod eſt,
rato ſine moleſtia curatur. Clavus clavum pellit. Do-
lor dolorem trudit. Ne concipias odium, & malevo-
lentiam animo tuo, neque concedas linguæ tuæ ut
malum quippiam dicat de homine tantarum virtutū,
tam omnibus noto atque amato, qualis eſt Calliſto.
MEL. O Per Dei Amorem, occidis me! Quoties jam
dixi, atque interdixi, non laudares mihi eum hominē
neque nomines quidem ſive in bonam ſive in malā

partẽ! CEL. Domina hic est alter & secũd⁹ ict⁹; quales plures si, ope patiẽtię, nõ feres, nihilo utilior erit Cura mea q̃si nũq̃ huc advenerim. Quod si paullũ animo tuo imperare poteris, tu absq; omni dubio sana evades, & Callisto absq; querella, & res sua ipsi soluta erit. Primũ te cõmonefacio Curæ meæ, & invisibilis huj⁹ pũctionis, q̃ sine ullo appulsu aut exteriori vibratione te percellere sentis, solo nomine hominis ore meo ꝓlato. MEL. Toties tu istũ tuũ hominẽ mihi nominabis, ut neque promissio mea suffectura sit, neq; fides data tibi, auscultaturum dictis tuis. Quid Callistoni solvendũ erit? Quid ego illi debeo? Quid illius quod sit, ego habeo? Quid pro me ille fecit? Quid Officii mihi exhibuit? Quid opus illo nobis hic est ad curationem mei doloris? Malim frustillatim discerperes pectus meum, & cor mihi ipsum evelleres, quam his te corã me verbis uti? CEL. Nec vestimenta quidẽ tua ullo modo lędẽs, Amor, in penita sese pectoris tui penetralia immisit; ego nihil mẽbrorũ tibi discerptura sum, ut medicinã malo tuo afferã! MEL. Quod tu vocabulum esse morbo isti meo autumas? Quo nomine appellatur affectio ista, quæ imperio sese universæ animæ dominã mihi imposuit? CEL. Amor Dulcis, vocabulũ ei est. MEL. hoc mihi demõstrat q̃d sit, solo nominato illo, exhilaresco. CEL. Est ignis quispiã abscõditus, dulce vulnus, sapidũ venenũ, suavis amarities, dolẽtia delectabilis, hilare tormẽtũ, grata atq; odiosa percussio, blanda Mors. MEL. Ah miserrimã me, si vera tu refers; in dubio ẽt est Salus mea, quippe propter cõtrariã vim q̃ hæc nomina inter sese habere demonstrant, q̃ uni utile erit, alterum majorib. tormẽtis mancipabit! CEL. Ne desperet de salute nobilis ætatula tua. *Cum supremum Numen aliquẽ* vulnerat, reme-

dium malo illato ſubjicere conſuevit: Præcipue cum notus ſit mihi generoſus quidam Flos, qui omni iſta te ægritudine facilè liberare poterit. MEL. Quomodo appellatur ille? CEL. Non audeo tibi dicere. MEL. Dic abſque timore. CEL. Calliſto. Ah per Deum, Domina mea Melibæa, quam parum tu animo vales! Qualis iſte caſus? quod accidens. O miſeram me, attolle caput, erige verticem, O infortunatiſſima vetula. Huc ibant itus mei, ſi moritur, ego cruciabiliter interimar! At etiamſi vixerit, & hæc aliquis ſenſerit! Iã ego non potero morbum ejus & curam meam diſſimulare ſilentio! Domina mea, Melibæa; anima mea; Vita mea! quid te factum eſt? Quid dicis, gratioſa? Quid fit vivido colori tuo? Aperi clarividos tuos ocellos! Lucretia, Lucretia: Confeſtim huc ades, videbis inter manus meas morientem Dominam tuã! Decurre cito, vitrum aquæ affer! MEL. Ego ut potero me confortabo, preme vocem, ne turbes domũ. CEL. Miſeram me; ne linquaris animi, Domina; Loquere mecum uti Solebas. MEL. Et melius equidem! Tace ne me fatiges amplius. CEL. Ergo quid vis faciam, unio pretioſiſſime: Qualis fuit hæc tua affectio! Puto in nihilum recidere punctiones meas. MEL. Peſſum-it honeſtitudo mea, perit Pudor mihi, perit omne morbi impedimentum. Et quoniam nati hic ſunt, quoniam mecum educati, quoniam domeſtici mihi non poſſunt tam facile ſedes ſuas, veteres jam, jam tanto tempore cultas, relinquere, & capiti vultuque meis excedere: Traxerunt abeuntes ſecum Colorem vultus mei, ad ſpatium aliquod temporis rapuerunt mentem mihi, vocem, & bonam etiam partem Senſuũ. Igitur jam dehinc, O bona magiſtra mea fidelis

Secre-

Secretaria, quod tu tam clare, tamque perſpicue notum habes, in vanum laborē & ſtudeam te ultra Cælare! Multi, ah multi, dies elapſi ſunt cū Amoris verbis me allocutus eſt Calliſto tuus; tantum mihi moleſta ejus allocutio fuit, quantum poſtea, cum tu nomen ejus repetere mihi voluiſti, grata atque accepta. Punctiones tuæ coegerunt plagam vulneris mei, totam me voluntati tuæ addixi, Cum cingulo meo illi tradidiſti poſſeſſionem libertatis meæ. Dolor dentiū ipſius meum maximum Tormentum erat, Ægritudo ipſius morbus mihi capitalis. Laudo atque exoſculor tolerantiam tuam, prudentem audaciam, liberales labores, ſollicitas & fideles legationes, ſuaviſſima alloquia, catam Sapientiam, Curam circumſpectam, utilem importunitatem! Multum tibi debet iſte Iuvenis, plus etiam ego; quod numquam convitia mea dejicere potuerunt conſtantiam tuā; confiſam quippe egregiæ calliditati tuæ: Sed, ut decet fidelem miniſtram: quanto amplius convitiis petebare, tanto eras diligentior, quanto odioſius rejiciebare tāto perſeverantior. Quanto pejus reſponſum tanto hilarior vultus! Quantum ego iracundior, tantum tu humilior, poſthabito omni timore pectore meo extraxiſti quod neutiquam, vel tibi, vel alteri; cuiquam revelaturam decreveram. CEL. Domina, atque amica mea, non mirum hoc tibi obtingat. iſta prudentia enim cū effectu mihi largitur audaciā alloquendi Veſtales vos incluſas puellas, tolerandi impotentiā dictorum & factorum veſtrorum, ut fine tamdem inſtituto potiri poſſim. Verum eſt antequam negotium expediundum iſtud reciperem, & apud animum meum cōſtituerem, tam in via, huc eundo, quam domi iſtic tuę

varia

varia meum cor distulisse, varias objectas fuisse dubitationes, an petitionem meam tibi aperire consultum videretur, considerans enim potentiam parentũ tuorum, metu percellebar: Generosum animum Callistonis intuendo, confidebam, Tuam Sapientiam, recellebar: Cum humanitas tua sese offerret, recipiebã confidentiam. In uno inveniebam caussam timoris, in altero securitatis. Et quoniã, Domina, placuit nũc tibi maximam gratiam mihi aperire, quam nobis factura es, & fecisti hactenus, declara voluntatem tuã prolixius, depone secreta animi tui in gremium meũ; in manus meas mihi crede negotii hujus confectionem; Ego formam atque regulam ipsi dabo, uti quod tu vis, & Callisto votis omnib. exoptat, brevi efficiatur, cupitoq; fine mactetur. MEL. O mi desideratissime Callisto, Domine Animæ meæ, dulcis hilaritas pectoris mei, si jã tu animi sentis, quæ ego apud meũ perpetior, stupefacta ego admiror, quomodo, non præsens præsentem intuens, vivere possis. O mater mea, O domina mea; ita omnia ista exige, ut cõfestim illum videre possim; siquidẽ superstitem me vis! CEL. Videre eum atq; alloqui dabo. MEL. Alloqui? incredibilia narras. Impossibile hoc est. CEL. Nulla res apud homines, qui efficere illam student, expeditu est impossibilis. MEL. dic mihi quo pacto? CEL. Ego jam eam rem expendi, & tibi dicam. Intra ostia domus tuæ. MEL. Quando? CEL. sequenti nocte. MEL. Mirifice te laudavero ubi hæc effeceris. dic qua etiã hora? CEL. Duodecimâ. MEL. Eas igitur, domina mea fidelis amica mea. loquere Domino isti tuo verbis meis, veniat occulte, ne quis isthic sentiat. Hic inveniet volentem quæ vult ipse, hinc concludetur quod

optamus ambo: Serva horam quã proposuisti. CEL. Vale, jam istuc mater tua accedit. MEL. Lucretia amica mea, fidelis secretaria mea, jam vidisti atq; audiendo percepisti, quam ego non sim amplius in potestate mea: Captivam me duxit Amor hujus juvenis. Rogo te per Deum immortalem; quod nunc isthic rescivisti, opertum atque secretum habeas, Vt fruar ego optatissimis gaudiis meis. Tu vicissim eo á me loco habeberis, quem Fides tua morebitur. LUCR. Domina, longo ante hæc tempore vulneris tui *conscientiã* habui, desideria tua cognovi. Gravissimè meum animum affecit perditio tua; quanto magis tu studebas abscondere, & cælare me ignem quo flagrabas, tanto clarius flammæ ipsius â me conspiciebantur, color *vultus tui secreta mentis enunciabat*. Parva, vel nulla omnino, tranquillitas cordis tui, gestus membrorum, Cibi captio sine appetitu, cubatio sine somno, omnia ista prudenti prodebãt. Ad singula quæ faceres signa dolorum sese actionibus tuis exserebant. Verum ut iis temporibus quibus voluntas dominis pro Ratione est, ubi appetitus rerum consilia moderatur incumbit servientibus, totis corporis viribus mandata eorũ exsequi, atque facessere, non consilia sua & meditationes rerum interponere, aut lingua sua negotiorũ cursum tardare velle, cum dolore ego quæ fieri videbam, sufferebam, tacebam cum timore, occultabam omnia cum fidelitate: ita quidem ut dicam, ferè meliora fuisse aspera consilia, quam blandas assentationes. Verum cum tu, domina mea, aliud facere jam nullo modo valeas, quam aut amare aut mori, ratio optima suadet, ut eligas illud pro meliore, quod ipso effectu tale est, eritque. ALISA. Te alloquor,

alloquor, vicina; quid huc tibi iter est quotidie? CEL. Domina, deceat heri paullum isthinc de filamento, quod filiæ tuæ vendideram: veni ut defectum ponderi supplerem, quoniam promiseram Hoc attuli, & nunc abeo, Deus sit tecum ALISA. Te comitetur idē. Filia Melibæa, quid volebat anus ista domi nostræ? MEL. Vendidit mihi minutum aliquid Arsenici sublimati. ALIS. hoc ego potius credidero, quam quod scelesta anus mihi dixit. Putabat illa me aliquid mali ipsi facturam, ideoque mentita mihi est. Cave tibi ab illa, filia: maxima malarum rerum artifex est: Prudens & subtili ingenio latro semper ditium hominum ædes obambulat, ut quid inde involet. Novit ista anus falsis suis mercimoniis, proditorio suo animo, expugnare casta puellarum pectora; Famam bonam adulterat. Cum tribus vicibus domum aliquam introiverit, jam illam suspectam maculatamque apud bonos existimationis relinquit. LUCR. Serò nimis ista monet domina mea. ALISA. Si me amas, filia mea, si aliquando huc redierit, absente me, ne bono vultu malam recipias, neque illam comiter habeas. Inveniat honestam te & Pudicam; paucis illi responde; numquam deinceps reditura est. *Vera virtus majori hominibus timori est quam anceps gladius.* MEL. Talis tu es, numquam magis. Gaudeo monitam me à te, Domina, ut sciam quo pacto mihi optime cavere valeam.

* *
*

ACTUS.

ACTUS. XI.

ARGUMENTUM.

Rediens à Melibæa Celestina per viam it sola secum fabulando. Videt Sempronium & Parmenonem, qui ad fanum Magdalenæ eunt, Herum suum quæsitum. Sempronius cum Callistone loquitur: Supervenit Celestina. Eunt junctim Callistonis domũ Declarat ipsi effectum legationis suæ Celestina, utque Melibæã in sententiam suam adegerit. Dum hæc illi invicem confabulãtur, aliud colloquium ineunt Sempronius & Parmeno. Celestina à Callistone recedit, domum suam revertitur; pulsat ostium. Elicia aperit, cœnant, eunt cubitum.

CELESTINA. SEMPRONIUS.
CALLISTO. PARMENO.
ELICIA.

CEL. Quam vellem nunc domi meæ essem cum onere hoc lætarum rerum! Sempronium & Parmenonẽ video euntes ad fanũ Magdalenę, illos insequar: Si ibi inveniemus Callistonẽ, ibimus junctim domũ ejus, Evangeliũ accepturi, pro felici rerum, ipsi succedentium, nuntio. SEM. Here vide quo tu pacto te geras; sic res tuæ fabula communis toti civitati fient; Per Deum cave ne occasionem des rumorib. de te spargendis: Maxime devotos precationibus hodie vocant Hypocritas. Quid dicent, nisi te ire arrosum sanctorum simulacra? Si male tibi est animi, patere, quæ Deus vult, Domi tuæ. Non populo palã fiant negotia tua, neque vulgo, ad quem nihil talium

pertinet,arbitrium eorum objicias?Iam ordo rerum tuarum in manu *Tympanotribæ* est, satis ille eum propalabit publice. CALL. Cujus tympanotribæ, ais? SEM. Celestinæ CEL. Quid nominas Celestinam, quid dicis de illa Callistonis ancilla? Tota ista regio hominum præterit vos sensim ambulando, & ego longis istis laciniis meis nō potui vos assequi! CALL. O gaudium universi, Vindiciæ passionum mearum; Speculum Vitæ meæ, & luminis mei. Cor intimum gaudio mihi exsultat conspicienti honorabilem hujus adventum, istam egregiam Senectutem, istos venerabiles canos! Dic mihi quid adfers? Quid novi apportas? Video te solito hilariorem, & nesciendum est quid de vita mea sperare habeam! CEL. In lingua mea spes ejus tibi sitæ sunt! CALL. Quid ais gloria atque delectatio mea? Declara clarius quæ dixisti. CEL. Exeamus hoc templo, Domine; Post domi tuæ aliquid tibi recensebo unde gaudium verum capias. PARM. Hilaris & bono animo adest ista vetula, frater, puto illam confecisse negotium. SEM. Ausculta. CEL. Totum istum diem, here, laboravi in negotio tuo, omisi & seposui alia, de quibus certe majus emolumētum, ampliusque commodi ad me redire poterat. Multos indignantes reliqui, ut tuo animo satisfacerem. Plus lucri mei neglexi quam credere possis. Verum omnia comitetur Prosperitas, postquam tanto successu, quod volui confeci: Et jam audi me; paucis tibi omnia indicabo; ego enim, si me nescis, paucorum verborum sum. Melibæam reliqui totam tuam. CALL. Quid hoc rei audio? CEL. Amplius tuæ est quam suæ ipsius propriæ potestatis: magis dicto tuo obedi-

obediens, voluntati tuæ parens, quam ipsi Patri suo Pleberio. CALL. Moderate loquere, mater; ne talia verba proferas, dicent post servuli isti fatuam te esse aut insanam prorsus. Melibæa est Domina mea, Melibæa Vita mea, Desiderium, Spes, Salus: Ego captivus ipsius, ego mancipium. SEM. Ista tua diffidentia, Domine, dum te ipsum tam parvi æstimas, dum nauci te censes, humilius de te sentis quam res postulat & nobilitatem tuam decet, effutis talia; quibus impedis orationem hujus: omnes mortales turbas, insanias tales proferendo. Quid est quapropter cruce te signas? Da ipsi aliquid muneri pro compensatione tantorum laborum melius utique feceris, hoc volunt ista vetulæ verba! CALL. Optime suasisti. Mater optima mea, pro certo teneo numquam me compensaturum præmiis meis Labores tuos, tanta horum vilitas, tam grande illorum meritum est. Loco pallii, & tunicæ quæ promissa tibi meministi, cape hanc catenulam, cinge illa collum tibi, & progredere oratione tua, & Voluptate mea. PARMEN. Catenulam illam appellat, non audivisti, Semproni? Non curat neque æstimare novit quid profundat! Ego vero assevero tibi partem meam hujus non mutavero *dimidiá auri librá*; utcunque inique illam anus dispertitura est. SEMPRON. Audiet te loquentem herus noster; habebimus quod placemus, si efferabitur, in ipso, in te vulnera quæ obligemus, uti quidem offendi illum crebris tuis istis interlocutionibus scio. Per amorem mutuum mei, frater, audias & taceas: cujus quidem caussa, duas aures, & unum

solum os tibi Deus dedit. PARM. Malus dæmon au-
scultet Totus pendet à bucca mulieris, surdus, nutus
& cæcus; factus est persona fabularis sine sono; *si ma-
nus in obscœnum modum illi* irridendo configuraremus,
tollere nos illas in cælum crederet, oraturos Deum
pro felicibus Amorum suorum successibus. SEM. Ta-
ce; audi; ausculta penitius Celestinæ dicta: Per ani-
mam meã, omne istud illa meretur, & amplius quod
illi det; optime meretur, optime loquitur. CEL. Do-
mine Callisto, erga tam flaccidam vetulam, qualis e-
go sum, insigni liberalitate usus es. Verum ut omne
munus atque donatio cuncta, grandis, aut contra-
ctior æstimanda est, respectu ejus â quo proficiscitur,
Non traham in consequentiam exigua mea merita,
quæ omnia Liberalitas tua facile & quantitate &
qualitate exsuperat, sed componam munus hoc
tuum cum magnificentia animi tui, cujus compara-
tione sane non est magnum; cui uti ego tamen grata
atque munifica vicissim sim atque perhibear, Resti-
tuo cum his dictis tibi salutem, Vitam & Sanitatem
tuam, quas omnes perdideras si absque ope mea fu-
isset; Restituo tibi cor tuum quod pectore tuo velut
exsultavit toto hoc tempore Amorum tuorum. Re-
stituo sensus tibi tuos qui jam deficiebant. Melibæa
ardet magis Amore tui, quam tu illius, Melibæa te
perit, te videre desiderat: plus illa tui meminit quot-
horis, quam sui ipsius: Melibæa se appellat tuam, & i-
stum titulum libertatis suæ esse existimat, & hoc cõ-
solatur flammas Amoris quibus longe illa quam tu
ardentius exuritur. CAL. Servi, ubi ego sum? Servi,
egone hic sum? Audio ego ista? Servi, videte an non
adhuc dormiam ego? Nox ne jam isthic, an dies est?
O Domi-

O Domine Deus, Cælestis pater, ſupplico tibi ne iſta
in ſomnis audiam. Sed jam vigilo certè. Si jocaris tu,
hactenus Domina mea, ut verbis me ducas; ne time-
as, dic veritatem; nam quod muneratus ſum tibi tuũ
nihilominus erit, amplius merentur ambulationes
hinc inde tuæ. CEL. *Numquam pectus maceratum deſide-
rio bonos ſucceſſus rerum* ſuarum credere poteſt, neq; de
malis nuntiis dubitare. Verum an joco hæc dixerim
experiare re ipſa jubeo, eundo hora nocturna duode-
cima, uti inter nos concluſum eſt, domum Melibææ,
ubi illam tecum collocuturam invenies intra duas
valvas oſtii: Ex hujus ore amplius intelliges ſollicitu-
dinem & diligentiam in rebus tuis meam; ſimul & A-
morem quo erga te egregie affecta eſt; & unde cauſ-
ſa hujus, quaque mediatrice, provenerit. CALL. Iam
Iam ego tale quid ſperare poſſum? Iam tale aliquid
mihi continget? Moriar hinc illuc uſque. Non capio
tantam gloriam! nil mereor tam altum, tum beatum!
Indignus ſum loqui cum tali puella, ut illa quidẽ me
expetat audire viciſſim. Nil ego tale mereri potui!
CEL. *Semper hoc audivi affirmari*, magis eſſe aſperum &
difficile fortunam proſperam ferre quam contrariã!
Altera conſilii capax eſt, altera loco ſtare & tranquil-
la eſſe non valet. Quomodo, Domine Calliſto, non
conſiderabis quis tu ſis? Non tempus quod impen-
diſti ſervitiis ejus; Non qualibus mediis & conſiliis
huc uſque illam viceris? Certè dum hactenus dubius
fuiſti, utrum illa potiri poſſes, an ſecus, tolerantia ani-
mum conſolatus es, patientia muniviſti. Nunc cum
tibi finem omnium malorum tuorum certum in ma-
num depono, Vitæ tuæ nuntium remittere cupis?
Vide, reſpice, Conſidera, Celeſtinam tuarum partiũ
 eſſe,

esse, Qua comite, etiam si omnibus deficereris quæ amatorem tenere decet, tamen pro maxime perfecto, atque gratioso juvene venditare te atque gerere possis: Illa planas itineri tuo etiam cautes petrasque subdiderit, medios torrentes fluvios transire fecerit, ne pedem aqua tingas, Non satis cognitam eam habes cui pecuniam tuam dedisti. CALL. Illud considera, Domina, quod dixisti sponte illam suâ venturam! CEL Et quidem, si opus sit, genibus flexis. SEM. Non sit modo falsa hæc jactatio; forte vetula ista omnibus nobis manus adire tentaverit. Vide mater, hoc modo *canibus venenatæ offæ objici* solent, pane involutæ, ne sentiant dum comedunt. PARM Nullum umquam prudentius ex te dictum audivi. Multum suspicionis mihi facit tam repentinus puellæ consensus, & talis quidem, tanto genere, tantis divitiis illam tam nulla exceptione omnibus Celestinæ votis sese subjecisse! Certe verisimile est decipere velle istam nostros sua sensus loquacitate, ut ex altera parte aliquid furto subtrahat: Uti quidem *Ægyptii illi nobis facere consueverunt*, qui signis manuum futura prædicere posse jactant. Porro, bona fide, mater, *dulcibus verbis multæ injuriæ vindicatæ sunt*. Pictus in linteo extenso bos, blanda sua naturalis expressione, miseras perdices in retia trahit. Cantiones Sirenum simplices nautas dulcedine sua pessumdederunt. Sic ista facili illâ suâ & spontaneâ concessione quærit integrum de nobis manipulum in potestatem suam redigere; innocentiam suam purgare & contestari infamiâ Callistonis, & morte nostrorum omnium qui in ea re ipsius jussa facessimus; instar agnelli mansueti, qui tam matris suæ quam a-

lienæ

lienæ lac sugit. Illa cum summâ securitate suâ vindictam de Callistone sumet discrimine nostro; uti tot hominib. tot servis & clientibus suis instructa in uno nido capere possit patres & liberos. Tu stabis illuc scalpens ventrē tuū, ilia fricans ad ignē, cantilenā aliquam veterem cantillans, Tubicen qui bella committit, securo se loco esse gaudeat! CALL. Tacete, fatui, Suspiciosi, nebulones: Videmini mihi docere velle Cælestes Spiritus, Angelos divinos, posse mali quid facere. Certe Melibæa omnino de genere illo est, licet ascitâ formâ hominis inter nos versetur. SEMP. Semper tu ad Impietates tuas reverteris: Attende illi, Parmeno, ne timeas quippiam mali. Nam si duplo etiam periculosior res esset, ille solus omne luet. Nobis meliores ad fugam pedes sunt. CELEST. Domine, certa illa res est quam tibi obtuli, illi vanis suspicionibus perculsi quid dicant nesciunt. Ego omnia mihi abs te injuncta effeci; hilarem te relinquo; Deus te liberet & dirigat, jam optime contenta domum me refero. Si opus meâ operâ habebis, vel in hoc etiam, vel in aliis porro majoribus negotiis, illic semper ero, semper parata servitiis tuis, semper tua famula, PARM. Hi, hi, hi, SEMPRON. Quid rides, per vitam tuam? De festinatione anus, quæ tantopere domum properat. Non agnoscet sese ipsam priusquam catenam illam istinc ablatam in tuto collocaverit; non credit sibi ipsi in sua eam potestate esse, neque vere illam ad se pertinere. Conscia est tali dono dignam sese non esse; non sane magis quam Calisto Melibæâ. SEMPRON. Quid vis facere prostibulum tale

vetus, exoletam lenam, depudicatam anum? Scit & intelligit ista quæ etiã tacendo nos apud animum expendimus: Solet septem virginitates mercede duorũ obolorum reficere: Postquam videt sese auro onustã, proripit se domum, ut in tuto quod fors objecit, deponat; metum habet ne quis sequatur & eripiat, postquam quidem quod ipsius partium erat de hoc negotio confectum dedit. Porro malus Dæmon illam tueatur, ne cum coacta nobiscum prædam dividet, vitam ipsam perdat. CAL. Deus iter tuum comitetur, Mater. Ego cubitum me collocabo ut paullum obdormiscam; & ita defectum præteritarum noctium expleam; uti firmior sim, statuta hora illuc veniens. CEL. Tha, tha, tha. EL. Quis pultat? CEL. Aperi filia Elicia. ELIC. Quid ita tam tarde venis? Non debebas facere: Vetula es, impingere poteris, cadere, mori, in viâ! CEL. Nullum isthinc metum habeo. De Die circumspicio qua eundum sit noctu: neque ego nisi media viæ regione incedere consuevi. *Numquam pedem secure ponet qui* per murum curret, ille ambulat securissimè qui planam viam ambulat. Potius est ut ego calceis meis per lutum incedendo injuriam faciam, quã ut sanguine capitis collapsa silices tingam: Verum tua nihil interest, ubi ego impegero aut cecidero tu non dolebis meam vicem. Sed numquid non est hic tibi quod doleat? ELIC. Quid ais, quid quæris an mihi doleat? CEL. Abiisse illos qui hodie hic erant, te relictam esse solam. ELIC. quatuor horæ sunt quod illi hinc abscesserunt, & ego eorum etiam recorder? CEL. Quanto citius te reliquerunt, tanto magis dolere te relictam conveniebat, Sed jam omittamus

moram

moram meam, & eorum abitum; animum ad cenam potius atque lectum vertamus.

ACTUS XII.

ARGUMENTUM.

Media noctis hora Callisto, Sempronius, & Parmeno armati ad domum Melibææ eunt. Lucretia & Melibæa exspectant Callistonem ad ostium. Advenit Callisto, alloquitur eum primū Lucretia: Vocat Melibeam ipsa discedit. Colloquuntur medio ostio Callisto & Melibea. Parmeno & Sempronius audiunt sonitum hominum per plateam; capessunt fugam: Deserit Callisto Melibeam, concluso reditu nocte sequenti. Pleberius ad tumultum in platea evigilat, excitat & conjugem Alisam. Rogāt Melibeam quis per ejus cubiculum ambulet? Respondet, sitire se. Callisto cum servis suis domum revertitur, loquēs. Concedit cubitum. Parmeno & Sempronius domum Celestinæ petunt, poscunt partes suas de ijs quæ Callisto ipsi dederit: Negat quicquā se illis debere Celestina: Res ad rixam venit. Injiciunt manum Celestinæ; occidunt illam. Vociferatur Elicia; adest Iustitia, comprehenduntur ambo Homicidæ.

CALLISTO. LUCRETIA. MELIBEA. PARMENO. SEMPRONIVS. PLEBERIVS. ALISA. CELESTINA. ELICIA.

CAL. Pueri, quæ hora est? SEMP. Decima. CALL. Quam me male habet negligētia ista servorum!

Memoriâ mihi non excidet socordia hujus noctis tua, ut & mea vigilantia! Sceleste, cum noris quantum mihi vertatur in observatione horologii hanc noctem, quomodo respondere absque ratione & veritate potuisti quod in buccam primum veniret? susque deque habens quid spebus meis fieret? O miserrimum me si obdormivissem forte fortuna, & Sempronii mei confidens industriæ votum meum tantę vecordiæ servo credidissem! is enim, animo parum sollicito, de undecim decem, de duodecim undecim malo meo fecisset: Venisset Melibea ad ostium, ego non fuissem illîc, rediisset dormitum, sic neque finem dira mea mala cepissent, neque ego fructum ardentissimi desiderii mei. SEMPR. *Paris delicti error* mihi videtur scientem quem quæ res sit eam ab altero interrogando doceri velle, quam ignorantem respondere. Potius sit ut restantem istam horam inexpediundâ armaturâ insumanut, meo quidem judicio, quam ut rixas è rixis serendo tempus perdamus. CALLIST. Sanè non inepte fatuus iste suasit hoc; non indignabor cuiquam hoc tempore, neque molestiam de ulla re animo admittam: Non cogitabo illa quæ evenire poterant, sed ea quæ facta sunt: Non expendam damnum quod ex negligentiâ hujus redundare poterat, sed utilitatem quæ vigilantiam meam sequitur. Dabo spatium iræ, aut remittet illa, aut plane me deseret. Defer, Parmeno, arma mea, & vos quoque quam diligenter vos armate, sic ibimus spe boni eventus, uti dicitur. *Homo paratus optime, jam dimidium eluctatus est.* PARM. Hîc loricam tuam eccam, Domine. CALL. adsiste hîc

hic mihi ut induam. Tu Semproni, Circumspice an aliquem in platea videas. SEMPRON. Neminem video, here. Et si, maxime aliqui essent, tanta obscuritas noctis est ut nec videre, nedum agnoscere, quēquam obviantem possent. CALL. Igitur per hanc regionem eamus, ut etiam magis incogniti procedamus, si quis forte obviaverit. Iam duodecima Hora est, *bona bonis sit nobis.* PARMEN. Iam non longe absumus. CALLIST. Feliciter adsumus. tu te, Parmeno, expeditum fac, ut videas an venerit intra ostii valvas Domina mea. PARM. Ego, Here? Numquam volet Deus, ut ego attaminem quod mihi non est præparatum. Melius omen & auspicium sit te primum omnium ab illâ sentiri atque offendi, ne me viso animi forte turbetur, tot homines secretorum suorum conscios esse rescisens, quæ quidem illa paucis nota esse cupiat; & sic timore inutili percellatur, aut in suspicionem forte veniat illudi abs te. CALLIST. Vah quam pulcre tu admonuisti! Prudenti tuo consilio vitam mihi restituisti! Idem enim sit mortuum me domum meam referri quam uti illa per inscitiam meam quàquàlibet offensa, retro vertat. Ego illuc solus me conferam; vos isthic compositi manete. PARM. Quid tibi videtur, Semproni; quo pacto arbitrabatur fatuus iste me, velut scutum, periculo suo objecturum, id, ut in me primum experiretur? Quis me certum fecerit intra clausas portas quid lateat? Quis securum præstabit non aliquas illic latere insidias? Potest ut hoc machinetur Melibæa quo pacto hero nostro audaciæ suæ fructus domū cū fœnore redeat. Neque pro indubitato adhuc scimus

Verum

verum nobis retulisse vetulam: Non ausis tu loqui, Parmeno, occidunt te nescii quem: Ne sis *assentator*, ut herus tuus postulat, numquam alieni dolores à te deflebuntur. Ne facias ut consilia Celestinæ malo tuo in te expetant, cum obscura te nocte periculis injeceris. Tu tua te prudentia rege tuis utere dotibus animi non incides in fustigatorum manus. Tantum mihi Prudentia mea profuit uti hodie me *primum natum* arbitrari habeam, tanto periculo elapsus. SEM. Moderate, Moderate, Parmeno: ne sussilias neque strepitũ gaudio tuo facias; ne quis nos isthic esse sentiat. PAR. Tace tu, frater; non sum apud me præ lætitia; ego ipsi persuasi commodum ipsius ita poscere ut primus ostium accederet; id vero meæ securitatis gratia faciebam: Quis tam pulcre rebus suis præesse, quis commodum suum expiscari possit, atque ego isthic feci? Plurimas res me effectui videbis dare, si posthinc animum factis meis adverteris, quarum caussas persentire non omnibus detur; tã de Callistone loquor, quam quicunque alii istorum negotiorum aliquà curas participabunt. Certo enim scio puellam istã scite hamum jacere posse; satis chare impensas scilicet luiturum, qui illius quid deglutire voluerit. SEM. Abi, inepte, inepte, ne tantum te suspicionibus illis malis maceres, qnamquam & veri aliquid subfuerit. Præpara te potius ad primum periculi ingruentis sonum ut quam strenuissime fugere possis. PARM. Idem tibi mecũ studiũ est, unũ pariter sumus. Caligæ & braccæ meæ non alio fine levissime factæ sunt, q̃ ut facilius q̃ quivis alius fugere possim. Valde mihi consilium tuũ istud placet, forte alioquin pudore tui aliud capturo: Si herum nostrum quisquam de Pleberij hominibus senserit,

ſenſerit, metuo certe non tam facile manibus eorum elapſurum, ut nobis timendum ſit Rationem fugæ à nobis exacturum, neque ejus jam cauſſâ excogitandas longas excuſationes exiſtimo. SEM. O Parmeno amice, quam utilis atque delectabilis eſt paritas & unanimitas ſodaliũ: Et ſi alio nullo fine fructifica nobis fuerit iſta cum Celeſtina inita Societas; hoc tamẽ non adſpernabile commodum inde ad nos jam pervenit, quod hoſtilibus animis depoſitis in manum velut alter alterius ope ejus venerimus. PAR. Nemo negare audeat quod notum eſt atque manifeſtum omnibus. Manifeſtum eſt pudore alterius alterum detentos, ambos clariſſimo periculo expoſituros noſmet fuiſſe; dum ignaviæ atque puſillanimitatis uterque invicem notam declinaremus, de fuga iſthæc conſilia non iniremus; & ita cum hero noſtro præſentem hic mortem exſpectaremus; quam tamen præter illum nemo noſtrum meritus fuiſſet. SEMP. Credo paruiſſe ad condictum locum Melibæam, audi, ſodes, quam ſubmiſſe colloquuntur. PARM. Ego vero metuo ne illa non ſit, *ſed aliquis qui* compoſita fraude vocis ejus ſonum exprimat. SEM. Deus nos liberet ab inſidiis: nunc aliud mihi non majori timori eſt quam ne cautiſſimi homines regionem nobis inſederint & intercluſerint illâc, qua fugiendum erit. Hoc ſolum eſt quod animum male habet: CAL. Iſte quidem tumultus plus uno homine hic eſſe arguit. Quicunque ſint ego loquar: Ha, domina mea. LUCR. Vox Calliſtonis eſt hæc, Accedã. Quis loquitur iſthic Quis iſthic ad portã eſt? CALL. ille qui mandatũ tuũ ut faceſſeret, huc venit. LUCR. Cur non accedis, Hera. Accede ſine timore, Calliſto tuus iſthic eſt. MEL.

Fatua

Fatua, preme vocem: Vide bene an ille sit. LUCR. Ades solum, domina; certe ille est: Vocem loquentis agnosco. CALL. Certè ego deceptus sum: Non erat Melibæa hæc quæ loquebatur mecum; strepitum audio; perditus sum. Verum sive moriar sive vivam, conclusum est hinc non discedere. MEL. Recede tu paullum isthinc, Lucretia. Tu, Domine, dic quod tibi nomen est? Quis te istuc hâc horâ accedere jussit. CALL. Illa quæ meretur toti mundo imperare, cui ego ut serviam indignum me penitus agnosco. Ne metuas, Domina, aperire te illi, quem captivum amor tuarum virtutum tenet. Dulcis ille sonitus vocis tuę, qui numquam auribus meis porro exibit, certum me facit esse te Dominam animi mei, Melibæa: Ego sum servus tuus, Callisto. MEL. Extrema audacia legationum tuarum coegit me ut colloquerer isthic tecum, Callisto: Verum cum antehac claris & perspicuis verbis tibi sententiam meam coram aperuerim, non possum comminisci qua fronte audeas amplius de Amore mea sperare quam tum temporis tibi cognoscendum dedi. Abjice & depone animo fatuas illas vanasque cogitationes, Vt honor & Pudicitia mihi insollicitatæ abs tuis audacibus attentationibus securo loco esse possint, neque suspicionibus malis obnoxia ego habear. Hac de caussa huc veni, ut istis te curis eximerem, ego vero ut deinceps abs te non perturber. Ne cupias famam & Existimationem meam ponere in arbitrium vulgarium linguarum, quibusvis de rebus mala summo studio loqui consuetarum. CALL. *Eorum hominum animis qui periculorum* imminentium non ignari, con-

tra eorum impetum obarmare sese, & adversitatum telis obijciendum clypeum præparatum habere potuerunt nulla contingere tam vehemẽter noxia perculsio valet, quæ uno ictu illorum omnia vota proturbet. Verum miserrimus ille qui inermis contra insultum sortis asperæ sibi de munimentis prospicere non potuit, quippe insidiarum & periculorum omnium metu vacuus, cum extra murum securitatis suæ deprensus fuerit! qualiscunque adversitatis turbo facile illum deleverit: Talis ego, quemcunque ventum contraspirare votis meis nunc videam, sufficientem video omnia fundamenta Spei meæ convellere, ipsam vero recens illis captis Favoribus præcipitem excutere! O Infortunatissime Callisto; O quam deceperũt te Legati servique tui! O Scelerata deceptrix Celestina, debebas me fato meo moriturum relinquere, neque suffundere Ardori meo oleum istud bonæ Spei, ut augmentata flamma, reviviscentibus visceribus, ampliorem exercendorum dolorum materiam inveniret! Cur verba Dominæ meæ pro veris falsa ad me retulisti? Cur conscelerata illa lingua tua caussam desperationi meæ emẽtita es? Cur me huc venire adegisti, ut hunc aversi Amoris, Odiique mortiferi ictum, hanc perditionis meæ sententiam, Desperationis meæ conclusionem, ex ore illius acciperem, quæ sola claves interitus & Salutis meæ habet? O inimicissima Vitæ meæ; non tu mihi narrare ausa es, favere meis Amoribus istam meam Dominam? Non sua sponte illam imperasse ut hac hora istuc venirem? Non ut denuo mihi præsentia sua interdiceret, verum ut

obicem

obicem ; ante colloquio nostro objectum, tolleret? Cui ego jam exhinc credam? cui confidã? apud quẽ Veritatem quæram? Quis dolis malis atque fraudibus non studet? Quis falsimoniis, fictisque dictis nõ agit? Quis saltim aperte hostis est? Quis verus amicus? Quis locus vacat insidiis? proditionibus? malis artibus? Quis mihi tam diram desperationis certitudinẽ injungere audet? MEL. Cessent jam, charissime anime mi, veræ tuæ querellæ, quas neque pectus meum ut ferat sufficit, neque, ut dissimulent, oculi mei, facere ullo modo possunt. Tu ejulas & te affligis tristitia, pro crudeli me habens, ego gaudio, fidelitatem tuam agnoscens lacrymas non teneo. O Domine mi; ô omnis mea Prosperitas, quantopere gratius atque acceptius mihi foret posse vultum tuum simul nunc conspicere, quam vocem solam audire. Verum cum hoc tempore amplius nihil tui gratiâ facere possim; accipe confirmationem & sigillum votorum tuorum in verbis illis quæ exscripta tibi misi in lingua fidelissimæ & diligentissimæ tuæ legatæ, Celestinæ. Omnia quæ tibi illa dixit, ego nunc confirmo; Omnia accepta habeo: Deterge nũc, anime mi, oculos tuos. De me meisque omnibus pro voto & voluntate tua dispone. CAL. O Domina mea, Spes votumque Gloriæ meæ. Oblivio & Depositio omnium ærumnarũ mearum, Hilaritas Cordis mei, quæ lingua sufficiet pares meritis tuis tibi gratias reponere, ob supremã hanc & incomparabilem gratiam quam hoc temporis puncto, tantopere pro me sollicita, mihi exhibere voluisti! Volens atque iubens ut tam indignus atque humilis homuncio suavissimo Amore tuo frui possit! Hoc quidem ego, quamquam omnibus votis deside-

desideraverim, indignum me semper habui, ob oculos habens excelsitatem tuam, considerans, nobilitatem & existimationem tuam, admirando perfectionem, contemplando generositatem animi, comparando exigua merita mea incomparabilibus tuis virtutibus: Supremas tuas Gratias, inimitabiles Venustates, atque morum Elegantias intuendo. Igitur, ô altissime Deus, quomodo beneficiis tuis ingratus esse potero; qui tam miraculose miracula tua in me mihi restituendo confecisti! O quanto abhinc tempore cogitationes meas voti hujus felicitas subivit, verum quotiescunque pectus meum talia ceperunt, pro impossibilibus rejeci semper, atq; memoriâ meâ exigere studui; Hucusque quidem; jam vero illustrissimi radii, splendidissima fulgura favoris insperabilis tui, lumen oculis meis infuderunt, cor mihi in pectore incenderunt, exsuscitarunt torpentem linguam meam, Merita mea extulerunt, ignaviam mihi & humilitatem animi excusserunt, dilatarunt angustias Sperum mearum, duplicarunt vires meas, Pedes manusque meos, torpore ante velut colligatos, deligaverũt, ad summam, hanc mihi Confidentiam infuderunt, ut jam me statu tam excelso atque prælustri evectum videam, quali promissa dulcissimæ & amabilissimę vocis tuæ modo collocarunt. Illam quidem, si antehac cognitam atque perspectam non habuissem, suavitatem ejus odorum naribus obtusis sentire non potuissem; credere nunc minime possem carere fraude aliquâ occultâ, tam super omnia vota mea me beantia, verba ista tua. Verum ut pro certissimo scio nihil nisi candidum, atque sincerum tam factis quam dictis à nobilitate generis animiq; tui tibi permitti;

ad me revertor, me inspicio : Vtrum ego ille qui fui quondam, nunc quoque, Callisto, situ dubito: & me in me quæro, cui tantum felicitatis obiicitur. MEL. Anima mi, Callisto, merita tua ingentia, exquisitissimæ gratiæ tuę, generis tui nobilitas, tantum apud me potuerunt ut, ex quo integram tui noticiam animo meo percepi, nullo temporis momento de Cordis mei penetralibus excesseris: Et quamquam non paucos dies pugnarim ut dissimularem arcanum hoc pectoris mei, non potui tamen ad extremum, quin, muliere illa tuâ iterato nomen tuum auribus meis ingerente, illi omne desiderium meum optima fide enarrarem, Porro ut hoc tempore in hunc locum veniré, uti tibi indicarem tantam tuam in me meaque omnia potestatem esse, ut volente & cupiente, me de utrisq; pro lubitu tuo disponere deinceps possis. Ostiū istud nūnc Gaudium nostrum perfectum impedit, quod, quidem ego malis dictis invehor, cum fortibus suis & valentibus pessulis, obicibus, repagulis, sine quib. ut & virium mearum contra imbecillitate, si esset; neque tu quod queribundus discederes neq; ego quin summô tui amoris fructu fruerer, caussā fortassis haberemus. CALL. Quomodo, Domina mea, concessurꝰ sum lingeo asseri ut exoptatissimis ille gaudiis meis obstaculo sit? Nunquā censuissem, citra unicam voluntatem tuam, impedimento iis quicquam objici posse! O molestas odiosasque portarum valvas! Deum oro tali igne vos in cinerem redigat , qualis penetralia mea debellat. Tertiâ hujus parte in vos translatâ pūcto tēporis concrematæ jaceretis. Igitur, per Deum, Domina, sine servis meis imperem dissipant diffringātq; istas. PARM. Non audis, non audis, Sempro-

Semproni, adveniet nos quæsitum ut malo cum illo infortunio involvamur? Nihil minus mihi placet quam hoc tempore illuc accedere. Male auspicio credo conciliatos istos Amores. Ego quidem non morabor hic amplius! SEMP, Tace, Tace ausculta, illa non volet nos accedere. MEL. Anime mi, nolis tu perditioni meæ caussam dare; famam meam attaminare, ne immittas fræna Cupiditati tuæ. Spes certa est, Tempus tam prope instat quam tu voles. Quoniam autem tu dolores tuos simplices pro te pateris, ego duplices, tam scilicet tuos quam meos; sis contẽtus, itaque animum tuum moderere, ut crastina nocte eadem hâc horâ ad parietes horti mei venias: Quamlibet enim invidiosas istas valvas jam confregisses, & tumultum illum nemo sentiret, subjiceret se tamen in familia parentum meorum terribilis suspicio erroris mei; tu vero optimè nosti eo *majus peccatum esse quo* major delinquentis existimatio est; uno momento tota civitas rumore omnium oppleretur. SEMP. Malâ fortunâ nostrâ noctem istam huc venimus, hic erimus ad summam usque lucem, ut quidem tempori herus noster indulget. Quamlibet enim propitia nobis sit maxime fortuna non poterit tamen quin vel de vicinâ vel familiâ adeo ipsâ Melibææ nos aliquis animadvertat, tot horas hic commorantes. PARMEN. Iam tertia hora est cum suadeo tibi ut nos isthinc subducamus; non deerit nobis quod excusationi serviet; neque fortassis etiam sine malo hinc recedemus. CALLIST. O anima mea, & universa omnis Felicitas; cur tu errorem appellas aut peccatum quod ipsi Dii mihi concesserunt? Precanti Numen ad

altare Magdalenæ venit nuncia favoris tui diligens illa & fidelis ministra mea. PARM. Insanis tu quidem Callisto, manifestissimè: Non arbitror ego, frater, istum hominem Christianũ esse; quod vetus illa venefica sacrilegiis & incantationibus suis confecit, dicit á Diis sibi esse in manum datum, ab his se stultitiæ suæ effectum impetrasse. Hac ille confidẽtia ostia effringere cupit, At male peream si non ad primum ictum comprehendatur â Melibææ parentum servis, qui magno numero circa portam domus cubilia habent. SEM. Iam tibi timorem omnẽ exime, Parmeno: satis procul nos inde absumus, ad primum tumultus auditum nos fuga extra omnem periculi aleã auferet. Sine faciat quodlibet; quod intriverit ipsi exedendum relinquetur. PARM. Optime loqueris; uno in talibus corde sumus; sic fiat sane, fugiamus nos, qua licet, mortem: primęvi etiam sumus. Bona natura & pietatis plena jis inest qui neque mori alterius manibus, neque ipsi aliquem occidere volunt. Isti scutiferi Pleberii stulto animo sunt: non tantum edere & dormire illis voluptati est, quantum rixari & pugnare. Et quanta sit insipientia gradu composito inimicã exspectare velle, qui non tam victoriam, aut ex ea emolumentum, quam ipsam pugnam continuam amet? O si in tali me periculo aliquando videres, frater, quam laudares me & faveres fortitudini fugientis! Transversum latus obvertens, clunibus distensis, pede sinistro alteri præposito in fugam, laciniis succinctis, scuto complicato & lacerto subdito, uti ne impedimento sit per Dei fidem credo me fugiturum non tardius damâ, quo timore perculsus hic morari diutius nolim. SEMP. Melior etiam ad talia

ego;

ego; clypeum & gladium loro colligata, gero, ne possint currenti excidere; galeam cuculla astrinxi. PAR. Lapides autem quos in illa ferebas? SEMPR. Eversa omnes effudi; satis enim gravis portatu vel sola ista lorica est; quam tu quidem me adegisti ingratiis meis uti inducerem importunitate tua. Optima quidem ratione recusabam, quia gravior videbatur quā quæ fugientem non attineret. Audi, audi, Audis, Parmeno, Malè negotium procedit, perivimus, Curre, vola, aufer, abripe te hinc Curre versus domum Celestinæ, ne nostræ nos apprehendant. PAR. Fuge, propera: tu quidem lentus fugæ es. O miserum me, si nos apprehenderint! proiice scutum & quicquid armorum est. SEM. Dominus noster an jam peremtus sit? PAR. Nescio certe: Et quid opus hujus te meminisse: Mea quidem isthęc minima cura est. Curre & tace. SEMP. Ha, Hola Parmeno, redi istuc silentio; nemo est præter cohortem vigilum, quæ trāsit alia regione strepitum talem faciendo. PAR. Vide bene quid dicas, nō credas oculis tuis, phantasmate luderis sæpe, aliud pro alio videndo. Ne guttam quidem sanguinis mihi reliquerunt, jam mors me attingere videbatur, jam pede pedem premere; jam humero sequentium ictus recipere videbar. In vitâ meâ non memini me tanto metu perculsum fuisse, neque vidisse in tali me periculo. quamquam multis laboribus defunctus sim, sæpe extremis malis proximus. Novem annos servivi fratribus de Guadalupa. *ubi plus millies ductis pugnis concurrimus* inter nos servi; verum Mors mihi numquam tam propinqua adfuisse videtur, quam hoc casu. SEM. Et ego non servivi Parocho S. Michaelis? non stabulario ad Forum? & Hortulano ad Mollejas? Certe non

tè non minus mihi pugnarum erat cum iis qui avib. lapidibus bellum movebant cum nostræ populo illi insedissent, quam ille amabat, & quoniam hortensia olera vexabant? Sed Deus tibi adsit ne quando armatus in periculum aliquod incidas, tum enim demum verus timor homines infestare solet. Non frustra est quod dicunt; *Oneratus armis, oleto perfusus est.* Verte Verte fugam, Parmeno, Præfectus Vigilũ certo est. MEL. Anime mi Callisto, quid istud est quod per plateam tumultuari audio? Videntur fugientium esse rumores! Per Deum circumspice, ne tibi quid inde mali eveniat. CALL. Anima mea dulcissima, ne metuas; bene omnia exploravi cum huc irem. Mei homines hic erunt, arbitror qui sunt fatui meri, eripiunt arma omnibus quos transeuntes assequi possunt: Puto fugere illos aliquem. MEL. multi sunt tibi isthuc comites? CALL. Solum duo, verum etiam si sex fuerint ipsis pedem collaturi, non multum operæ insument, ut omnes armis spolient, & in fugam dent, ita animis & viribus valent. Electi homines sunt, Domina; nõ vulgaribus servitiis tantum confido. Si non sit honoris & existimationis tuæ gratia clementer nunc agendũ, jamdudum in frusta disrupissent ostium & postes ipsos istos; Et si deprensi fuerimus, me & te facile liberaverint ab insultu omnium patris tui servorũ. MEL. O Per Deum ne quid tale hic contingat! Sed magnæ mihi Voluptati est cognoscere tam fidelibus te famulis stipari; bene collocantur quibus tales tantarum virium & fidelitatis homines aluntur, opera atque expensæ. Per mei Amorem, siquidem tanto robore à natura, tantâque virtute præditos habes, videas ut comiter, & bene eos habeas, bonis præmiis cohonestes,

nestes, præcipuè ante omnia ut ſecreta tua ſervent, ne quod cælare tu cupis, illi differant. Quod ſi quando, temeritatis & audaciæ nimios, caſtigaveris: iracundiâ ſopitâ, favorem illis reſtitutum tuum oſtendas; ne animi forteis atque confidentes imminuantur ſtrictioribus anguſtiis incluſi velut & compreſſi, neve ſimul irritentur & tempore nocendi obſervato, aliquid ultionis in te parent. PARM. Domine, Here: confeſtim illinc abſcede, multi iſthinc homines veniunt cum facibus, ne te videant, & agnoſcant dum nō habes quo te abſcondas. CALL. O miſerias meas! Quam invitũ me cogit mala Fortuna, Domina mea, tam cito te relinquere! Profectò timor Mortis non tam efficax ſit, totum hoc facit metus Exiſtimationis tuæ, imminuendæ ſi quis hâc horâ me hic viderit. Quod ſi aliter nunc non poſſum, Angeli cæleſtes tecum, perpetui tui comites, maneant. Reditus meus, uti abs te præſtitutum eſt, cras certò expedietur, ut juſſiſti, per hortum! MEL. Ita facias; Deus tibi adſit PLEBERIUS. Domina Conjux, Dormis? ALISA. Domine, non. PLEB. Non audis ſtrepitum in thalamo filiæ tuæ? AR. Certè audio. Melibea. Melibea. PLEB. Non audit, ego clarius vocabo. Filia Melibæa! MEL. Domine. PLEB. quis in cubiculo tuo iſthic ambulat & ſtrepitum ciet? MEL. Domine Lucretia mea, quam miſi vitrum aquæ allatum, ſitiebam ego. PLEBERIUS. Dormi, filia; putabam aliud quid accidiſſe tibi. LUCR. Quàm minimus etiam ſonus illos expergefacit: cum timore colloquuntur! MEL. Non eſt uſpiam animal tam manſuetum, quod amore & metu pro liberis

ſuis non exaſperetur: Quid facerẽt ſi certi eſſent negotii hujus,& me deſcendiſſe illuc? CALL. Claudite oſtium iſtud, filii. tu Parmeno candelam huc adfer. SEMP. Melius ſit te Domine, jam cubitum faceſſere & dormiendo hoc reliquum in diem uſque noctis conſumere. CALL, Certe non diſplicet hæc monitio, opus eo quam optime habeo. Quid tibi nunc, Parmeno, de anu iſta videtur quam tantopere ante contemnebas? Quæ, Deus bone, opera hujus ope confecta ſunt! Quid miſero mihi factum eſſet abſque illâ? PARM. Neque ego enormem illam vehementiã dolorum tuorum ſentiebam, neque merita & generoſitatem Melibeæ cognoveram; ſic extra culpam omnẽ ſum. Noveram contra Celeſtinam & illius artes atq; machinas, admonebam te,& ſuadebam tibi, ut Domino æquum erat adeſſe fidelem famulum, Nunc omnia in melius vertiſſe illa videtur, omnia ſua artificia bonis operibus mutavit. CALL. Quid, mutavit, dicis? PARMEN. tanto quidem opere ut niſi præſens omnia, quæ egit, vidiſſem, nihil eorum plane credere potuiſſem. Atque ita tu bene vivas uti hæc vera ſunt. CALL. Ergo audiviſtis quid inter me & Dominam meam tranſactum ſit? Quid faciebatis? timuiſſe exiſtimo. SEM. Quid? timuiſſe? timuiſſe nos, autumas, Domine? Profectoquantũ univerſo mũdo hominum eſt, metum nobis nullius rei incutiat: Tu certe trepidos homines in nobis reperiſti! Illic eramus omnibus modis parati, omnibus accidentibus & momentis intenti; arma manibus apti. CALL. Obdormiviſtis aliquantillum? SEM. Dormierimus, Domine? Pueri ſint dormitores, quales tu nos convitiaris! Numquam ego aſſedi, neque per Deum, umquã pedes

pedes junctos habui, undique versim circumspiciendo, ut, si aliquid sensissem, confestim auxilio adsilire potuissem, omnibus virib. periculũ tuum meo propulsaturus. Et, Parmeno, quamquam suspicio mihi hactenus fuerit non illum admodum libenter tibi serviisse, ita efferebat sese, cum cohortem illam hominum cum facibus venientem videret, ut lupus solet cum procul pulverem excitari pedibus venientis armenti videt. Iam sperabat illas illis eripere, donec clare videret nimiam hominum multitudinem esse. CALL. Ne mirum hoc tibi videatur, naturâ illi datum est audentem animum habere: Et si tale aliquid mea caussa facturus non fuisset, fecisset suâpte propriâ; neque tam adsueti talibus facile contra morem suum venire possunt. Quamquam pilum mutet vulpes, ingenium tamen & naturam suam non ponit. Pro certo ego affirmavi, Dominæ meæ Melibææ, quam virtuti vestræ confidens nõ fallerer animi; Et q̃ securus omnis periculi semper incedã, vestra custodia atque auxilio tutus. Filii, certè multum vobis debeo; orate Deum uti bene res Saluti meæ succedant, tũ servitiorum vestrorum fidelitatem egregiis præmiis remunerabor! Nunc cum bono Deo dormitum concedite. PARM. Quorsum nunc ibimus, Semproni? Lectum dormitum, an in Culinam jentatum? SEMP. Eas tu quorsum voles: Antequam dies illucifcat mihi conclusum est ad Celestinam proficisci, ut partem meam de catena potiar. Anus nullius pretii est; non dabo ipsi tempus uti fabricam aliquam excogitet, ut nos nostris partibus circumscribat. PAR. Placet sententia: pene hujus tantæ rei oblitus eram. Eamus jũctim ambo. Si contradicet, promissa abnegabit, terri-

bilibus verbis eam pavefaciamus, vi coacta solvat, quod gratiis bonis non volet. *Supra pecuniam non est Amicitia.* SEM. Ha, ha. st tace; cubat isthic juxta fenestellam hanc. Tha, Tha, Domina Celestina aperi nobis ostium. CEL. Quis pultat? SEM. Aperi, filii tui sumus. CEL. nulli mihi sunt filii qui hac noctis horâ obambulent. SEM. Aperi nobis, Parmeno & Sempronius sumus, venimus isthuc jëtaculo te participaturi. CEL. ô perversos vos fatuos! Intrate, intrate. Quomodo hoc noctis huc adestis? Iã mane novũ oritur. Quid cõmisistis? Quid vobis accidit? Voto suo potitus est Calisto? Vel adhuc apud illam est? Aut quid rei est? SEM. Quid? rogas mater: Si nostra opis illi non adfuisset jam anima ejus abjisset quęsitum ęternum sibi domicilium! Si hoc solum officium, quod hodie illi à nobis præstitum est, compensare dignis præmiis volet, omnes illi divitiæ suę non sufficient, siquidem verum est quod dici solet, Vitam homini & corpus suum digniora & majoris esse æstimanda quam aliarum rerũ quamlibet. CEL. Iesu: & in quali vos periculo fuistis! Recense mihi per Deum! SEM. Vide quantum censere debeas: ita vivam ut sanguis adhuc toto corpore mihi ferret, saltim ubi memoria rem recolo. CEL. Recipe te, per Deum, & narra mihi. PARM. Rem prolixam ab illo petis, uti quidem percitâ mente nos huc venientes vides, & fatigatos tantarum rerum laboribus. Melius feceris nobis aliquid isthic jëtaculi parans, poterit ut eo modo commode alteratio considat, quæ nunc omnibus sensibus molesta est. Ego quidem pro certo tibi affirmo nolle me cum quopiam homine pacifico nunc aliquid negotii habere, gloria & cupiditatis meæ effectus erit invenire aut offen-

dere

dere aliquem, cujus ſanguine iram meam mitigem, quoniam ob celeritatem fugientium, eorum nô potui qui tantopere nos læſerunt. CEL. Malâ peſtilentiâ peream ſi non pavore tota tremo poſtquam tam crudelia ex te verba audivi, tam te iracundia concitum vidi! Credo jocari te. Dic mihi nunc, Semproni, per vitam tuam; quid eſt quod vobis accidit? SEM. Per Deum ſine ſenſibus adſum Deſperatus; quamquam erga te moderari iram æquus ſit, quę fœmina es, alioque te vultu contueri, quam quo adverſarios noſtros armis abjectis in fugam præcipitare conſuevimus. Numquam mihi animi fuit in eos vim meam & robur exerere, qui defendere ſe non poſſunt, parumque negotii furori meo facere. Armaturam omnem meã, domina, in fruſta conciſam gero, ſcutum ſine umbone eſt, Enſis inſtar ſerræ exciſus, Caſſis pertuſa uſque ad cucullam intimam: Nihil mihi jam talium ſupereſt ut denuo cum hero meo noctu prodire poſſim, cum ille juſſerit, Sequenti vero nocte conſponſum eſt conventuros amantes in horto Melibææ; ut autem nova mihi parem, ab eo obolum non feram, etiamſi illico moriendum mihi ſit. CELEST. Petas, fili, ab hero tuo, ſi quid, dum illi ſervis & mandata ejus faceſſis, damni tibi datur. Liberaliſſimus hominis ingenium eſt, non tu facilius poſces quam ille tibi largietur. Non eſt ex eorum genere de quibus vulgo jactatur: Vive mecum & quære qui tibi det, ſi quo opus habes. Ille tam aperti & nobilis animi eſt, & hæc & alia plurima tibi dabit. SEMP. Ha! Itidem Parmeno omnia ſua arma perdidit. Vt reparet iſta, omnium facultatum ipſius ſubſtantia non ſufficiet. Qua fronte jubebis ut tantâ importunitate illum

accedat,

accedat, petitum amplius quam ipse sua sponte largiri velit? Sed jam dum satis est: Non dicatur mei gratia: *da illi digitum latum, ulnæ totius spatium poscet!* Dedit nobis centum illos aureos, dedit postea auream istā Catenam. Ter tantum porro elargiatur, quid censes illi remansurum? Nimio ipsi constabit, tam facile expeditu, hoc negotium! Simus contenti eo quod Ratio suadet; non amittamus universum, amplius, quā æquitas mandat, poscendo. Qui plurimum expetiit, raro non minimum indeptus est. CELES. Certe non sine Gratiis loquitur hic Asinus: Quod si apud mensam hoc negotium tractaretur, affirmem omnes nos amplius solito adbibisse. Insanis tu ergo; Semproni? Quid rei est mercedi tuæ cum meo salario? tuis præmiis cum meorum laborum meritis? Egone obligata teneor vobis arma vestra, cum fracta sunt, luere? Ego resarcire damna vestra? Audactar jurem, & vitam meam interponam, tam fatui te cerebri fuisse, ut cōfisus uni alicui verbulo quod, nescio quâ occasione, tibi dixi; omnia mea tua esse, & quantum flaccidis meis viribus ego efficere possem, numquam tibi me defuturam: Et si Deus mihi bonum aliquod lucrum de Domino tuo emungere concessurus fuerit, tuam te etiam isthinc partem capturum. At tu nosse jam ante ista debes, Semproni, istas oblationes, ista verba, boni amoris neminem obligare cuiquiam. Non aurum est continuo si quid splendidius fulget: sin, certe minoris illud æstimabitur. Dic mihi istud uti sentis, Semproni, videbis, etiamsi confectâ ætate sim optime me conjectura adsecutam, quid velis, & intrà te forte conclusum habeas. Bonâ fide, fili, amplius est quod me male habet quam quod tu autumas, & quidem eo

dem eo modo ut mirer ipſamet quo pacto mærore non animam jam efflaverim : Cum de domo veſtra huc rediſſem fatuæ illi Eliciæ catenulam, quam ferebam, tradidi; ut cum illa luderet, & ſeſe aſpectu ejus oblectaret: Illa jam neſcire ait quorſum illa devenerit: Totam iſtam noctem neque illa neque ego vel unicum ſolum minutal horæ dormivimus ; ita animi anxiæ ſumus; neque tam certe propter pretium catenulæ ipſius, quod mediocre utique erat , quam propter puellæ tam abſurdam negligentiam: Et quod omnium eſt miſerabiliſſimum forte fortuna huc advenerunt aliqui familiares & bene mihi noti eodem tēporis articulo; metus nos habet, ne illi forte illam abſtulerint. Hæc cum ita ſint, filii; jam vobiſcum ambobus loqui cupio; ſi herus veſter aliquid mihi largitus eſt, ſcire & conſiderare debetis illud ex eo meum eſſe, aureum illum thoracem quo te donavit, an ego partiri tecum volui? Certe nec volui nec, æquo jure, potui. Serviamus omnes, ſingulis ille dabit quod quemque mereri videbit. Quod ſi mihi aliquid donavit, certe non immerenti eum honorem habuit. Ego bis vitam meam ejus cauſſâ velut venum expoſui ! Plus ego olei atque operæ illius negotio expediundo impendi, vobis. Sciatis, filii, nihil non pecuniâ meâ mihi conſtare. Non ego, quod didici, quodque Sapientior multis habeor, per ludum id mihi peperi; quujus rei optima teſtis mater tua, erat, Parmeno. At vero, quāquam omnia iſta verè & bono jure à me dici nemo æquus judex non arbitraturus ſit, utrique tamen veſtrum, cum primum catenulam iſtam meam recuperavero, de honeſto exinde veſtitu proſpecturam polliceor: Quod ſi illam ubi ſit reſcire non potuero, reci-

piatis oportebit bonam propensamque voluntatem meam in locum ipsius donariis ut mihi ipsi infortunium perditi muneris illius mei silentio devorandũ est. Hoc autem ideo vobis promitto ut gratum mihi animum inesse sentiatis, quoniam maluistis me negotio hoc heri vestri expediundo aliquid lucelli facere , quam quamvis mei census & generis aliam: Quod si dictis istis contenti non eritis, vestro damno plura petendo nihil penitus accipietis. SEM. Non jam primâ vice dico nimium juris esse avaritiæ & Parcitati in vetulos vetulasque; cum pauperes, liberales sunt, cum ditescunt, triparci. Sic accrescit cum divitiis avaritia, cum avaritia in mediis opibus inopia; neque est ulla res quæ avarum pauperem reddit, quam facultatum copia. O Deus optime maxime; & quomodo egentia subiicit se atque augetur cum abundantia; Quis loquentem antehac vetulam istam audiens non affirmasset omnem illam proventum ex herilibus istis Amoribus facile mihi concessuram? Et certè ita tum sentire præ se ferebat cum pauxillum aliquid inde exspectaret, nunc cum liberalitate Domini mei subito locupletata est, ne minimum quidẽ inde decidere potest; scilicet ut verum suo exemplo faciat quod pueri in triviis cantillant. De paullo paullum, de multo nec hilum quidem. PAR. Det tibi secundum promissa sua partem, aut eripiemus illi totum. Satis equidem tibi clare dixi qualis esset ista vetus venefica, tum tu alia omnia sentiebas. CEL. Si est vobis inter vos disceptatio, aut si abs hero vestro aliquid poscere habetis, Arma, aut quidvis aliud, ne iracundiã vestrã in meum caput exoneretis. Optime mihi constat, unde hæc veniant litigia; belle conjicio

utro

utro pede claudicetis; certè minimè ob egestatem ejus quod à me petitis, neque adeo avaritiâ auri, quod inhiare videmini. Illud est quod metuitis totam me vitam vestram velle vos captivos velut atque mancipia Areusæ & Eliciæ, quas deperitis, detinere ne possitis aliunde alias petere, istæ vero semper vostris Voluptuationibus similent se paratas, neque alium admittere quempiam: Hâc sola caussa super auro isto litigatum mecum adestis, & dita mihi minamini; partituri ingratiis meis, vi vestrâ, quod in potestate jam dum meâ est. Igitur tacete modo, boni viri, Quæ istas vostis conciliavit, alias adducet decem; præcipuè cum jam familiarius vos noverit, vestrâ ope lucri plusculum ceperit, ut de amicitiâ vestrâ dubitare nõ possit. An vero credendum sit mihi in talibus expeditionibus, dicat pro me Parmeno: Dic, Parmeno, dic, ne pudorem habeas enarrare quo fine negotium terminatum sit, cum Areusæ domi suæ uterus doleret? SEMP. Ego dico ipsi ut abeat *& aquam petat*. Non ego istuc quæro quod tu autumas, non immittas petitionibus nostris ludificationes tuas: Hâc tu fabrica labiis me non ductabis, ut speras. Huc accede & rationem rei mecum deduc. Vetulus canis ægre illuditur. Da nobis atque porrige duas partes omnium istorum quæ Callisto ob Amorum suorum confectionem tibi muneratus est. Non des caussam ut vulgo propaletur quæ tu sis. Aliorsum Aliorsum his ludificationibus blanditiarum, anus nullius pretii. CELEST. Quis ego sum? Semproni? Tu de Lupanari me redemisti? Taceat impudica & sordida ista lingua tua, ne attamines canitiem meam! Anus ego sum talis

qualem

qualem Deus me esse voluit, non pejor cęteris omnibus, vitam officio meo sustineo, ut quævis alia suo, maxime inculpata. Qui opem meam non poscit, neminem ego asséctor. Domo mea aliorsum accersunt, qui meo officio uti volūt, ædes ipsorum rogor. Si bene aut male vivo, Deus testis est cordis mei; non tu venias iracundiâ tuâ me concutere: Iustitia est æqualis & administratur omnibus; tā audiar ego caussam meam dicens, quam tu tuam, etiamsi mulier sim, æque certè atque vos pexi atque comti. Fac me missam domi meæ, cum fortunâ meâ, fato me meo relinque. Neq; tu, Parmeno censeas captivam me tibi aut mancupio addictam esse, quoniam secreta quæpiam anteactæ vitæ meæ novisti, casusque qui junctim nobis obtigerunt; mihi, inquam, & matri tuæ, infortunatissimæ. Certe illâ pariter ego, atque me illa utebatur, dum Deo placuit. PARM. Ne mihi infles buccam tuis istis commemorationibus: nisi vis isthinc ad illā cū novarū rerum nuntiis mitti; ut habeas certe de quo illi quæraris. CEL. Elicia, Elicia, surge confestim lecto, cedo illico pallium meum, per Omnes Divos jam Iustitiam appellatum curram, clamando instar insanæ. Quid hoc rei est? Quid tales minaciæ domi meæ mihi dicere volunt? Cum oviculâ mansuetâ & cicure tam gloriosa & clamosa litigia ordimini? Cum gallinâ clavo affixu, cum anu amplius sexaginta annorum? Illuc, illuc ad viros ite, vestri sexus, contra eos fortes vos facite qui gladiis pariter cingūtur, illic campus est iris vestris explicandis, non adversus flaccidum istum stipitem. *Iudicium insignis pusillanimitatis est, vim facere infirmis*, & qui imbecillitate virium à defensione arcentur. Obscænæ sordidæque

muscæ

muſcæ pabulum in macie confectis atque exſanguinibus jumentis quærunt. Minimi catuli, nihil niſi latratores meri, pauperes miſeroſque peregrinantium majori impetu aſſiliunt. Si iſta quæ in illo lecto cubat mihi ſuadenti credidiſſet, numquam iſta domuncula noſtra ullam noctem ſine viro eſſet, neque tam futili contubernio viveremus. Verum ut tibi gratificaretur, ut tibi fidelitatem ſervaret iſtam ſolitudinem imbellem degimus. Cum ſciatis neminẽ hîc eſſe pręter duas nos mulierculas, tam magnos vos facitis! tã grandibus minaciis abutimini: At ſi virilis ſexus quempiam iſthic eſſe noſſetis, certò ſcio nequaquam auſuros vel minimum aliquid talium jactationum. Belle dicitur, *Fortis adverſarius etiam ferventiſſimam iram tepidiorem facit.* SEM. O avaritiæ mancipium, ſceleſta anus, ſemimortua fame auri, non eris contenta tertiâ parte hujus lucri? CEL. Quâ tertiâ parte? Abi dum licet, cum Deo, domo meâ, tu & ſociénus iſte tuus, ſin; vociferabor, ut omnis auxilio accurrat vicinitas; ne me inſanientem faciatis; ne cauſſemini, ut res Calliſtonis fabula vulgi fiant. SEMP. vociferare, aut murmura, mihi tantumdem eſt. Faceſſes opere quod verbis promiſiſti, aut jam finies dies tuos. ELICIA. Per Deum apage enſem. Tene iſtũ altrinſecus, tene Parmeno. ne occidat inſanus iſte miſeram anum. CEL. Iuſtitia, Iuſtitia, Domini vicini, Iuſtitia. Occidunt me domi meæ iſti Lenocinatores. SEM. Lenocinatores? Et qui? Exſpecta Domina Stryx, ego te jam ad inferos mittam cum litteris. CEL. Hei, occidit me. Ay, Ay, Cõfeſſio, Cõfeſſio. PARM. Da illi, Da ſtrenue: cõfice illã quoniam incepiſti. Moriatur Moriatur; *minus inimicorum eſt quo plus mortuorum.* CEL. Confeſſio! ELIC. O crudelem

O crudeles latrones. Malâ morte pereatis, occidistis matrem meam & omne bonum meum. SEMP. Fuge, Fuge, Parmeno. Multorũ hominum concursum video. Cave, cave, subduc te, Vigilũ cohors adest. PAR. Hei me, non est ubi elabamur, jam ostium obsederunt. SEM. Desiliamus fenestris istis, non moriamur manú Carnificis. PAR. Salta, ego sequor.

ACTUS. XIII.

ARGUMENTUM.

Callisto somno experrectus secum ipso loquitur. Post paullum vocat Tristanem, aliosque servos suos. Tristan ad ostium domus consistit. Venit Sosia plorans. Rogatus à Tristane, recenset ipsi mortem Sempronii & Parmenonis. Eunt junctim, rem Callistoni referunt: Qui veritate cognitâ miris modis lamentatur.

CALLISTO. TRISTAN. SOSIA.

C. O quam gratum soporem dormivi, quam ex voto meo, post colloquium illud Angelicum, post melleum istud & sesamo sparsum temporis momentum. Optimâ quiete fruitus sum. Tranquillitas ista animi & hilaritas, exoneratis omnibus doloribus, mirifice me recreat. Procedunt illæ de singulari isto gaudio meo: Vel corporis multa fatigatio quietem mihi optabilem conciliavit, aut Animi Gloria atque Voluptas. Neque mirum mihi ambas istas officia sua junxisse, uti oculorum meorum valvas quibusdam velut catenis concluderent; cum corpore atque membris laboratim hactenus, Spiritu autem atque a-

que animo præteritâ nocte mirificè gavisus sim. Certa ædepol res est, Tristitiam difficultatem gravium cogitationum afferre, graves illas cogitationes somnum impedire & suspendere, Mihi certe hoc his diebus usu venit ex desperatione voti mei, cujus jam tamen certus sum, idque velut manu teneo. O Domina mea, O Amor meus, Melibæa, quid jam cogitas? Dormis etiam an jam dum evigilasti? Alius apud animum tuum est, an ego solus? Surrexisti lecto tuo, an cubas adhuc? O felix & fortunate Callisto, si in veritate rei ita negotium est, neque per somnum tibi felicitas ista objecta est? Somnio ego nunc etiam an vigilo? Fuit imaginaria ista res an vera? Somnorinum phantasma, an verum gaudium? Verum solus ego nõ fui, famuli mei comites adstiterunt! Duo erant isti. Si illi affirmaverint re ipsa ita negotium gestum esse, pro tali quod verè contigerit, ego id habebo. Volo eos accersi jubere, ut gaudii mei certitudinem habeam? Tristanice, pueri, heus, Tristanice, ades istuc, expergiscere. TRIST. Domine jam isthic sum. CALL. propera huc mihi convoca Sempronium & Parmenonem! TRIST. Iam curro, Here. CALLIST.

Hactenus afflictum Curis, sopor altus habeto.
Namque favet, quondam non bene gratus, Amor.
Vi superat victo mala sæva, dolore, Voluptas!
In vestrum veniam jam, Melibæa, thorum!

TRIST. Here, nemo servorum domi est. CAL. Aperi igitur istam fenestram, vide quæ hora diei sit. TRIST. Here, alta jam dies est! CAL. Igitur claude illam denuo, & dormire me sine usque dum tempus prandii erit. TRIST. ibo ad ostium ergo intereà

ne quis ſuperveniat fortè ſomnum heri mei turbaturus: Quiſquis illum quæret, domi eſſe negabo. Vah quantum clamoris apud forum eſt! Quid hoc ſit rei! Aliquis capite plectitur, vel mane tauros venatum venerunt. Neſcio quid arbitrari debeam iſthuc tumultus eſſe; quanta hominum vociferatio! Illinc venit Soſia Equorum curandorum ſervus, ab illo reſciſcam quid negotii ſit! Sceleſtus capillos vellit, in tabernâ aliquâ ſeſe volutavit. Si herus noſter hoc reſciverit *bis mille ictus* fuſtium præmium meritis ſuis honeſtum feret. Fatuus eſt, oportet tales caſtigationes prudentem faciant. Videtur mihi plorans adeſſe. Quid hoc rei eſt, Soſia? Vnde venis, quid ejulas? SOSIA. O infelicem me, quam grande hoc damnum eſt! O infamia domus herilis noſtræ! O quam infauſta nobis dies jam oritur! O infortunatos adoleſcentes! TRIST. Quid eſt, quid affers? Qua de cauſſa te adfligis? Quid mali hoc eſt? SOSIA. Sempronius & Parmeno. TRIST. Quid dicis, Sempronius & Parmeno; quid iſtud rei eſt, fatue? & me infatuas tu, dic clare quid eſt novę rei? SOSIA. Noſtri fratres, noſtri ſodales! TRIST. Aut ebriacus tu es, aut ſenſibus captus! aut certè peſſimum nobis nuntium affers! Non dicturus es mihi, quid eſt quod de Sempronio & Parmenone mutis? SOSIA. Capite plexus uterque in foro jacet! TRIST. O Malam fortunam noſtram! ſiquidem tu verum loqueris. Vidiſti illos? dic certò, an allocuti te ſunt? SOS. Iam ſenſibus omnibus exſuti erant. alter tamen cum ſummâ difficultate, cum me juxta plorantem atque ejulantem animadverteret, Oculos in me figebat, manus ad cælum junctas efferens, velut gratias Deo perhibiturus, neque velut interrogaturus an

rus an morti ipsius ego condolorem! Atque ut tristitiam ejus discedentis agnoscerem inclinabat caput, lacrymis plenos oculos habens; significans quod me numquam postea adspecturus esset, usque ad magnum diem Supremi judicii. TRIST. Non recte animadvertisti quid voluerit, poscere ex te voluit an Callisto præsens adesset. At cum tam clare tristissimi casus conscius sis, eamus confestim ad herum nostrum, illi illas illætabiles res narraturi. SOSIA. Here, Here. CALL. Quid hoc est, fatui: Nonne interdixi vobis, ne quis excitatum me veniret? SOSIA. Opus vero nobis est excitato te, Expergiscere, surge lecto: si tuis non succurris, si auxilium nullum in te nobis est, fun ditus omnes disperimus. Sempronius & Parmeno decollati jacent in foro, ut publici malefici, sub voce præconis, qui capitalia eorum delicta populo proclamat. CALL. O adsit mihi Deus! Quid hoc est quod dicentem te audio? Nescio an credere tibi debeam tam insperatum & subitum infortunium! Vidistine tu ipse quæ dicis? SOS. Certè ego vidi. CALL. Circumspice vide quid dicas, istâ nocte ambo mecũ fuerunt. SOS Ergo mane excitati sunt ut morerentur. CALL. O fideles mei servuli, ô egregii mei famuli, O fidi mei Secretarii! O Consiliarii mei! Poterit fieri ut hoc sit verum? O infamis Callisto; jam turpitudinis notam omni tuæ vitæ tempore feres! Quid te fiet, occiso tali famulorum pari? Dic mihi per Deum, Sosia, quæ fuit caussa? Quid proclamabat præco? Vbi interfecti sunt? Quis manum illis injecit? quis occidit? SOSIA. Here, caussa mortis ipsorum crudelissimus Carnifex propalabat, clamitans. Mandat Iustitia, moriantur violenti Homicidæ! CAL. quem hominem tã

subito interfecerunt? Quomodo hoc fieri potuit? Non quatuor adhuc horarum spatium est cum à me discesserunt. Nescis nomen occisi? SOS. Here, mulier fuit, nomine Celestina! CALL. Quid ex te audio? SOS. Quod verè audis, CAL, Ergo si hoc ita sese habet, tu occide me, ego tibi permittam, & ignoscam mortem meam: Certe majus hoc malum est quam vidisti tu aut cogitare potes: Si Celestina illa f. ciem vulnere signata occisa est! SOS. Illa ipsa est, plus triginta mortiferis ictibus confossam vidi, extensam jacentem domi suæ; juxta unica ejus ancilla erat, quæ ipsam deplorabat. CAL. Ah miseros juvenes! Quomodo ducebantur? Allocuti te sunt? SOS. O Here, si eos vidisses, cor dolore tibi dissiliisset medium! Alter jam nihil sentiebat. Cerebro totum caput undiq; perfusus, alter ambobus brachiis fractis, caput horridis modis conquassatus, ambo sanguinolenti, trahebantur: Exsilierant domo per fenestram excelsissimam, vigiles persequentes fugituri. Sic semimortuis jam abscisa sunt capita, credo jam etiam nihil sentiētibus. CALL. Igitur cum infortunio hoc attaminari famam meam sentiam, optarim eorum me loco esse, illos meo; sic vitam perdidissem, non & famam. O si Deo hoc placeat! Iam cum Existimatione meâ amisi etiam Spem omnem consequendi voti mei, propositi mei, cujus jam pars in manu mea erat! Quod quidem illud est quod infelicissimo isto casu me maximè afficit. O triste nomen, ô fama nominis mei! Quomodo venum nunc differris per ora hominum! O secreta, Secreta mea, quam cito per mercatores & forenses negotiatores publicabimini! Quid mihi fiet? Quorsum ego ibo? Exibo ad mortuos? Iam non possum illis opitulari? Quid verò hîc maneam? Ista ignavi animi pusil-

lanimitas erit! Quid consilii capiam? Dic mihi tu, Sosia, quæ erat caussa occisæ mulieris? SOSIA. Ancilla illa occisam deflens, domine, vociferando, ejulando, illam enarrabat omnibus, quicunque audire cuperent, dicens; noluisse illam dividere æquis cum illis partibus catenam auream, quam tu Celestinæ dedisses. CAL. O Dies ærumnosâ! O sæva adflictio! Et quomodo opes meæ de manu in manum transeunt, nomen meum de linguis in linguas? Omnia jam palam erunt quæ cum illis & quâ de caussâ omnia locutus sim! Quicquid illi super negotiis meis sciverunt, status ipse Amorum meorum: Non ego audebo jam prodire in publicum! O miseri adolescentes! tam subito vos mali sideris afflatus obsorbuit? O Votagaudiorum meorum quomodo jam retroceditis imminuenda! Antiquum est proverbium: *De celsis culminibus periculose caditur*. Multum hac nocte felicitatis assecutus eram, hodie tantumdem perdidi! Rara est tranquilllitas constans in pelago! Ego jam mihi titulum Hilaritatis scripseram, modo fortuna mea attinuisset turbines tempestuosos contraspirantium vẽtorum in perniciem meam! O fortuna quantum & quot locis me oppugnare persistis! Verũ quo tu magis arcem habitationis meæ concutis, quo magis cæptis meis contrariã te opponis, eo tranquilliori animo adversitatũ vis mihi ferẽda incũbit. In his talibus Magnanimitas aut ignavia pectoris sese probat. Non est melior Lapis-Lydius ad cognoscẽdũ Virtutes homini additas, quales sint, q̃ iste gen9. Igitur quodcũq; me infortunii porro secuturũ sit, nõ omittã exsequi mãdatũ illius, unde omnis istorũ caussa descẽdit. Pluris apud me esse debet Gloria ej9 rei quam asseq spero quã Damnum illorũ qui merentes interempti sunt!

Erant elato animo isti & violenti, si nunc evasissent, alio utique periculo eodem post fine periissent! Vetula ipsa mala & falsitatib. oppleta erat, ita mihi videbatur cum illis conversari, ut super vestimentis olim crucifigendi Iusti impiorum cohors rixata est ; Sic Vindicta permisit divina ut occideretur, solutura tot adulteriorum culpam, quæ interventu ipsius per universam urbem commissa sunt. Dabo operam ut Tristan & Sosia instruantur, quo itineris, mihi exoptatissimi, comites fiant: Apportabunt secum Scalas; præcelsi enim muri sunt hortum cingentes. Cras videbo illius rei cura si qua esse poterit, quæ foris accidit, an vindicare meorum interitum possim : Si non dabitur, innocentiam meam fictâ absentiâ testabor; aut me fatuũ simulabo, ut eo melius speratissimâ Voluptate meâ frui possim; Voluptate, inquam, illâ votivâ Amorum meorum : Vti exemplum mihi præivit maximus Imperator, Vlysses qui ut vitaret necessitatem Trojani belli, & Penelopes uxoris suæ deliciis frui posset, paria quondam fecisse legitur.

ACTUS. XIV.

ARGUMENTUM.

Magnopere animum anxia Melibæa ob moram ultra præstitutum tempus Callistonis, cum Lucretia colloquitur. Venit tamdem Callisto, Sosia & Tristane comitibus: Post Voluptatem ex sententiâ suâ sumtam, quisque domum & lectum suum recedunt. Callisto ad se reversus dolet pauxillum temporis cum Amoribus suis fuisse; supplicat Soli ut diem cito reducat, ut desideriorum suorum posßit instaurare patrationem.

MELI-

MELIBEA. LUCRETIA. TRISTAN. SOSIA. CALLISTO.

M. Diutius quam ſperaveram cõmoratur Eques ille quem exſpectamus, Lucretia; quid credis aut ſuſpicaris tantæ ei dilationis cauſam eſſe? LUCR. Domina juſto impedimento attinetur proculdubio, neque in ipſius poteſtate eſt adeſſe citius. MEL. Boni ſpiritus eum cuſtodiant, ut ubicunque ſit ſine periculo ſuo ſit; tarditas & mora ejus nequaquam mihi dolori ſunt, illud animum meum excruciat in viâ, dum huc it, poſſe plurima illi accidere ſiniſtra. Quis ſcit an cupiens iſtuc venire, habitu quo juvenes tales noctu per plateas commeare ſolent, inciderit in Præfectum Vigilum, & antequam agnitus fuerit, ſit à cohorte illa aliquam injuriam paſſus; ubi ſe defenſurus forte in malum inciderit, aut ipſe aliis detrimentum aliquod intulerit. Poteſt etiam in cuſtodias nocturnorum *Canum* incidiſſe, qui crudelibus & immanibus dentibus ſuis, quibus ſane differentiam nullàm obviantium habent, illi aliquá nocuerint, illum momorderint, aut in orbitam aliquam ponens pedem aut ad lapidem offendens, aut alio quovis pacto, ceciderit! Verum, ô miſerrimam me, hæc ſunt infortunia quæ intimo corde mihi conceptus Amor præfigurat, aut afflictæ imaginationes attrahunt, Nolint omnipotentia divina aliquam iſtarum ſuſpicionum veritatem tangere, prius tardetur ut libet, potius, cum placuerit illi, alio tempore ad me viſum veniat. At, auſculta, attende animum, audio ſonitum gradientium in viâ, & jam videor percipere mihi confabulantes ab alterâ parte horti. SOS. Pone rectè & colloca ad murum

iſtas ſcalas. Triſtan, hic enim optimus adſcenſu locus eſt, licet altior. TRIST. Adſcende iſthic, here, neſcim⁹ quis intus ſit, etſi vocem colloquentium audiamus. CAL. Tacete vos, fatui; Ego ſolus intrabo, audio loquentem Dominam meam. MEL. Serva tua eſt, mancipium tuum, ancilla tua; eſt illa quæ tuam pluris quã ſuam Vitam facit. O mea anima, ne deſilias loco tam excelſo, moriar ego metu tui, conſpiciens te; deſcende ſenſim, gradatim de ſcalis te dimitte, ne cum tanto impetu te dejicias. CAL. O Angelica imago, O pretioſiſſima margarita, cujus reſpectu omnia mundi ſpecioſa ſordent. O mea domina, mea Gloria; jã brachiis te meis amplecti datur, neſcio an mihi iſtuc ipſi accredere debeam! Apud animum meum tanta turbatio ab hâc extremâ Voluptate oritur, ut non permittat ſentire quippiã de univerſo hoc gaudio quod tot votis petitum, jam demum poſſideo. MEL. *Domine Animæ meæ poſtquam me credidi poteſtati tuæ*, poſtquam in manus me tuas commiſi, poſtquam voluntati tuæ per omnia obedire volui, non pejor exinde conditio mea fiat, quod pia, quod clemens, quod miſericors fui; quam foret illa ſi fera atque crudelis tibi eſſem. Ne velis perdere me aut Pudicitiam meam, propter delectationem tam parvi temporis; tam nullius omnino ſpatii: Res quę contra Æquitatis aut Honeſtatis Regulam committuntur, facilius poſtea reprehẽduntur quam emendantur. Exhilara animum complexu meo, videndo & exoſculando, uti ego facio, & abs te fieri cupio, Deſiderium tuum circumſcribe. Non petas abs me, neque mihi eripias, quod ablatum non erit in poteſtate tuâ mihi reſtituere; Abſtine illud contemerare, quod cum univerſis mundi theſauris redin-

redintegrare non possis CAL. Domina Vitæ meæ, cũ ad consequendum istud prænium vitam totam meã impenderim; quæ Ratio me manibus illud emittere jubeat, cum tamdem aliquando in potestate mea videam! Neque tu, Domina mea, istud mihi imperabis, neque ego tale aliquid erga me ipsum excusare valeã: Ne à me postules tam immanem ignaviam non faciet quisquam, qui quidem Vir natus sit, tam absurdã, vel sexui suo, injuriam; Quid censes eum qui tanto te spatio incomparabili desiderio perierit ? qui totam meam vitam hoc pelagus Amoris tui & navi hactenus, & nare postinde volo: Invidebis mihi optatissimo portui succedere post exantlatos tot maris infesti labores? MEL. Per fidem meam, quantumvis Lingua tua loquatur quid velit, non ideo concessum erit & manibus agere quod cupiunt. Quiesce ab istis audacibus cęptis, Domine, sufficiat tibi, postquam me tibi totam dedi, postquam tua esse volui, tibi me addixi, gaudere exterioribus bonis, qui quidem fructus proprius, & tamen parum tutus, Amatoribus conceditur: Nolis spoliare me pretiosissimo omnium munerum quæ Natura mihi largita est. Considera boni pastoris esse lanam certo tempore ovibus suis demere, non deglubere illas aut penitus perdere. CAL. Quo fine, Domina mea unica? ut ne umquam sopiatur Pœna mea? Immo ut recentetur illa, & pro veteri jam nova suboriatur? Vt in principia sua ludus tam crudelis revertatur? Ignosce rogo, impudentiæ manuum mearũ, quæ numquem satis confidenter sperare potuerunt, tacturas se oras laciniarum tuarum, indignitate & rusticitate suâ: Iam verò tanta illis felicitas oblata est ut corpus etiam tuum tangere, & florem delicatissimorum membrorum usurpare possint! MEL. Secede

tu isthinc. Lucretia. CALL. Quâ de caussâ, Domina mea, optimè mihi placeat præsentes adesse testes tales Gloriæ meæ! MEL. Ego eos nolim errori meo. Si cogitare potuissem tam enormi crudelitate me tractaturam, non credidissem me potestati immisericordiæ tuæ. SOS. Tristan, audis quid isthîc rerum geratur; quibus modis procedat negotium! TRIST. Tantum bonarum rerum audio ut Herum nostrum fortunatissimum censeam hominum quotquot umquam nati sunt. Et certè, si mihi talis obtingeret negotiatio, quantumvis adolescentulus sim, tam bene calculum mihi videor ponere posse, quam ipse modo herus noster. SOS. Talium votorum summa contingat per me omnibus qui optaverint, sed suis damnis hæc etiam lautissima premia constant, suo periculo quisque talia patret, cui dabitur. Duo jam servi voragine horum Amorũ absorpti perierunt. TRIST. Iamdum eorum oblitus est; Passus est illos vitam tãquam rem nullius pretii servitio suo impendere, ite audete aliquid spe ejus Defensionis: At mihi parentes mei pro bono Consilium dederunt, Nobili homini serviens ego, ut occiderem neminem. Vides illos isthic hilares & complexu mutuo fruentes, miseri duo servi cum summa ignominiâ decollati apud forum jacent. MEL. O Vita mea, O Domine mi, cur voluisti perderem Coronam Virginitatis meæ ob tã brevem delectationem? O miserrimam me & te, mater mea, si tu scires quod hic modo rerum gestum est! Nonne sponte te ilico quovis genere mortis è vita abriperes? me autem violenta exstingueres? Certe crudelis tu sanguinis tui interemtrix fias, ut ego finẽ peccato meo tuis diebus dederim! O sceleratam me puella-

puellarum,quo pacto non prævidi ante magnitudinem erroris mei,quamque immani periculo me exponerem,introitum tibi isthuc ad me solam patefaciens? SOSIA. Ante rem huc redactam maluissem audire ex te ista prodigia; Iam demum incusare factum venis,cum infectum nullo modo fieri potest. Fatuus & Callisto qui talia dicenti auscultat. CALL. Iam Auroræ irrubent radii. Non videtur mihi unius Horæ spatium quod isthic conversati sumus, & Horologiū jam tertiam præteriisse indicat. MEL. Per Deum immortalem, Anime mi,quoniam jam omnia mea tua sunt, quoniam jam ego mācipio me tibi tradidi,quoniam exhinc jam aliam amare non debes, & Amorē tuum mihi negare non potes, neque aspectum tuum mihi neges;& quantas noctes valueris , volueris ut præsentem te isto loco amplecti possim , istâ ipsâ horâ, quâ hodie felicibus auspiciis convenimus. Vti eo pacto semper te exspectare habeam,instructa, & occupata desiderio gaudii,quod sequentibus noctibus perpetuis continuabimus. Iam vero, cum favente Deo, revertere domum tuam , ne quis vel hic vel in viâ te videat;jam restat tāta obscuritas nocti ut te abeuntem commode tegere possit,& me, nulli meorū sentitam, cubiculum meum reducerè ; nondum enim jā dies inalbere incepit. CALLIST. Servi collocate scalas. Sos. Eccas illas optime compositas , descende tu saltim. MEL. Lucretia redi ad me, sola enim ego nunc,abiit Dominus meus,secessit à me,Cor suū mihi reliquit,secum meum abstulit : Audivisti nos? LUCR. Non. Domina,dormivi ego totum hoc tempus. Sos. Tristan, opus est nos silentio ire, istâ quippe horâ lecto surgere solent divites, avari bonorum tēporalium

poralium, religiosi templorũ visitatores, visitatores Monasteriorũ, Amatores ẽt, qualis Herus hic noster; Operarii rustici & Agricolæ, *Pastores etiã ovium qui hoc tempore agnos* suos de tectis stabulorum solent producere; & poterit fieri ut cogant simul per viam aliquid novarum rerum, unde omnis ipsorum simul & Melibææ etiam honestas turbetur. TRIST. O simplicissima *Equina strigilis*, jubes ut taceamus & tu ipsemet nomen ipsius effutis? Optimus esses Viarum tu demonstrator, aut Ductor Æthyopum cohortis de nocte: Sic enim prohibens permittis, cælando manifestas, securitatem pollicendo, offendis, Tacendo clamas, rogando respõdes, stultus. Cum igitur tam subtili ingenio & Sapiens sis, non mihi dices quo mense Festum S. Mariæ de Augusto celebre sit? Vt norimus an satis paleæ Domi sit quã tu edas hoc anno? CALL. Sollicitudines vestræ meæque non sunt eædem, Claudite istud ostium; eamus cubitum: Ipse solus cubiculum meum petam, ego arma mihi exsuam, vos lectos vestros vos recipite. O miserum me, quam ingenio meo grata atque apta sunt Solitudo & silentium, & Obscuritas Noctis, Nescio an caussetur ista scelus illud in memoriam mihi recurrens quod hac nocte admisi, abscedendo ab illa meâ Dominâ, quam tantoperè Amo, priusquam Dies propior adesset! O Dolor, dolor ingens meæ ignominiæ! Ah, Ah, hic ille ictus est quem sentio mecum: jam illa sese mihi refricat: Iam cum gelu velut quodam cõstitit sanguis qui heri fervebat; jam cum video propius detrimentum familiæ meæ, damnum servitiorum meorum; perditionem patrimonii mei; infamiam, quæ mihi propritim incumbit super morte illâ ignominiosâ qua interem-

terempti sunt servi mei. Quid feci? quid omisi? Quid moratur me, quid detinet, quin illico instar hominis summa injuriâ affecti ultũ veniã dãna mea? Vindex strenuus injustę hujus injurię! O miserrimã suavitatẽ brevissimæ hujus vitæ! Quis tui tam cupidus est *qui non malit illico mortem oppetere* quam unum annum vitã inhonestam & turpitudinis notâ aliquâ maculatam ducere, & ita corrumpere honestatem præteritorum omnium? Præcipue cum hora nulla certa sit, neque unum adeo momentum, qua quove â morte securi simus? Debitores sumus absque tempore, perpetuò sumus obligati ad luendum confestim: Cur non statim domo prodivi inquisitum an palam sit veritas secretæ caussæ meæ, unde manifesto ego perierim. O brevis Voluptas mundanarum rerum, quam parumper durant, & magno constant dulcedines delectationum tuarum: Non ematur tam care Pœnitentia. ô infortunatum me; quando redintegrabitur tam ingens detrimentum? Quid faciam? Quid cõsilii capiã? Cui manifestabo damnum meum? Cur cælo servos meos cæteros, cur consanguineos & cognatos? Publicè nemo non de me loquitur, & domui meę infortuniũ meũ occultũ est! Prodire cupio! Verum si procedo dicturus prę sentem me adfuisse, jã sero veniam. Si absentem, justo maturius est! Et ut cogam Amicos & clientes, consanguineos & necessarios, tempore opus habebo, uti & apparatu ad comparanda arma, & alias opes vindictæ necessarias! O crudelissimum judicem, & q̃ benè compensasti mihi alimenta tua, qui in Patris mei familiâ educatus es! Ego credidissem cũ tuâ faventiâ mille me homines sine timore pœnæ occidere potuisse, inique; Persecutor Veritatis, homo stirpis

ſtirpis ultimæ! Optime in te dicent, Prætorem te factum eſſe penuriâ bonorum virorum. Cogitaſſes te & illos, quos occidiſti, pares fuiſſe, dum utrique mihi & majoribus meis ſerviiſtis! *Verum cum nihili homo diteſcit neque* cognatum neque amicum jam habet. Quis timere poterat eo res venturas ut tu mihi nocere poſſes? Certe damnoſior inimicus non eſt quam quem futurum nemo putavit! Cur voluiſti facere ut dicant corvum me domi meæ aluiſſe qui poſt oculum effoderet? Tu es publicę pœnæ obnoxius, & illos interemiſti qui privati juris erant? Scias igitur pejus delictum privato eſſe publicũ, minus illius detrimentũ, ut ſanxerunt etiam Athenienſium priſcorum Leges quæ quidem non *erant ſanguine ſcriptæ,* ſed commonſtrabant minorem errorem eſſe maleficos non condemnare, quam innocentes afficere ſupplicio! O quam periculoſum eſt exſequi juſtam cauſſam corã judice injuſto, quam magis etiam errorem iſtũ meorum hominum, qui ſanę culpâ penitus non carebant. Igitur tu videas an malè feceris, ego te accuſavi tam in cælo quam in terrâ, ubi utrobiq; Iuſtitia certe adminiſtratur ſecundum æquitatem. Sic coram Deo atque Rege reus eris, privatim vero mihi capitalis inimicus. Quid admiſit alter, quia reus fuit alter? Quia ſodales erant, eâ de cauſſa tu ambos interemiſti? At vero quid dico? cum quo ſermonem duco? Mecum ſum, an ſenſibus excidi? Quid hoc rei eſt. Calliſto? Somnias, dormis, aut vigilas? Pedibus cõſiſtis an accubas? Vide & reminiſcere in tuo te eſſe cubiculô: non animadvertis illum qui te læſit præſentem nõ adeſſe? Cum quo rixaris? Redi in te. Vide & conſidera numquam abſentes juſtos inventos eſſe. Audi

ambarum

ambarum partium dicta, antequam sentẽtiam feras! Non vides Iustitia ut ęqua sit omnibus non considerandam esse amicitiam, non cognitionem, non Educationem? Oblitus es, an scire recusas, legem æqualẽ esse oportere in omnes? Attende Romulum primum illum muris Romam cingere adorsum; Is interfecit unicum germanum geminum fratrem suum, quod recẽs latã legem violaverat. Repete animo Torquatum Romanum, qui filium suum interemit ob constitutionem Tribunitiam temeratam! Alii plurimi idem pari casu fecerunt, Considera, si hic præsens ille adstaret, responsurum, patrantem Capital & patranti consententiem æqualem pœnam mereri; quamquam ita sit, ambos interfectos, quoniam alter peccaverit: Quod si subito capite plecti eos mandavit, notorium erat delictum, non opus erat arcessendis Probationibus; nempe deprensi fuerant in ipso actu homicidii, & jam alter casu de fenestrâ mortuus erat. Et credi æquum est ploratricem illam Celestinæ ancillam, domi tum præsentem, institisse Prætori ad vindicandum crimen manifestarium; ipse vero ut minore tumultu res conficeretur, ut ne me infamaret, ne exspectaret populum, undiq; confluentem, ut eô pauciores præconem proclamantem audirent, unde maxima mihi ignominiæ pars provenit, illos primo diluculo decollari pręcepit. Deinde Carnifex urgebat officium suum, ut expediretur res quæ omnino defendi jure aut differri non posset, clamosis objurgationibus instans. Quæ omnia si hoc modo, ut est credibile; facta sunt, potius ego ipsi debeo, & obligatus sum beneficio in omnẽ vitam meã, non ut famulo olim parentis mei, sed uti, vero nomine, fra-

ne, fratri & amico nunc meo. Et posito, ut forte ita res sese non habuerint, posito, non in meliorem illũ partem omnia, quæ acciderant, deflexisse; repete tu animo, Callisto, præteritorum gaudiorum tuorum excellentiam, Reminiscere Dominæ tuæ, & boni tui in illâ Vniversi! Et quoniam vitam tuam ejus servitiis impendere non detractaveris, non magni tibi faciendæ sunt mortes aliorum, cum nemo ullibi sit dolor tã dirus qui æqualis esse possit Voluptati á te perceptæ. O Domina mea, O Vita mea, numquam ego animum induxi absentem te offendere; & videri tamen possim hoc pacto parvi æstimare gratiam in me, tuo favore, collatam! Non opus est me molestiarum quarumcunque memoriam habere non tanti mihi erit ulla posthac tristitia, ut illam animo meo admittere velim. O bonum extra omnem comparationem! O insatiabilis animi exsaturatio: Et quando ego amplius à Deo præmium petere meritis meis possim; si quę mea esse valebunt in hâc vitâ, quam quod jam dum mihi pręlargitus est? Cur animũ meum non compono, cur ista tanta felicitate contentus non sum? Cum infandum sit ingratum erga eum esse velle, qui tantis me bonis mactavit, agnoscere magnitudinem beneficiorum meum erit. Non opus est odio & injuriâ meâ sensu me moveri, ne perditus excidã tã votivâ felicitatis possessione. Nõ ambio aliũ honorẽ, nõ cupio aliã gloriã, nõ desidero alias divitias, nõ aliũ patrẽ, aut aliã matrẽ, non alios cognatos aut consanguineos, aut affines; Dies integros ero isthic in cubiculo meo, noctes in desideratissimo illo Paradiso, in hilari illo viridario, juxta illas suavissimas plantas, illam delicatissimam & vividissimam horti planitiem. O nox voluptatis

luptatis meæ, si jam rediisses! O Clarissime, Sol siderum, decurre jam velocius destinatum tuum diurnum iter. O delectabiles stellæ, expedite lumina vestra, ut solitum tempus hodie anticipetis! O tardissimum Horologium illicò te ego videam ardere vivo Amoris igne: si tu exspectares tale gaudium, quale mihi datur sperare ad horam Duodecimam, numquam sequereris tu voluntatem magistri tui qui te tot partibus composuit! Et vos, porro, Hyemales mēses, qui jam absconditi lateris, adessetis cum vestris prolixis noctibus, mutaturi illas tædiosis istis æstatis diebus qui vobis jam plus temporis insumit. Iam mihi integer annus elapsus videtur ex quo unicum animi mei gaudium non vidi, unicum vitæ desiderium meæ oculis non salutavi. Sed quid est quod quæro? quid postulo fatuus, amens, impos tolerantiæ? Illud quod neque factum est umquam nec fieri postea poterit. Cursus perpetuus rerum à Deo Naturæ commendatarum numquam amittet ordinem successuum & volutationum in sese suarum! Omnibus procedendi præscripta insuperabilis Lex est, omnibus sua determinata sunt spacia, ad vitam & mortem termini singulis, limitibus certis, defixi sunt. Secreti & occulti meatus altorum firmamenti cælestis orbium, Planetarum circuitus, & Septentrionalium siderum, augmenta & imminutiones menstruæ Lunæ, omnia & singula æqualibus frænis moderatur Omnipotentia, omnia se eodem velut stimulo incitata perpetuis suis normis servant. Cælū, Terra Ignis, Ventorū, animę, Calor, Frig⁹. Quid juverit vota stultitiæ meæ ferrei Horologii machinā Duodecim

jam pulsibus errabilem sonum ciere, si cælestis illius non idem temporis ferat incorruptibilis ordo? Ergo ut ego quam maturimè evigilem, non ideo dies citius inalbebit! Verum tua dulcissima imaginatio, tu quæ potes, mihi succurre: Siste coram speculationi meæ angelicam imaginis illius splendidissimæ faciē: adverte auribus meis suavissimum verba facientis sonitum, illas repulsiunculas sine iracundiâ, illud; abscede isthinc, domine, ne accedas propior. Illud; ne tam inciviliter geras; Illud quod purpureis illis labellis illam dulcissimè proferentem vidi; ne reum te facere velis perditionis meæ, quæ ut tempus & res ferebant, cum aliis infinitis dictiunculis proponebat. Illos amoris candidissimi amplexus, quibus verborum interjungebatur ordinarii cursus, Illud, solvere, me, & reprehendere, fugere, & se mihi restituere, illa omni melle dulciora basia; illa ultima valedictionis verba, quantis dolentis indiciis ore illius prodibant! Cum quam profundis gemitibus, quam largis lacrymis, totius corporis quâdam extensione, abeuntis gradum comitaturâ, Lacrymarum ipsarum guttæ meræ margaritæ videri poterant, quæ insciâ illâ per roseum vultum devolutæ claris & micantibus illis ocellis restagnabant. SOSIA. Tristan, quid tibi videtur de hero nostro? qualis iste illius sopor est? Iam quarta vespertina hora est, neque nostrum quempiam vocavit, neque micam ipse cibi sumsit. TRISTAN. Tace, non opus habet festinatione somnus. Insuper anxium illi animum habet tristitia de infortunio illo Sempronii & Parmenonis ex unâ parte, ex alterâ exhilarat illum & Voluptate afficit memoria summæ illius Voluptatis quam ex consuetudine he-

fternâ Melibææ residuam servat. tam valentes duo contrarii affectus non est mirandum si debilem illius animum quàquàversum ducant, ut solent cum sedem alicubi fixerint. Sos. Arbitraris tu magnopere illum afficere mortuorum desiderium? Si magis cordi non esset alter ex illis isti quam de hac ego fenestrâ transeuntem conspicor, non jam colore funebri induta incederet. TRIST. Quis illa frater? Sos. Accede huc & videbis illam, antequam prætereat. Adspice hàc illam lugentem, quæ lacrymas oculis exterget; illa est Elicia, ancilla Celestinæ, amica Sempronii. Valde bonæ indolis puella, quamquam jam miseriis involuta sit, Celestinâ amissâ, quæ illam filiæ loco habebat. Sempronius autem princeps in ejus amicitiâ erat. Illîc, quo intrat ista, habitat alia formosa muliercula, meretricula gratiosa & admodum adolescens. rudior etiamnum ad quæstum; itaque non parum se felicem æstimat qui amore hujus potitus fuerit, sine insignibus Expensis. Vocabulum ipsi est Areusæ; cujus caussâ novi miserabilem Parmenonem nostrum amplius tribus noctibus malè habuisse etiam novi mortem illius hanc pessimè habere.

* *
*

ACTUS. XV.

ARGUMENTUM.

Areusa convitiis proscindit Lenonem quempiam nomine Centurionem, qui ab illâ discedit propter adventum Eliciæ. Elicia Areusæ recenset mortem Sempronii & Parmenonis, quæ ex Amoribus Callistonis & Melibææ provenisse concluditur. Areüsa & Elicia conspirant vindicare trium necem in amantium illorum exitio; ei rei Centurio exsecutor destinatur. Sic recedit Elicia, non secuta suasionem Areusæ de relinquenda domo suâ consuetá, in quâ putabat sese meliori rerum suarum successu etiam post mortem Celestinæ mansuram.

ELICIA. CENTVRIO. AREVSA.

EL. Quæ hæc vociferatio est cognatæ meæ? Si jam rescivit tristem nuncium infortuniorum nostrorum, quem ipsi ferre volebam, nó recipiam ego præmii loco novum dolorem, quod istum illi indicaverim. Plora, plora, ne parce lacrymis; non enim quibusvis locis pares istis mortales offendes. Certe placet mihi illam etiam dolorum istarum acerbitatem persentire, scindat etiam illa capillos suos ut ego mærens feci. Sciat bonam jucundamque vitam perdere pejus esse infortunium, quam ipsam mortem. O quá nunc amplius hanc mihi voveo quam hactenus umquam, propter immanes illas animi anxietates quas hic mihi luctus facit. AREVSA. Apage te domo mea, insubide furcifer, impure lenocinator, mendaciorum columen, Fraudulente deceptor, qui me tanto jam

jam tempore fatuam ludibrio habès vanis tuis& fictis pollicitationibus; tuis ronchis, gloriationibus, & assentationibus totam me jam fere exspoliasti. Ego tibi scelește, pallium & tunicam, scutum & gladium, indusia tota mirificissimo artificio elaborata dedi, ego arma & Equum, Domino te parem feci, eique commendavi cui calceos pedibus demere dignus nõ eras. Nunc cum unam rem abs te postulo mille deliras excusationes cõtra nectis. CENT. sororcula mea, impera mihi occidam decem viros nomine tuo, non tam mihi molestum erit quam mille passus istos pedibus conficere. AREUS. Cur Equum lusu perdidisti, scelește aleator. Si citra me fuisset, jam suspendio animam illam obscenam efflasses: Ter te de manu Carnificis liberavi, quater ex creditorum potestate. Cur facio? Quo fine fatua mihi illudi patior? Cur fidem isti balatroni servo? Cur mendaciis ejus credo? Cur per ostium meum intrare furciferum sino? Quid boni illi est? Capillitium crispum, faciem vulneribus cõcisam, habet; *bis virgis publice cæsus est*, manu dextera mancus, *triginta scortorum vir est*. Exi illico hinc, ne te amplius hîc videam, ne me alloquaris dehinc, neque cuipiam dicas te umquam me vidisse; si secus feceris, juro per ossa Patris mei qui me generavit, & matris quæ me peperit, Ego bis mille fustium ictibus tibi crassos illos molitorios humeros contundi faciam; nosti ipse esse mihi qui nomine meo lubens hoc faciat, neque à quoquam ejus gratia compellari possit. CENT. Ineptis, asella tu; verum si ego me commovero plorabit quædam; Potius tamen eam & stultitiam tuam feram,

nescio quis intrat huc, ne audiat tumultuationes nostras. EL. Intrabo non enim simplex planctus est, ubi comminationes & convitia junguntur. AREVS. Ah miseram me, tu eras hic, Elicia? IESV, IESV, non credibile est hoc; quid istud rei est? quis te luctuosis vestibus induxit? Cur palliū lugubre fers? Vide quam me externaveris, soror. Dic mihi confestim quid rei sit, non possum jam ultra apud me esse! Nullam guttam toto corpore mihi sanguinis reliquisti! ELIC. Maximus dolor, damnum ingentissimum! Parum istud est quod colore vestimentorum præ me fero, atrum magis intus est cor meum quam pallium, viscera mea quam tunicæ. Væ, Væ, soror, soror, non possum verbum facere, non possum præ raucedine vocem unā pectore extorquere! AR. Ah miseram! Sed quid me suspensam tenes, edic mihi, ne te laceres, ne te affligas, neque adeo excrucies. Estne commune ambabus malum? Etiamne me tangit? ELICIA. Ah, cognata mea, Amor meus; Sempronius & Parmeno jam *non sunt!* Non sunt amplius in hac vitâ, animæ ipsorum jam illuc ierunt, jam tristi hac vivendi necessitate exonerati sunt. AREVS. Quid tu mihi narras? ne mihi talia dicas, Per Deum tace, aut jam ego hic mortua jacebo? ELICIA. Porro autem etiam amplius malorum est, aurem præbe doloribus meis, plus ærumnarum tibi recitabo. Celestina illa nostra; quam tu optimè noveras, quæ mihi matris loco erat, illa quæ me educabat, fovebat; cujus ego amore inter omnes æquales meas honorabilissima habebar, cujus ego nomine per totam civitatem nota eram; per omnia suburbia cognita; jam illuc abivit datura Rationem vitæ suæ; mille illam vulneribus confici vidi his oculis meis,

meis, in gremio meo illa occisa est. AREVS. ô potentissima afflictio? O mæstissimos nuncios? O mortiferos planctus? O insperata infortunia? O damnum inrestaurabile. Quo pacto tam cito fortuna suam rotã retorsit. Qui eos interfecit? quomodo mortui sunt? Iam ego sepultæ similis sum. Non sunt octo dies cum vivos eos vidi, & jam possumus dicere, Deus ipsis errores hujus vitæ ignoscat. Recense mihi, amica mea, quo pacto accidere potuit tam infelix & insperabilis casus? ELIC. Tu percipies. Iam dum puto, soror, aliquibus rumusculis cogniti tibi sunt Amores Callistonis & Melibææ? Non plane etiam nescies ad intercessionem Sempronii, Celestinam id negocium cõficiendum in sese recepisse, cui labor in hoc positus opimis præmiis fuerit compensandus Celestina tantâ dexteritate & curâ rem gessit ut ad secundum ictum sanguis sit secutus. Porro Callisto cum tam cito confectum videret, quod omnibus suis votis vix sperabile habebat, post alias res, non minimi pretii, miseram catenâ aureâ donavit: Ea, uti metallum illud eo ingenio est, ut quo amplius de eo bibimus, eo plus ejus sitiamus, cum sacrilegâ quâpiam adjectâ fame; cum tam repentè tam se locupletem exiisse videret, erigit cervicem, & promissam ante Sempronio & Parmenoni partem lucri ex consponsione dare negat. Illi cum mane altero, fatigati Callistonis servitiis, domum nostram venissent, valde ira perciti super nescio quibus pugnis, quas per noctèm confecisse dicẽtes audivi, petierũt quod deberi ipsis autumabant, ut succurrerent exinde Dãnis suis, Celestina animo obfirmato fidem abnegare, promissa conventa inficiari, affirmans omne negotii gesti emolumentum

 ad ipsam

ad ipsam solam pertinere;etiam alia nescio quę secretiora consilia aperire; ut illi rerum indignitate planè efferati,accidente necessitate quæ omnem Amorem incîdit,& grandi fatigatione quæ animos miserorum ex alterâ parte alternaverat, videntes insuper fidem sibi earum rerum non servari, in quibus maximam ipsi spem collocaverãt, impotes animi, affectibus dilati,nescientes quid faciendum tali casu foret, cum diu verbis invicem altercati fuissent, manum tamdem ferro adjecerunt,&illam mille ictibus conciderunt. AREVS. O infelicem mulierem! sic senectus ipsius illi finienda erat! EL. Illi cum facinus tantum cõmisissent,ut manus Prætoris imminentis aufugerẽt, qui quidem forte fortunâ, isthâc tum cum cohorte vigilum præteribat, exsilierunt fenestrâ. Sic jam semimortui deprehensi sunt, & sine omni dilatione mox capitibus truncati. AREVS. O mi Parmeno, O mi Amor! Quanto mihi dolori tua mors est! Excrucior animi propter grandem illum Amorem quo illi favebam, postquam tam cito illi finis faciendus fuit! Verum quoniam infectum fieri ingens hoc infortunium omnino nequit,quoniam factum jam hoc est immane nostris rebus damnum, quoniam jam lacrymis nostris vitæ corporibus amatorum nostrorũ restitui non possunt;ne te affligas tantum, soror, citius tu lamentando oculos effleas,quam tam irreparabili damno succurras; me vide, parum aut nihil quam ego, amplius, tu dolere potes,& tamen intelliges summâ me patientiâ casum tam immanis infelicitatis tolerare. ELIC. Ah quæ rabies dolorum! Ah miseram me, mente ego jam moveor! Ah non est ullibi quam tantum hoc infortunium tangat, quæ

æquas

æquas lamentandi caussas habeat! Nemo Est qui tãtum, quantum ego, amisit! O quam meliores & honestiores mihi essent impensæ hæ lacrymę alienis doloribus, quã his privatis propriisque meis! Quorsum me conferam? Ego matrem meam, cum eâ omnia bona, omnem Spem Felicitatis meæ amisi. Hæc una mihi omnia erat! O Sapientiæ penus, Celestina, honorabilis & honoratissima. Cujus verba pro sententiis erant omnibus qui te noverant! Quantos errores meos plenitudine sapientiæ tuæ tu tegebas! Tu laborabas ego gaudebam, Tu foras procurrebas, ego domi fruebar. Tu laceris, ego integris tua ope vestibus induebar! Tu semper onusta, instar apiculæ, domum redibas; ego quod tu apportaveras, insumebam, aliud enim facere nil didiceram! *O Bona & gaudia Vitæ mortalis, qui vos poßidet, dum in potestate suâ habet, vilipendit; neque umquam pretia vestra cuiquam rectè cognoscenda ponuntur, priusquam recesseritis!* O Callisto & Melibæa, caussæ & origines tantarum mortium, malo fine mactentur Amores vestri, vestræ dulces Voluptates horribili amarore mutentur, Gloria vestra in plãctus, delitiæ in molestias, exeant. Herbæ illæ delectabiles super quibus vota desideriorum vestrorum & furtivis gaudiis exsequimini, in venenatos serpentes transeant. Cantiones vestræ deformẽtur in planctus; Vmbrosæ horti vestri arbores ante oculos vestros exscindantur, benevolentes viridesq; florum varietates nigrore luctuoso incestentur. AREVS. Tace, per Deũ, soror: pone silentiũ tãdẽ querelis tuis; fige lacrymarũ perennium fontẽ, enitida oculos tuos, revertere ad pene amissam vitã tuã: *Fortunæ talis cõnsuetudo est; cũ unã portam*

portam clauserit, alteram aperit. Malum istud, quamlibet durum atque asperum, sese exsolvet tristitiâ suâ, Multæ res intervenire possunt ut quod incurabile videtur, Cura malum remediis appositis emendet. Vindicta infortunii istius nobis in manu est; ELIC. Vnde emendatio tantorum malorum vel à quo Sperabitur? Mors & interfectores ipsi, occisi junctim, hanc mihi infelicitatem pepererunt! Non minus me malè habet punitio delinquentium, quam crimen ipsum cōmissum. Quid jubes ut faciam? Omnis moles ærumnarū istarum soli mihi incumbit! Velit Deus, me cum illis esse, ante enim vix erit ut finem planctibus meis faciam! Iam quod etiam acutius me torquet, est, quod videam hac propter vilem illum & Semiamentem fatuum non omissurū persequi Amores & Gaudia stercoreæ illius suæ Melibææ quin magis indies magisque cor suum exhilaret, Voluptatem det & accipiat; illa vero *gloriabitur* forte etiam tantum sanguinis servitiis suis impensum esse. AREVS. De hoc si tibi constat, unde potius vindictam sumere instituemus? Quin qui Epulas has comedit, ille impensas earumdem solvat! Sine me, tu; si mihi sese opposuerint, si mihi obvii erunt, quando, quo pacto, unde, quaque id horâ continget, non tu me pro filiâ matris meæ, vetulę illius pistricis, quam noveras, habeas, si illis amores illos suos de suavibus non amarissimos confecero. Si duo vel tria bona verba illi dedero, ut aliquo se loco apud me esse vel suspicetur, quem tu rixantem hîc mecum, cum advenires modo, offendisti, pejor omni dubio procul, ille Callistoni carnifex erit, quam Celestinæ fuit Sempronius: Porro quam gaudebit ille, quam se felicem æstimabit ubi quid ipsi meo nomine patran-

patrandum injunxero; quali gaudio redibit? non minori certè quam si cælum apertum jam videret, ut ipse in numerum Deorum referatur, qui cum tantâ tristitiâ, tãto animi angore abiit, cum iratam me cerneret? saltim uno aut altero eum verbo ornem, & fasce aliquo mandatorum pro me expediendorum, onerem. Proinde dic tu mihi soror, ex quo ego horum hominum negotia, uti ea nunc geruntur penitus edoceri possim; Ego Callistoni tendiculam talem tendi curabo ut Melibæa, quę nunc gaudet, vitam totam suam quod ploret habitura sit. ELICIA. Notus est mihi alter sodalis Parmenonis, stabularius servulus Callistonis, Sosia nomine, qui cunctis illum noctibus comitatur; Laborabo eo ut omnia ei secreta heri sui extraham; & ista optima erit via ad destinatum nobis proveniendi. AREVS. Fac tu tantum hoc amore mei, mihi istum Sosiam huc sistas; ego illum verbis delinibo, ego mille assentationibus & blanditiis, mille pollicitationibus omnem illi hujus rei conscientiam corde exsculpam, ut tam præteritorũ quam futurorum notitiam habeamus. Ille quicquid Herus & ipsemet cibi comederunt, omne revomentes faciet. Tu vero, anima mea Elicia, ne te affligas; quicquid vestimentorum, utensilium & supellectilis domi tuæ habes, huc meam transfer, veni habitatum mecum, eris mihi sodalis acceptissima: Illic soli deinceps vivendum erit? *Solitudinis autem amica tristitia est*: Novus Amor oblivisci te veterum faciet. Filius qui jam nascitur, unus, trium defunctorum damnum resarcit. Novo succedente gaudio memoriam eorum quæ jã dum subterlapsa abierunt, restauramus. Quicquid meum, tuum quoque erit. Panem nullum edam, cujus tu

jus tu dimidium non tibi tollas. Amplius mihi curæ est mœror tuus, quam illi omnes qui te eo affecerunt. Verissimum est *magis afficit amißio hominem ejus quod habet, quam spes adhuc parandi alterius talis, quamquam ea vel certißima sit.* Tamen quoniam hoc casu, quod factum est, infectum fieri nullâ ratione poterit, mortuisque vitam restituere planè sit impossibile, mortui sane illi sint, qui, quodcunque nos faciemus, tales utique tamen manebunt; nos vero vivamus. Viventium tu hostium nostrorum curam mihi relinque, ego eis tam amarum poculum educendum propinabo, quã illi numquam posuerint tibi. Ah, cognata amicissima; quo pacto ego novi, cum commoveor, textum tale retexere, etiam tam adolescentula! *De ipso vindicet Deus*; de Callistone Centurio me vindicabit. ELICIA. Vide quid factu usus sit: ego suspicor etiam volentem istum tuum mandata tua facessere ægrè valiturum, Illi enim, qui mortui sunt, ob revelationem horum secretorum, silentium imponent consciorum superstitibus. De illo quod de meâ tecum-habitatione adjecisti, multam tibi gratiam facio. Deus tibi adsit, teque, ubicunque opus habebis, ne deserat, optimè consanguinitatis nostræ affectum tam egregiâ oblatione rerum tuarum mihi commonstrasti, neque in vanum nos germanarum nominibus nos censêre, sed adversitatibus fidem amicitiæ mutuæ constare. Et quamquam quidvis amore dulcissimæ conversationis tuæ facere cupiam, non potero tamen hoc propter manifestissima damna quæ exinde mihi proventura sint. Caussas sigillatim exponere non opus erit, quoniam Sapienti prædico, quæque facile me intelligat,

ligat,

ligat. Illic, ſoror, omnibus notior ſum, illorum locorum aſſuetudinem habeo. Numquam domus illa perdet titulum Celeſtinæ, cui deus ſit propitius. Semper illuc frequentes adſunt puellæ, notæ, amicæ & ſemicognatæ illis, quas illa educavit. Illuc conventus ſuos inſtituunt, unde non poterit quin aliquid ad me lucelli redeat: Adde quod pauci illi amici, quos nunc habeo, alibi me morari nolint, nec quærent fortaſſe; noſti jam quam durum ſit ponere id cui adſuefacta ſis. *Mutare mores & Conſuetudines par morti eſſe*, dictum eſt vetus. Lapis ſæpe commotus loco numquam muſco obducitur. Oportet illic eſſe velim, quoniam quod horno debebatur pretium domus Locatori jam ſolutum eſt; hoc fruſtrà expenſum eſſe non debet: ſingula iſta ut non ſufficiant, omnia me iſthíc juncta tamen manere cogent. Iam vero tempus diſcedendi hinc videtur: Quod dictum concluſumque eſt, eius curam retinebo. Deus tecum maneat; Ego abſcedo.

ACTUS. XVI.

Pleberius & Aliſa aliud nihil ſuſpicantes quam integram Virginitatem ſupereſſe filiæ ipſorum Melibææ, quæ res tamen, uti docent præterita, aliter ſeſe habebat, ſolliciti de proſpiciendo illi matrimonio, colloquuntur. Melibæa hanc eorum ſolicitudinem percipiens, verba audiens, non ſatis delectatur, Mittit Lucretiam interturbatum hunc eorum ſermonem.

PLEBERIUS. ALISA. MELIBÆA. LUCRETIA.

PL. Alisa, amica mea, tempus, ut mihi videtur, nobis inter manus elabitur, velut ajunt, currunt dies instar aquæ de flumine, non est res alia tam levis transitu quam Vita nostra; Mors nos sequitur & prope cōtingit, cui sumus vicini, secundum naturæ ordinem proximi sumus signis ejus succedere, Isthuc videmus clare ante oculos, ubi cōsideramus æqualeis nostros, germanos, cognatos, in orbem omnes. Vniversos illos jam terra absorpsit, omnes jam in æterna sua habitacula exierunt. Igitur cum ad hęc omnia incerti simus, quādo ultima necessitas & nos evocatura sit, præcipientes tam certa & indubia indicia, colligamus sarcinas nostras ad eundum viam, quam nemo non calcare tamdem cogitur, ne nos improvisa secedendi hora deprehendat, & alibi occupatos vox imperiosa Mortis appellet. Dū tempus est, Animarū nostrarū curam habeamus, Consultius enim in omnibus rebus prævenimus quam prævenimur: Opes & facultates nostras dulci & grato cuipiam successori destinemus, Filiam nostram ipsâ digno marito, quam primum potest, elocemus, qui conditionem Fortunarū nostrarum pari nobilitate generis & existimatione inter homines. Opumq; facilitate, exęquet. Vt ea Ratione penitus omnibus exonerati quæ incumbunt, exeamus sine molestiâ & querelâ, sine dolore & Anxietate animi Vitæ hujus theatro. Istud vero exhinc magnopere nobis curę esse debet, ut quod olim super hoc negotio conficere exorsi sumus, exsequamur jam & ad optabilem finem perducamus! Ne remaneat

per

per negligentiam nostram nobis defunctis Filia unica nostra in manibus Tutorum: Melius illa jam vivet in propriâ suâ familia, quam in nostra, demamus illi vulgi susurros, non patiamur ultra nubilem ejus ætatem per ora hominum ire. Cum pro confesso sit nullam virtutem tam perfectam umquam fuisse, quę vituperatores atque detractores non invenerit. Neque est res alia quæ maturâ ætate Virgines Famæ atque Existimationi perpetuæ melius servet, quam tempori eas nuptum dare. Quis affinitatem nostram in hac urbe refugiet? Immò quis non felicitatis optimam partem arbitrabitur, talem gemmam familiæ suæ inducere? Filia sane nostra, quod præfiscini parentes dicamus, quattuor illis donis, quæ ad perfectam matrimonii Coronam requiri ajunt, egregiè, si quæquā alia, instructa est: Scilicet, primo loco Sapientiâ atq; bono judicio Honestate morum, Castitate Virginitatis illibatę. Secundo Speciositate, Tertio Nobilitate, parentumque optimâ apud omnes Existimatione, Quarto, Opum abundantiâ. Omnibus istis Natura & Fortuna illam opipare dotavit; quicquid ex his procerum aliquis ex nobis poscet, amplius voto & perfectius ipsi exhibere poterimus. ALISA. Deus illam nobis conservet; Domine Conjux, ut votorum nostrorum summam in hâc vitâ completā nobis videamus! Certè prius puto defuturum qui filiæ nostræ cōparari poterit & æqualitate omnium istorum conjugio ejus non indignus sit, secundum prosapiæ tuæ generositatem, quam ut supersint, qui ejus amplexus mereantur. Igitur uti hoc Patrum Officium est, matrum, ut pote muliebri, Curâ & expeditione altius & gravius, ita quod tu super negotio isto concluseris,

Q Ratum

Ratum erit meo nomine; Filia autem nostra etiam volens mandato tuo obediens erit, ut Castâ & generosâ Indole est, utque erga parentes humilis & obsequi promta. LUCR. At si tu recte rem ut geritur, nosses, rumpereris mærore atque indignatione. Quod optimum filiæ vestræ erat ultro illa perdidit; Mala tempora Senectuti vestræ imminent. Non est qui Virginitatem temeratam & corruptam restituat jam enim obiit Celestina. Sero vos hæc percipietis, Sero consultatis, maturius evigilare conveniebât. Callisto meliorem parté sibi abstulit. Ausculta, Ausculta Domina Melibęa! MEL. Quid agis isthic abscondita, fatua, LUCR. Applica te isthuc, Hera, audies quâm animum angant parentes tui ut quamprimum te nuptũ elocent. MEL. Tace per Deum, audient te: Sine illos loqui, sine augurentur, Integer jam mentis est cum aliud nihil agunt, alia consilia non volvunt, aliorsum cogitationes non figunt. Non aliter mihi videtur quã animum ipsorum ipsis dicere maximum illum Amorem quo Callistoni meo obligata sum, uti & cætera omnia quæ toto isto mense inter nos contigerunt. Nescio an quicquam mearum rerum persenserint, non comminiscor unde hæc tractatio proveniat, plus illos nunc de matrimonio meo sollicitos esse quam alias umquam: Verum ego ipsos in vanum laborare dico, Non n. opus est *Noctuas Athenas*: Quis ille mortalium erit qui Gloriam & Felicitatem meam mihi eripiat? qui voluptate me mea spoliare possit? Callisto est anima mea, Vita mea, Dominus me⁹, omnia mihi unus; in quem omnis Spes mea recumbit: Cognitũ & perspectũ habeo amare me mutuũ hũc Amorẽ, neque ex ejus parte non paria fieri. Cũ ille me unice amet,

met, quâ aliâ re affectum incomparabilem remunerari possim? Omnia quæ mortalium vitam habent, debita atq; obligationes, diverso genere solvi possũt, Amor pro recompensatione nihil admittit præter Amorem. Dum eũ cogito, eum animo verso, exhilaror, dum illum video, exsulto cum loquentem audio, gaudio differor. Faciat mecũ cũq; rebus meis quodcunq; ipsi placuerit, statuat pro lubitu, si *per maria hinc abire volet*, addicto animo sequar. Si mundum emetiri, assumat me Comitem: Si mancupio me in terram hostilẽ translatã vendere contẽdat, servitiũ ẽt barbarũ ex illius præceptione non abnuam. Ne invideant mihi pãrẽtes mei, cõsuetudinẽ hujus, siquidẽ meà illi delectãtur, ne cogitẽt aut animo suo admittãt nuptialia illa deliria, illas matrimonii Vanitates: Pręstat bonã Amicam esse atq; amabilem, q̃ improbam & odiosam mulierem. Si senectute sua malis liberâ volunt uti, juventute me meâ bonis plenâ frui permittãt. Sin contra hęc vota mea ibunt nihil conficient, q̃ ut meã perditionem mihi, ipsis suam procurent sepulturam. Non aliam Curam aut Pœnitudinem habeo, quam quod tantum temporis amiserim, non prius illum q̃ hâc ætate meâ notum habendo; quem oportebat ab infimâ usque pueritiâ diligere, ex quo notam me ipsi mihi fuisse reminisci datur. Nõ quæro maritum, nolo polluere matrimonii vinculum, neq; maritalia vestigia alterius viri recalcare, Vti plurimas fecisse reperio in antiquis libris, quorum lectio mihi trita est, longe ẽt me Sapientiores & prudentiores, longe generosiores, quarum quædam à Nationibus pro Deabus sunt cultæ: In harum numerũ recensere licet Venerem, matrem Æneæ, & Cupidinis, quem pro-

Amoris Deo Gentilitas venerata est: Hæc nuptũ data jura matrimonialia corrupit, fidem marito datã fregit; sunt aliæ majoribus flammis incensæ, quæ majora etiam scelera patrarunt, nefariis & incestis criminibus commissis: Myrrha ex patre suo concepit, Semiramis filio concubuit, Canace Germano, ut &, vi coacta quidem Thamar, filia Regis Hebræorum Davidis. Aliæ horribiliora etiam facinora commisere, transgressæ Naturæ Leges, ut Pasiphaë uxor Minois Regis Cretæ, cum Tauro. Atque hæ Reginæ erant & Regum filiæ, sub umbrâ quarum, peccantium enormiter, levior mea culpa facile possit delitescere, & ab Famæ conviтiis securior manere. Amor meus justæ caussæ innititur, Rogata & multum obsecrata, meritis ipsius capta, compulsa & persuasa ab astutissimâ talium directrice, & magistrâ, Celestinâ, periculosissimis visitationibus delinita, & perducta sum ut tamdem optabili ejus Amori totam me contraderẽ. Iam mensis amplius elapsus est, ut tu conscia es, quod *nullam noctem intermisit* quin hortum nostrum instar munitissimi castri alicujus scalis occuparet injectis; plures etiam frustrà adfuit, neque ideo iracundiæ quicquam aut animi abalienati mihi ostendit: Mortem sunt meâ causâ fidissimi illius apparitores famuli, Patrimonium ipsius meo nomine imminutum est, absentem se universę civitati simulavit; integros dies domi suæ inclusus nullo fastidio mansit, pascens animum solâ mei, de nocte videndæ, Spe. Procul hinc, procul à me abis Ingratitudo, Procul assentationum omne genus, & frandes erga tam fidele Amatoris pectus, tam vivâ dilectione flagrans: Nolo ego maritum, non curo patres, non cognatos, aut affinitates,

cum

eum destituta fuero & spoliata Callistone meo, destituet me vita mea, ipsa me eâ spoliabo; quæ nullo alio titulo mihi grata atque accepta est, quam quod illius Amore frui illius mutuâ dilectione gaudere cōceditur. LUCRET. Tace paullisper, hera: auscultemus: illi perseverant sermones suos. PLEBER. Igitur quoniam eadem & tibi sententia est, Domina cōjux, opus erit ut hujus ergo filiam nostram quamprimum alloquamur. Indicabimus illi nomina tot Procerum, qui ejus à me Nuptias sollicitant, ne quid inhumani contra ipsius Voluntatem conclusuri videamur: Eligat ille qui magis ipsi placuerit, nō tam ex nostrâ quā propriâ ipsius suâ arbitratione maritum adsciscat; quā libertatem Leges non frustrà utrique juvenum sexui reliquerunt, quamquam sub patriâ etiamnum potestate degentium; ut seligere quem thoro suo aptum putent, nullâ auctoritate prohibeantur. ALISA. Quid verbis opus est? quid frustrà tempus terimus? Quis tantæ audaciæ erit ut tam novarum rerum nuntium ad Melibæam nostram ferat, qui non metuat exterminare tenerrimum ejus animum. Et quid tu censes, unde notum illi esse poterit quale animans sit homo masculus? An faciant aliqui nuptias, & quid rei sint Nuptiæ ipsæ? Et quod ex conjunctione maris & fœminæ liberorum seges procreetur! Credis simplicem & ignaram astutię omnis Virginitatem suam illi concedere, ut desiderio aliquo, impudiciore ipsi viso, appetat id quod numquam cognovit, nec fando intellexit? Putas illam ullo modo tam esse capacem talium ut vel cogitando peccare possit? Ne credas tale aliquid, Domine Pleberi, quod si quemlibet, sive generoso sive humiliori sanguine natum, deformem aut

Speciosum, male moratum aut Civilitate politissimum, ipsi ducendum nominaverimus; omnia quæ nobis placere censebit, ipsi quoque gratissima erunt; Mihi ante omnes liquido constat qualem hanc filiam educaverim; quantâ curâ illam incluserim, texerim, custodiverim, quamque illius animus ex mea pendeat voluntate. MELIB. Lucretia. Lucretia. Properè curre intra per posticum in palatium, & interturba colloquium ipsorum. disijce has meas laudes, fictâ aliquâ & excogitatâ legatione, velut à me missa illuc venias; si quidem vetare vis ne ego transcurram vociferando instar fatuæ; ut male me habet jocularis illa illorum de ignorantiâ meâ imaginatio. LUCR. Eo, Hera.

ACTUS. XVII.

ARGUMENTUM.

Elicia, utpote castitate Penelopæ illi veteri minime comparabilis, concludit apud animum suum expedire se tristitia simul & luctu super obitu Celestinæ Sempronii & Parmenonis, præferens alteri suo hâc in parte consilium amicæ & cognatæ Areusæ. Sic iter ad domum Areusæ insistit; eodem adest & Sosia. Cui Areusa fictis & compositis blanditijs & lenociniis extorquet omne secretum. Callistonis & Melibææ pervigiliorum.

ELICIA.

ELICIA. AREVSA. SOSIA.

EL. Male mihi omnia ſuccedũt & expetunt in hoc luctu, nemo aut rari quidam, viſitãt domum noſtram, pauci plateam tranſeunt; non jam audio inſtrumenta & Cantiones Muſicas Amatorum, uſque ad Auroram occentare ſuavia gaudia ſolitas, Amici mei ſtationes ſuas deſerunt *janua noſtra limen ſervat*; nõ gladiorũ ſtrepitus non tumultus nocturnos mei cauſſa jam ullos fieri percipio. Et quod miſeram me pejus etiam afficit, neque nummum neque aliud quippiã muneri domum meam appellere video. Omnis hujus mihi infortunii cauſſa ipſamet ſum; ſi acceptaſſem ratumque habuiſſem conſilium ejus, quæ optimè mihi cupit, veræ illius ſororis germanâ germanioris meæ, cum pridiè illi triſtem calamitatum mearum nuntium ferrem, unde hæc mihi damna invecta ſunt; non me jam ſolam domi intra duos parietes viderem, ubi faſtidio & nauſeâ nemo me aſpicere dignatur. Malus Dæmon adigit me tantum mihi doloris adſciſcere propter eos qui neſcio an, me tali pacto exſtinctâ, vel lacrymulâ unicâ vultũ ſuũ tinxiſſent. Certè quod illa mihi cognata mea conſilium dedit, optimè ex re meâ futurum video: Numquam, ſoror, oſtendas vel animo tuo admittas alterius gratiâ plus mæroris quã ille tua ſibi ſumturus fuerit, ſi qua te mala Fortuna perculleret: Si ego jam fato meo functa eſſem, Sempronius non minus lætaretur quam ſolebat anteà, Igitur cur ego animum meum, fatua, amplius ejus cauſſâ excrucio? Ille capite truncatus eſt? Quis ſcit an non & me aliquando pari crudelitate

interemturus fuisset, si vixisset, ut erat temerario animo & præcipiti, cum Celestinâ, quam ego pro matre viventem semper habui? Per omnia placet abhinc consilium Areusæ sequi, quæ prudentior rerum hujus vitæ est, & sagacior longe quam ego; eam ego sæpe visitabo, cum eâ vitam ducam, & ejus Sapientiâ me erudiam. O quam suavis hæc erit communicatio vitæ, quam dulcis atque accepta animo meo conversatio! non vanum est quod dicitur; *Meliorem unum esse diem hominis Sapientis* quam totam vitam fatui alicujus atque obtuso ingenio. Exuam me igitur hoc luctu, abjiciam tristitiam, extergebo oculis lacrymas, quæ quidem tum ex consuetudine mea mihi paratæ semper ad obsequium adsunt: Neque vero mirum videri debet cuipiam tam faciles generi nostro illas excubare, ut nullo nō temporis articulo vocatæ adsint, tam difficiles contra regressu, atque obliterari duras; cum primum nati homines soleant diem tum primū visum ploratu salutare. Verum huic negotio, ut cæteris talibus, Prudentia nostra facile medebitur, considerando fletibus istis perdi oculorum saltim decores; Gestus & vestimenta speciem muliebrem commendare, & vel de deformibus formosissimas facere: His mediantibus vetulæ fiunt juvenculæ; juvenculæ vel seipsis teneriores exeunt: Non alia res est Color commendabilis ruboris, & candor amabilissimus quā viscosus quidam cinnus, quo inescati Viri juvenesque confluunt & capiuntur. Redi igitur commodo meo Speculum meum, adeste Fuci & Colorationes pristinæ, restituite decus suum fletu attaminatis oculis meis: Redeant mihi candidæ meæ tunicæ, ricæ, strophia; vestitus festi, hilaresque mei; componam

lixivium

lixivium Capillis meis retingendis; quos jam aureus color deseruerat. Hoc facto recēsebo Gallinas meas, construam lectum meum; *Munditia excitat & exhilarat corda animosque hominum*; expurgabo & nitidabo ostiū meum & spacium plateæ meum, ut videant transeuntes jam abolitam esse memoriam omnem mærorum. Verum prius etiam ibo visitatū cognatam meā, rogatura an illic fuerit Sosia, & quid cum illo transactum sit. Eum enim non vidi ex quo indicavi illi cupere cum eo colloqui Areusam. Velit Deus solam me illam offendere, quæ alioquin nūquam Amatoribus incomitata vivit, ut bona taberna raro est sine compotoribus. Clausum est ædium ostium, neminem puto intus esse. Pultabo, Tha, Tha, Tha! AREVSA. Quis isthîc es? ELIC. Aperi soror, Elicia sum. AREVS. Intra soror charissima, Deus sit tecum. Quam ego te lubēs video mutabo lugubri illo habitu in lætum hunc & placentem omnibus! quam gratius hoc mihi spectaculum illo, cum tota nigra mœrens incederes! Nunc gaudebimus invicem & lætos dies vivemus. Visitabis tu me, visitaberis à me vicissim, tuæ meæque domui perpetua festa celebrabuntur; Quis scit quid nobis utilitatis & lucri confecerit mors Celestinæ; ego quidem manifestò video rebus meis ex eo tempore multum emolumenti accrevisse. Hoc est quod vulgo dicitur. *Mortui aperiunt* oculos viventium; huic quidem accessione opum, illi libertatis ut, isto exemplo, tibi. ELIC. Ostium tuum pulsatur, parum nobis spacii ad confabulandum relinquunt: ego volebam ex te percontari an tecum fuerit Sosia. AREVS. Non vidi illum ex quo tu hic fuisti. Quid istud crassæ pultationis est ad ostium nostrum! Aperiam, aut fatuus hic est aut

admodum familiaris. Quis pulsat isthic? Sos. Aperi domina. Sosia sum, minister Callistonis. AREVS. Per fidem omnium Deorum Lupus est in Fabula; abscõde te soror, pone istud tapetium, & videbis quomodo ego illum rebus nostris parem; inflatum totum, totum assentationum ventis turgidum dabo; ut cum à me recedet, putet enimvero se solum albæ gallinæ filium esse, solum amari, sua & aliena ipsi omnia quę novit ventre extraham, non secus atq; ille equis strigili pulverem extergere solet. Tu eras isthic, Sosia mi, mi secretissime amicorum; quem ego intime amo, etiamsi ipse nesciat, quem bonæ Famæ suæ gratiâ, quia in omnium commendatione vivit, desidero & diligo; tam gratiosum mulieribus, tam fidelem hero suo, tam acceptum cordatumque sodalem; Amplecti te, Amor meus, cupio; jam cum te video, qualis sis credo, plus in te scilicet virtutum esse quam laudando assequi quivis possit. Huc ades, anime mi, intrò concedamus, delector ego aspectu tuo, tu memoriæ meę reponis figuram infortunati Parmenonis mei: Ideo hodie sol tam claris luminibus cælum illustravit, tam suda tempestas hesternis successit imbribus, quia te huc felicitas mea allatura erat, Dic mihi, Domine, notam habuisti me etiam ante hunc adventum ad nos tuum? SOSIA. Domina, ingens per urbem Laus & cõmendatio Speciei & civilitatis tuæ, Sapientiæ Gratiarumque tuarum admiratio, tam alte per ora hominũ volat ut mirari non debeas pluribus te notam esse quam quos ut noveris: Nemo quippe de Formarum excellentiis, loquitur, qui non primo loco inter omnes tui meminerit. ELIC. Vah spurium istud mendicabulum hominis ut sapientem se facit! Si quis illũ

videret aquatum ire cum caballis suis ipsis insidentē clunibus nudis! Iam cum se instructum caligis & pallio videt, Heroem se facit; Vlyssi eloquentiâ, Thaleti sapientiâ parum concesserit! AREVS. Iam indignabundam me fecisset ista oratio tua, si quis adesset, qui auribus perciperet quibus modis me ludificares. Verum ut universi virilis sexus præmeditatis istis orationibus adesse soletis, fictis laudibus ingenium & eloquentiam vestram ostendere cupitis, verba velut formis impressa ad illudendum simplicibus puellis circumfertis, ita tibi ego facile ignosco, neque succēseo quippiam. Contra autem certum te facio minimè talibus tibi circumlocutionibus opus esse, apud me quidem. Amo te etiamsi abs te non lauder. Victā me tuamque, tibi deditam, habes ante quam de novo oppugnes. Quod autem ad te miserim, visitatum me adesses, duabus potissimum caussis adacta sum: Neutram tamen tibi dictura nunc, si amplius quicquam assentationum aut ludificationum abs te metuere habeo, quamquam valdè utraque emolumento tibi esse possit. SOS. Domina mea, nolit Deus Optimus Maximus, ut ego quicquam tibi dolorum aut fraudium struam! multum securo & elatiori animo veniebam de gratiâ tuâ quam factura mihi esses & nunc facis, non arbitrabar dignum tuæ qui calceos tibi detraherem; Impera tu Linguæ meæ, responde tibi meam vicem; omnia ego dicta tua rata habebo & facessere opere ipso, quantum in me erit, studebo. AREVSA. Anime mi, Sosia, jam ante hac notum habes quantum amarem Parmenonem; nunc tibi indicare volo, non minus tibi bene cupientem esse, ut omnes, qui qualicunque

modo

modo ipsi in vitâ chari fuerunt, grati mihi semper atque accepti erunt: Fidelis atque egregius illius in herum suũ animus nõ minus mihi ipso placebat; quodcunque Callistonis damnum vel conjecturâ præspicere poterat, ut optimè poterat, cavebat, impediebat, incidebat, & amoliebatur. Quod cum ita sit conclusum est mihi apud animum meum hoc te primo loco monere, ut noris acceptissimam mihi amicitiam tuam esse, & visitationes quo crebriores eò gratiores, quibus plus equidem commodi ad te quam detrimenti redibit, quantum in meâ ope erit: Secundò ut, quoniam oculos animumque meum tibi tradidi, tuo Amore tota irretita sum, alium quam te perpetuum amatorem exopto neminem, consulere tibi volo, teq; ut verè amica, iterum monere, ut ab periculis imminentibus, quam poteris cautissimè, tibi caveas, neq; secretorum tuorum quippiam cuiquam communicare velis: Exemplo tibi sint Sempronius & Parmeno, qui perierunt non aliâ magis de caussâ quam quod Celestinę arcana sua aperuerunt, ne te, misera, ego cogar aliquando pari cum illis sodalibus tuis fato oppetentem cernere. Satis mihi superque est deplorare unum illum Parmenonem meum? Scias etenim venisse ad me his diebus aliquem & dixisse, enarrasse tę ipsi omnem Amorum Callistonis & Melibææ historiam; quo pacto ille illâ potitus sit, & quod tu singulis noctibus illuc herum tuum comiteris, aliaq; multo plurima, quæ nec recensere quidem possim. Cogita, anime mi, quam sit levitatis animi indicium non posse secreta sua suorumque silentio premere. Propria est talis tam futilis loquacitas mulieribus, (neq; his etiam omnibus tamen, sed parti dumtaxat con-
temtissi-

temtissimæ & nullius pretii,) propria est ob ætatem stolidis pueris. Cogita hinc tibi redundare posse maximum discrimen; non alio fine tibi Deus, duos aures & unam tantum linguam apposuit, duos etiam oculos, ut duplo amplius videre & audire, quam eloqui atque propalare debeas. Ne censeas ullum tibi amicum tam fidum esse, ut quod ipsi non revelandum credideris, nolit ipse porrò aliis enarrare, cum tu ipse id corde tuo attinere non potueris. Si quando tibi opus erit herum tuum Callistonem comitari, visurum noctu illos suos Amores, ne tumultueris per vicos, non omnis vicinia te audiat, aliunde enim ad me relatum est quot-noctibus te ire vociferantem Voluptatis stimulis instar hominis menti capti. SOSIA. Vah, quam fatui & male conciliati sunt homines isti qui talia ad te narratum veniunt! qui tibi retulit de ore meo talia audivisse, scelerate mentitus est. Alii videntes me ad Lunam noctu aquatum ducentem Equos nostros, cantantem & animo hilari jocabundũ, uti laboris obliviscerer, & molestiam animo excuterem, idque semper ante decimam Horam, suspicati sunt alia, de suspicione certum aliquid sibi persuaserunt, & pro tali ad te retulerunt, affirmantes quod conjectaverant. Certè non tam fatuum putes herum meum ut eâ horâ ad negotium tanti periculi & ponderis conficiendum prodeat; nec tam cautum eum crediderunt ut exspectaret conticinium noctis, ubi omnes cubitum concessos primi somni attineat altissima quies! neque certè singulis noctibus eo iverit; cum tale officium nequaquam quotidianas adventationes admittat. Quod si clarius etiam mendacia talia inspicere velis; uti dicitur *facilius mendacem quam claudum*

claudum deprehendi, asseverare tibi, domina possum, totum hunc mensem nõ amplius nos octies illuc itasse, & vani illi invidiosique conturbatores singulas noctes commenti sunt. AREVUSA. Igitur, per vitã meã, anime mi, ut ego eos homines falsimoniis & perfidiis suis irretitos teneam, & manifesti mendacii reos, certiorem me facias deinceps constitutarum noctiũ, quando ituri sitis vel secus; Si illi me deceperint, & rẽ aliter quam fiet, prædixerint, certissima ero secreti à te servati, & illorum vanitatem manifesto deprehenderim. Sicque eorum relatione veritati contrariâ amabilis mihi persona tua exemta erit periculo, & ego cura illa & sollicitudine, quam pro te habeo, levata: Sic spes mea frustra non habuerit me; quâ votum conclusumque habes longissimo tempore amoribus tuis frui. SOS. Non opus erit, domina, longe nos rei testimonia petere; hâc ipsâ secuturâ nocte cum duodecimam horam Horologii pulsus indicabit, conclusa & constituta à Domino meo est Melibææ visitatio; Cras rogabis illos quid notum de hoc habeant, si quis veritatem indicaverit, omnes me deinceps pro stulto fatuoque mortales habeant. AREVS. Et quo itinere eo ibitis? ut norim relatores illos confutare, si aliorsum iisse dicturi sint? SOS. per vicũ ubi ædes sunt crassi illius Vicarii, ponè illas ipsas ædes. ELICI. Taceas jam deinceps, nihil amplius requiritur ex te, Ludibrium nostrũ. Maledictus sit qui salutem & negotia sua talib. mulionis manibus cõmittit. Plane sensibus se exsui passus est asinus iste. AREVSA. Frater Sosia, sufficiant modo dicta, nihil enim ego volebam quam certa & secura esse innocentiæ tuæ, & rescifcere cla-

ram

tam malignitatem adversariorum tuorum. Iam cum bono Deo domum tuam redeas licet; sunt enim alia mihi jam expediunda negotia, & sane non parum tẽporis tecum insumsi,illis prolatis. ELICIA. O Sapientissima mulier;ô amolitionem hominis egregiam! Talem certe merebatur asinus tam crassi cerebri, qui tam de facili omnia sua secreta effutivit. SOSIA. Dulcissima & gratiosissima Domina; ignoscas, oro,mihi, si morâ isthîc diuturniore rebus tuis dividiæ , tibique molestiæ fui. Quãdiu tibi placuerit servitiis meis uti velle,neminem toto mundo hominem invenies qui promtius etiam vitam suam impendere , ut tibi gratificetur,velit. Boni Angeli custodes tecum maneant. AREVS.Deus te ducat, Illuc eas , sic datur, insulse mulio;multum licet glorieris,insignem hîc assẽcutus es Sapientiæ tuæ præconem , egregium ejusdẽ testimonium hîc reliquisti:Nunc ignosce , sodes , isti Ciconiæ quæ à tergo abeuntem pinsit. Cui loquor, soror? Prodi hinc elicia , quid tibi videtur , qualem istum domum suam remisi? Sic ego tractare tales novi , Ita asini illi fustibus dolari manibus meis abscedunt, ita fatui confusi & ludificati , Sapientes attoniti, relligiosi alterati , casti Amore incensi. Igitur disce tu ab artifice hac,Elicia soror , aliæ hæ artes sunt quam quib. Celestina tua vivebat , quamquam illa me insulsam putabat , quoniam talis ego apud illam videri volebam. Porro cum sciamus jam hujus relatione omnia quæ super Callistonis negotio nosse desiderabamus , opus jam erit nos alterius illius furciferi , qui præteritis diebus meâ tam pulcrè expellebatur , domum ire. Simula

mula tu id tibi studium esse ut nos ex inimicis in pristinam amicitiam reducas, quodque rogata abs te ægrè assenserim, ipsum visitatum tecum venire.

ACTUS. XIIX.

Elicia simulans id agere se ut Areusa Centurioni, quem domo suâ expulerat, reconciliaretur, ita instructa ab Areusa, cum istâ domum Centurionis petit. Illic ambæ eum rogant suscipiat ipsarum nomine ultionem occisorum Celestinæ, Parmenonis, & Sempronij, in Callistonem & Melibæam: Centurio præsentibus illis pollicetur rem se effecturum, post, ut ingenium talium hominum est, minimè stare promissis suis, excusationes quærit, ut historiæ ipsius ordo sequentibus declarabit.

ELICIA. CENTVRIO. AREVSA.

EL. Quis in hâc domo, nemone est? CENTVR. Puer, ... e visum quis homo tantæ audaciæ sit ut domum meam non pulsato ostio intret: Redi, redi, isthuc. Iam vidi quis sit. Ne te pallio obveles, Domina; jam latere & cælari non potes: cum priorem intrantem viderem Eliciam, certò conjectare poteram non malo sodali comitatam advenire, neque res novas, mihi nocituras, illam adferre, potius quæ animũ meum Voluptate afficerent. AREVSA. Per vitam meam, ne intremus penitius, vide asinus quam se jã dum magnificum faciat, autumans rogatum me illum huc advenisse; gratiores ipsi utique aliæ erunt, similiores formæ & moribus ejus scilicet, quã nos. Revertamur per Deum rogo, soror: Morior fastidio & odio

òdio tam informes balatronis gestus videns. Videris tibi, soror, per bonas me stationes rapere, digna hæc sacra esse nobis cultricibus ut veniamus visum Thrasonem istum qui domi isti habitat. ELIC. Redi intro, si me amas; ne abscedas, soror, nisi dimidium manibus meis pallium hoc tuum relinquere conscissum cupis. CENT. Retine, retine, per Deum, retine illam, Domina; ne se tibi eripiat. ELIC. Miror, soror, Sapientiam tuam. Quis hominum omnium tam barbarus sit moribus qui non gaudeat visitari, præcipuè vir à fæminis? Accede istuc, domine Centurio: Iuro tibi animam meam etiã invitam adigam ut te complexã suavietur: Ego periculum in me recipiam. AREVS. Malim ego illam in manibus & potestate carnificis videre, & oppetere malam, ad arbitrium hostium ipsius, mortem, quam tale aliquid concessero, ille aliquid Voluptatis ex me capiat? Certe, certè tam bene de me meritus est ut ipsi per omnem vitam meam debitura sim. Ob quale meritum ego illum suavier? Cur vel visu digner? Rogatus præteritis diebus atq; supplicio obsecratus, ut unius diei iter meâ causâ susciperet, cum inibi vitæ meæ discrimen versari non ignoraret, abnuere tamen ausus est. CENTVR. Impera tu mihi aliquid facere quod possim, Domina, rem quæ sit officii & expeditionis meæ, ut tres simul provocem, si plures etiam veniant, ne fugiam Amore tuo retinebor. Interimere hominem, pedem aut brachium desicare, faciem alicujus, quæ formam suam tuæ æquiparare ausa sit, vulneribus concidere; Hæ aliæque hujus generis, res promtius à me cõficientur, quam à te injungentur mihi. Excipio solum hæc duo, ne argentum me flagites, ne pedes aliquo ire adigar.

Argentum nosti apud me subsistere non posse: *Ter iussus circumrotabo* corpus, & quam maximè potero sussiliam, nuspiam de vestibus meis obolum procidentē audies. Nemo hoc dare cogitur quod non habet. Tali domo habito, qualem isthic meam vides: Nusquā quisquam pedem impegerit, quamlibet improvide se circumagens: Supellex quam inibi habeo est fracta urceus ansâ, & veru absque mucrone, Lectus in quo ecubo stratus est super umbones scutorum; Si quid esui aut potui vobis præbere velim, nihil est quod pignori dem, præter, pallium istud undique perforatum, quod circumfero mecum. ELIC. Ita felix sim ut mirificè sermones hujus hominis mihi placent. Instar relligiosi alicujus obtemperans mandatis tuis adest; instar boni Genii loquitur tibi; Nihil nisi æquitatem summam petit. Quid poscis illum amplius? Per vitam meam ne alloquio tuo indignum habeas, ponas animo quod te malo habet, ignoscas homini qui sese & sua omnia tam prolixâ voluntate tibi offert! CENT. Offerre dicis, Domina? juro tibi per sanctas illas *tabulas unde pueri* Elementa discunt, brachium jā dum mihi succutitur spe eorum quæ pro illa facere velim Semper pacificare illam studeo, numquam pacifica utor. Præterita nocte per somnum mihi videbar provocatis quattuor hominibus illius gratia pugnam inire, omnibus ipsi bene notis; unum ex his occidi, de cæteris tribus qui fugâ salutem sibi quærebāt, qui minimum læsus abscesserat, sinistrum mihi ad pedes brachiū reliquit. Porro multo melius aliquid tale de die vigilans præstabo; si aliquis invitam illam contigerit. AREVS. Quoniam huc sermo noster venit, tempus ipsum me fari jubet. Ignoscam tibi, Cēturio,

hac con-

hac conditione uti ulciſcaris injuriam meam mihi illatam à Calliſtone illo, notæ inter urbanam juventutem nobilitatis; nec mihi ſolum, ſed & huic cognatæ meæ. CENT. *Vah, conditionem* iſtam minime admitto! Dic mihi illico an jam peccata ſua ſacerdoti alicui Confeſſus ſit? AREVS. Non tibi mandata eſt animæ ejus Cura! CENT. Volo igitur ut vis, mittamus animã ejus ad inferos ſine Confeſſione. AREVSA. Auſculta, attende, ne irrumpas orationem meam? Hac nocte illum deprehendere poteris. CENTVR. Nil dicas amplius, jam exitus rei in manu meâ eſt. Omnia ejus Amorum negotia cognita mihi ſunt, etiam illos novi qui horum gratiâ mortem oppetierunt, neque minus quo veſtro ambarum damno omnia geſta ſint. Scio & quorſum, quo, quâq; horâ eat. Solum hoc doce quot comitibus illuc ire conſueverit. AREVS. Duobus non amplius pueris. CENT. Paullum equidum iſtuc negotii eſt, parum cibi hîc inveniet, parũ pabuli hinc metet machæra mea. Melius & plenius illam alibi hâc nocte paſcam, uti etiam jam promiſi. AREVS. Sic excuſationes quæris: Ad alium canem cum hoc oſſe eas. Non eſt ex re noſtrâ iſta dilatio. Hic ego experiar dicere & facere an ad menſam tuam junctim edant. CENTVR. Si machæra iſta mea dicere vellet, quæ facere conſuevit, nullum tempus ejus facinoribus audiendis ſuffecerit: Quæ alia omnia circumcemiteria cadaveribus ſtipat? Quæ chirurgos & medicos divites facit? Quis præter eam fabris armariis continuo quod reficiant, ſubmittit? Quis chalybis amplius frangit? Quis clypeos plures Barcilonâ huc advehi facit, dum tot eorum quotidie diſſicat? Quis fruſtratim plures caſſidas disjicit?

Harum quidem optimas perfringere non majus illi negotium est,quam si pepones forent! Viginti ipsi anni modo sunt,cum ista mihi victum sufficit. Hujus ergo timent me viri,amant mulieres,præter te quidē cæteræ. Hujus virtute àvo meo nomen Centurionis partum est,Centurionem vocabant patrem meum; eôdem nomine & ego nuncupor. ELICIA. Quid vero facere poterat machæra tua ut avus tuus Centurionis vocabulum adsciseeret? Dic nobis? fortasse ejus facinoribus atque operâ Centum hominum Tribunus factus est? CENT. Non sed quia fuit centū mulierum Leno! AREVS Nihil ad nos majores tui, neq; auditum antiqua facinora huc venimus. Si facturus es quod petitur,sine dilatione promitte: nos aliorsum properamus. CENT. Longè ego noctem amplius præsentem adesse cupio,ut imperata abs te expediā, quam tu ut ultam & vindicatam videre te possis. Et uti magis omnia patrentur ex voto tuo , elige quo mortis genere illum occidi cupias;Intus tibi Indicem ostendam,cui inscriptæ sunt Sexcentæ & Sexaginta species,videbis quæ è tanto numero tibi arriserit. ELICIA. Per amorem meum,Areusa;ne hoc facinus tā crudeli atque immani homini mandetur. Potius sit ut ne tale quid omnino fiat,quam ut tota civitas cōturbetur;unde nobis plus damni accesserit,quam etiam adhuc passæ sumus. CENT. Illæ species quibus ego nunc magis uti soleo,quæque his diebus patratæ sunt,& velut adhuc mihi in manibus versantur, sunt ictus laminę planę;ictus manubrii globo ferreo,subversiones ingeniosæ;alios instar cribelli minutis pugionis punctibus perforo; alios punctim gladio, alios cæsim,alios longis alios brevibus ictibus perfodio.

dio. Sunt vulnera mortifera; aliquando fustibus homines concido, ne nimium laboret videlicet, atque ut aliquando respiret Ensis meus. ELICIA. Per Deum ne amplius quicquam faciat, fustibus illum contundat, ut castigetur potius quam interimatur. CENT. Iuro tibi per Corpus Sanctæ Letaniæ, non plus in potestate dextri mei brachii est fustibus cædere ut mors non continuo sequatur, quam solis ordinarium per cæli spatia cursum interjungere. AREVS. Non simus, soror tam pusilli animi, faciat quod volet; occidat illum, qualis sese oculis obtulerit. Ploret Melibæa, ut tu coacta fecisti. Missum illum faciamus: Centurio memineris quod pollicitus es. Qualicunque modo illum tractaveris, voluptati nobis erit, modo caveas ne plane non erroris sui admonitus elabatur aliquà. CENT. Deus ipsi ignoscat siquidem fugâ non elabetur. Gaudeo maximè, Domina mea, occasionem mihi sese obtulisse, quamquam non magnæ rei, unde certior fieri possis, quantum Amore tui ego facere velim. AREVS. Igitur Deus benè cæptis tuis adspiret; Ei te commendo, nobis hinc jam abeundum est. CENT. Ille te comitetur; & amplius tibi patientiæ largiatur. Illuc apageant meretrices istæ suis artibus elusæ. Nũc meditabor quo pacto promissa non facessens, excusationem mihi faciam, ut credant nihilominus istæ summâ me diligentiâ negotio affuisse, neque neglexisse officium metu discriminis. Faciam me infirmũ! Verum quid hoc proderit? Non desistent petitione ubi revaluero! Porro si dixero illìc me fuisse. & quod in fugam illos conjecerim, indicia abs me petẽt; quales fuerint, quot numero, quo locorum ipsos assilies, quomodo ornatos, vestitos? Sic omnia perdiderim,

rim, nihil horum affirmare valens. Igitur quid consilij capiam? Ut mandato mulierum satisfaciam, absq; quidem periculo meo? Mittam evocatum huc Thrasonem, illum loripedem, cum sociis suis, dicamque ipsi , quoniam alibi hanc noctem occupatus sim, ut collisis clypeis tumultum in plateâ isthic dent , præceptum mihi id esse nonnullis pueris illinc fugandis per ludibrium. Hæc maxime tuta hujus rei expeditio erit, unde nemini poterit aliquid damni dari; Ludi instar erit in fugam illos conjicere, post dormitum concedere.

ACTUS. XIX.

ARGUMENTUM.

Callisto comitatus Tristane & Sosia ad visendam amicam suam Melibæam dum hortum Pleberii petit, Melibæa ipsa & Lucretia illum præstolantes colloquuntur & concinunt. Per viam Sosia Tristani recenset, quid cum Areusa ipsi rei fuerit. Callisto jam apud Melibaam in horto erat, cum Thraso & alij, à Centurione ad mandatum Elicia & Areusa eludendum conducti, adsunt; Procedit ad illos Sosia: Callisto intra hortum audiens tumultum, quid rei sit visurus accedere vult: Illo horto exitus caussam ipsi ut tristem Vita sua finem faceret, dedit. Tale præmium isti tales plerumque sortiuntur; Unde moniti Amatores meliora consilia sequantur.

SOSIA.

SOSIA. TRISTAN. CALLISTO. MELIBÆA. LVCRETIA.

SIlentio procede istuc; Tristan, ne quis gradientes nos audiat, deinde ad murum horti illius tibi enarrabo quid mihi contigerit colloquenti cum Areusa hodie; videor enim illius gratiâ merito omnium mortalium gaudia mihi uni adscribere posse. Scias illam; postquam à plurimis me hominibus hinc inde commēdari audiverat, Amore mei perceptam fuisse, frater: misit igitur ad me vocatum ut quamprimum copia esset, illam invisere vellem. Relictis aliis egregiis quidem monitis atque consiliis, quibus adfectum erga me suum prolixè contestabatur, in pręsentiâ tantum mihi benevolentiæ exhibuit, ut certus esse possim velut hæreditarium quem in Parmenonem, adfectum, habebat in me trāsijsse. Obsecravit me quottidie, cum commode possem, se inviserem, conclusisse quippe longo tempore Amore se mei fruituram. Itaque adjuro tibi, frater, periculosam istam viam quam modo calcamus, & ita ego gaudiis meis supersim, ut tribus vicibus animum sumseram illam amplexu amatorio invadendi; sed cum tam speciosam tamque comtam atque expolitam, vestimentisque ornatam, viderem, pudore deterritus sum, considerans lacinias istas meas laceras atque undique perforatas; Cum se commovisset odorem undique dulcissimum spirabat, ego contra fœtebam reliquiis stercoris equini, quæ intra calcæos mihi obhęserant. Manus digitique ejus quâvis nive candidiores erant, quas cum chirothecis sæpius inderet & reduceret, non alio odore domus fragrabat, quam si Cydoniis

Auraicisve malorum floribus aêr mulceretur. Sic, & quoniam incidebant negotia, quæ eam aliorsum vocarent, hodiernum nostrum colloquium interruptū est, & quod dicendū mihi restat, in alium diem prolatum. Nosti tu, & res ipsa testimonio est, ad primum conspectum ægrè negotia alicujus momenti confieri solere, quantò autem postea frequentius tractātur, eò faciliora bonum exitum sequuntur, magisq; prudentiam hominum acuunt, & ipsa clarius inspiciuntur: TRIST. Amice Sosia, alio ingenio magis rerum experiente, & ætate maturiore, opus erat mihi ad cōsilium tibi his in rebus dandum, quam quod mihi nunc est, ætate puero, judicio admodum mediocri, quod natura mihi indulsit. Tamen quicquid optimū mihi videbitur, eô tibi non deero. Mulier isthęc venale scortum est, ut ipse aliquando etiam mihi narrasti: Scias, nec hoc, nec alio ullo eam negotio moribus suis contraventuram, quin, quicquid poterit fraudium & dolorum adhibituram. Oblationes istas illius mōstrum aliquid agere pro certo existimo quamvis finis earumdem mihi nō liqueat. Si pro homine comi atq; urbano te amari censes, quot illa potiores te, putas, projecerit? Si pro divite, atque opulento? ignorare nō potest nihil tibi esse præter pulverem illum quem de strigili equinâ ad te redire quotidiè videt? Si pro nobili; neque illam latere poterit Sosiam tę esse, Sosiā tibi patrem fuisse, natos utrosque in vili pago, aratro glebas proscindendo vitam coluisse. Cui quidem rei te nunc quoque aptiorem puto quam Amoris negotiis. Circumspice, Sosia & rem penitius expende, an aliquid secretorum super hoc nostro ad Melibæā itu expiscari voluerit, istis inusitatis, atque dubio procul omenti-

ementitis,assentationibus,ut hoc pacto aliquid ægrè facere, aut Callistoni inimicum reddere pleberium possint,invidentes,more prostibulorum talium,Melibææ isthæc ipsius gaudia. Cogita invidiam incurabile malum esse,neque eo loco facile exturbari posse, quo semel sedem fixerit,hospitem prorsus ingratissimum,qui loco mercedis,pro habitationis usu solvédæ, nihil non molestiarum exhibeat hospitibus suis; cujus mos atque consuetudo non alia est quam ingenium,alienis scilicet infortuniis gaudere. Igitur, si ita sese ista habent,vel quòcunque alio modo,mulier ista mala atque astuta te decipere studet, glorioso suo nomine,quò plerique etiam alii capiuntur, vitiosâ atque noxiâ suâ consuetudine venenare volet animam tuam atque inficere, saltim ut cupidini suo satisfaciat; Talia in medium proferre ut blãditiis te ductum everteret, eo fine ut detrimenta tua aliquam ipsi Voluptatem facerent. O Lenociniorum sagacissima mulier! quam nitido pane involutum hoc tibi virus propinavit! Corpus suum vendere voluit ut litigium aliquod accenderet. Nunc ausculta mihi, & si hoc modo res conciliata est, tu dolo simplici appetitus,duplicem illi fraudem remetire atque repone; eo potissimum modo quem nunc tibi præscribam: neque hoc iniquo jure feceris,qui enim decipere studentem,deceptione ipse supervenerit, laudem poti⁹ quam vituperium meretur: Et si plurimis astutiis instructa est vulpis,astutior tamen habebitur is qui illã capiet. Contrariis dolis malas ipsius artes excipe, & cuneum cuneo contraducere insiste,scalis velut injectis arcem fraudium ipsius occupa; quamprimum securissimam tui, & velut labiis te ductantem videbis:

Cantabis postea in stabulo tuo, *Vnum excogitarat Equus indomitus, alterum qui domare illum instituerat*. SOSIA. ô Sapientem te, adolescente ætate tuâ. Tristan, longè amplius instructus ei prudentiâ, quam anni tui ferat. Astutissimâ suspicione in rem præsentem venisti, credo etiam verissimâ. Verum, cum jam horto propinqui sumus, & herus noster proximus nobis, omittamus hoc colloquium, & differamus in crastinum, larga enim seges erit omnia eventilaturis. CALL. Pueri, ut rectè positæ sint scalæ, tacete vos; Ego Dominam meam intus loquentem audire mihi videor. Ascendā in murum, & illic paullum consistam, auditurus an absentis, cum boni Amoris testimoniis, Ratio habeatur. MELIB. Ne desinas cantionis hujus, Lucretia; Valdè enim illâ afficior, dum veniat Dominus meus, & quidem voce pressâ, inter istud fruticetum, ne quis transiens isthinc nos audiat. LVCRETIA.

Ah quis in eximij conductus more Coloni
Demet in abscessus Gramina læta tuos!
Quis contra, grato venientem flore salutans.
Gaudia deliciis conduplicata ferat!

MEL. Mentiar nisi eximiè me affici egregiis tuis istis cantandi leporibus fatear; per amorem meum, jungas plura. LVCR.

Lætus est fontis Lepor, unda vivens.
Grata torrenti site macerato.
Gratior vultus tamen est Callisti.
Mi Melibæa.
Nocte vel sub concubiâ videns te.
Gaudio exultem! venientem ab alto.
Desuper muro quot ego osculis te.
Excipere adsum!

Gaudio

Gaudio exultant teneræ Capellæ.
Matris advisæ gravidas papillas,
Sponsi in adventum Melibæa toto,
Pectore læta est.

Nemo tam chara fuit umquam amica
Gratus adventor; neque visitata est
Vlla nox umquam simili Lepore.
Inter amantes.

MELIB. Quo tu amplius Canis, Lucretia, eo eum magis præsentem mihi imaginor, quantus quantus est totum ante oculos astare video, cum carmina ista tua ausculto: Perge porro, optimè enim vocem temperare novisti, & jungam ego meam. LVCRETIA & MELIBÆA.

Arborum umbrosarum io amœna culta
Flectite, ardenteis oculos Calisti
Intuendo, alti decora ista census
Sponte deorsum.

Noctifer cælo decus in tenebras.
Lucifer cælo decus in diem almum.
Quin meum somno juvenem excitanteis.
Sistitis isthuc!

MELIB. Nunc tu mihi sola audientiam præbe, Lucretia Ego sola aliquid suavius occinam.

Psittaci vos Lusciniæque, cantu.
Principe Auroram canere assuetæ.
Dicitè illi omnes: tu te hic morantem ex-

Spectat amica.
Iam noctis it meridies,
Differt adesse Adoneus!
An ille vinctus alterâ
Amasiam hanc fastidiet?

CALLISTO. Superavit me dulcedò suavissimi cantus non est mihi ultra tolerabilis amantis animi tui exspectatio. O Domina mea unica, O omnis Spes & omnis felicitas mea! Quæ mulier nata talibus sit Gratiis, ut tua merita non omnes illas ultro confutét? O improvisa auribus meis cantionis suavitas, O tempus deliciis uberans, O anima mea, O pectus O Corculum meum, Et quomodo non potuisti ulterius aliquid temporis insumere isti suavissimæ vocis tuæ suavitati, Cur non porro etiam amborum desideriis canendo satisfacere? MEL. O exoptatissima deprehensio, O insidiæ exspectatissimæ, ô suavissima superventio: Es tu hîc mei animi Domine, anima ipsa & corculum meum! Es tu ipsemet? non possum credere. Vbi absconsus eras, Lucidissime SOL? Quo reconditeras claritatem illam immensam tuam? Quamdiu factum est quod auscultasti nos? Cur me raucâ & absurdâ meâ instar Cygni voce frustrà aerem verberare passus es? cur exsensis verbis instrepentem audire sustinuisti? Totus hic hortus noster adventu tuo novâ lętitiâ inducitur. Vide Lunã inter innumerabilia sidera prolucentem; etiam suaviorem suam lucem cælo exserere videtur: Vide nubes illæ quam per cæli spatia diffugere properant; audi decurrentem hanc aquã de fontis hujus meditullio, quam longè suaviori nũc murmure per viridarium hoc florescentium herbarum properat? Attende celsas istas cyparyssos, quo pacto

pacto rami invicem sibi abblandiuntur, alius alium arridet & alloquitur velut interprete compositissimo illo Vento, qui summâ temperie omnia permulcens voces mutuas foliorum perferre hinc inde occupatus est: Vide omnium arborũ placidissimas istas umbras, quam obscuritates suas condensare laborant, ut furtivis nostris Voluptatibus gratissimum tegmẽ inducant. Lucretia, quid tibi animi est, amica mea; & tu delectationem talem, immo hanc meam fatuella, quæris? an ex invidiâ te avertis? Totum mihi meum gaudium relinque, noli in partes diribere velle quod totum ad me solam pertinet: Ne mihi tu amplectare Callistonem meum, ne tenera ejus mẽbra duris tuis brachiis aggraves. Sine me solam, permitte solam cô frui quod solius meum est, non mihi involes aut occupes tu desiderium meum. CALLISTO. Igitur, unica mea Domina, Unica gloria mea, si me amas, non destituas, non omittas cantum continuare tuũ! ne suavem illam vocem mei gratiâ premas! Non pejorem tibi conditionẽ præsentia mea ferat, q̃ ferebat absentia: Absente nẽpe me gaudebas cantu, cantabas gaudẽdo, nunc præsente intermittere utrumque videris. MEL. Quid vis cantitare me, Amasium meum? Quomodo cantare nunc potero? Desiderium tuum erat Modimperator Musicæ meæ, hoc incitabat vocem meam, & sonum ejus regebat: Cum jam consecuta sim prę sentiam tuam, desiderium ad tempus evanuit, Toni vocis meæ temperiem suam reliquerunt! At quoniam tu, Exemplum atque Speculum quoddam omnis civilitatis, & morum egregiorum es quomodo imperas linguæ meæ cantum, manibus autem tuis non imperas uti quietæ maneant? Cur non omittis istas ta-

ſtas tactiunculas? Impera illis tranquillæ uti confideant, & obliviſcantur attrectationum iſtarum odioſarum & fermè intolerabilium! Vide, anime mi, veluti mihi acceptus atque exoptatus eſt aſpectus tuus tráquillus atque comis, ita moleſta non poteſt non eſſe iſta crudelior contrectatio: Honeſta atque ſuavia joca tua me delectant, inhoneſtiores atque audaciores manus, odioſæ mihi ſunt, quando hoc pacto omnem æquitatis regulam tranſiliunt! Relinque mihi iſtas tunicas meas in ſtatione ſuâ, Si videre vis utrũ de ſerico an bombyce ſint iſtæ laciniç meç, an lanifici operis; quid opus habes intimum induſium meum quærere, quod certè ignorare non potes lineum eſſe? Lætemur & jocemur aliis mille modis, quos ego tibi etiam præibo; ne me affligas, neque veſtitum turbes, aut ornatum evertas. uti ſoles. Quid te juvat *veſtimenta mea mihi inquinare?* Call. Sic res poſcit, Domina; qui avem edere cupit, plumis oportet prius illam deveſtiat. Lucr. Mali peream ſi amplius auſcultare poſſum. Ego deſiderio talium pene contabeſco, iſta autem fatua, hera mea etiam rogari vult. Iam, jam, tumultus iſte conſopitus eſt: Non opus illis fuit qui litem decideret, neque arbitro quidem. Verum & ego puto pariter me tali alicui ſatisfacere poſſe, modo fatui hujus famuli de die me interpellarent. Exſpectant ſtolidi ut ego illos rogatum veniam? Mel. Anime mi, vis Lucretiæ mandem aliquid nobis guſtui adferat? Call. Non eſt alia res mihi delectationi quam tenere in poteſtate meâ corpus hoc, iſtamque tuam incóparabilem pulcritudinem. Eſui & potui quæ velis, numeratâ pecuniâ undique venalia invenias: Nullo non tempore hæc parabilia ſunt, nulli non etiam homini

mini. At istud quod auro argentoq; nequaquam parabile est, quod in universa rerum naturâ par sibi non habet, quod unicum in horto hoc teneo, quomodo persuaderi potero uti vel unico momento seponam, dum frui quidem illo licet. LUCR. Iamdudum mihi caput audiendo dolet, non vero illis etiam loquẽdo, neque brachia amplexibus eorum fatigantur, neque labia osculis: Iam iterum conticescunt; tertium hoc tropęum puto , quod hac nocte modo hîc figitur. CALL numquam ego diem nobis illucescere velim, Domina: uti quidem Gloriosa hæc Voluptas quam de exoptatissimâ tuâ consuetudine capio, me delectat & animi afficit: Tanto mihi gaudio est amplecti hæc generosæ teneritudinis membra tua. MEL. Ego sum illa, Domine, quæ Voluptatem ex hâc consuetudine nostrâ capio, ego quæ meliore ejus parte fruor. Tu mihi visitatione hâc tuâ incomparabilem gratiã facis. SOSIA. Sic sic scelesti venistis illos percellere qui nequaquam vos metuunt: Ego certè juro vobis si tãtum animi est ut exspectetis isthîc, tractatum iri non aliter quam meremini. CALLISTO. Domina, Sosia meus est ille quem vociferantem isthic audio : Dimitte me visum quid rei sit, ne occidatur, sine defensore, nemo enim illi adest pręter puerum alium; cedò properè mihi pallium meũ quod istic ad pedes tuos deposui. MELIB. Miseram atque infelicem me, ne descẽdas sine loricâ, redi & arma prius induè! CALL. *Domina quod pallium & Machæra & Animus non* faciunt, umquam Cassis & thorax ferreus cũ ignavia efficiẽt. SOSIA. Redire etiam audes ? Exspecta , certè malo tuo huc veneris, CALL. Per Deum, Domina, sine descen-

descendam, Scalæ jam ritè locatæ sunt. MEL. Ah infeliciter miseram me, quomodo tam præceps hinc abis, tam subito, tã sine armis, ut illos aggrediare quos quales sint nescis, Lucretia, illico huc ades, arma sua illi dejiciamus trans murum vides illa isthic jacentia. TRIST. Prehende fortiter scalas, Domine, ne cadas. Iam illi abierunt, erat Thraso tantum ille Loripes, & & ejusdem generis aliorum manipulus, transibunt isthac vociferando. Sosia jam redit. Prehende manu, tene utrinque scalas, here. CALL. Deus mihi propiti⁹ sit, pretii equidem, Confessio. TRIST. Accede extẽplo huc, Sosia, infelix noster her⁹ scalis procidit, neq; loquitur amplius neq; mẽbrũ ullũ movet! SOS. Here, Here, ad alterũ hoc ostiũ. Tã ille mortuus est q̃ sitavus meus. O ingens infortunium! LUCR. Audi, Audi, maximum hoc malum est. MEL. infelicissimam me, quid est quod illic audio! TRIST. O mi here & omne bonum meum! O Herus noster omnibus malis suis evolutus! O tristem mortem sine Confessione! Sosia cerebrum istud de lapidibus istis collige, & appone capiti infelicis nostri Heri. O inauspicatum dié, O præcipitem & insperatum finem! MELIB. O incõsolubile infortunium meum, quid hoc negotii est? Quid hoc? quomodo tam infeliciter accidere potuit, quod ego audio accidisse! Adjuva me, Lucretia, ut murum istum adscendam, ut ęrumnas meas videam, sin, movebo omnem familiam & domum Patris mei planctu & clamore: Omne bonum meum, omnis delectatio mea in fumum abiit, in ventos dispersa est. Hilaritas mea consumta est, Gloria mea evanuit. LUCR. Quid ais; anime mi Tristan, quid est quod plãgis sine omni remissione? TRIST. Deploro maximũ malum

malum meum, plango immanes meos dolores. Herus meus Callisto cecidit & exstinctus est: Caput ejus in tres partes dissiluit: Dic hoc illi recenti & tristissimæ amicæ ejus, ne deinde exspectet adventum miseri sui & miserandi Amatoris. Sosia tu isthinc pedibus cadaver suscipe, auferamus hinc corpus desideratissimi domini nostri; ne Honor etiam defuncti detrimenti aliquid capiat, neque quisquam norit hoc eum loco mortem oppetiisse. Sit abhinc nobiscum perpetuus dolor, numquam nos solitudo, desperatio, Luctus, tristitia, deserant, numquam lugubres vestitus, numquam mœror atque lacrymæ. MELIB. ô miserarum omnium miserrima! tam parvo tempore mihi tanta mea gaudia concessa sunt? Tam subito me æternus dolor occupavit! LUCR. Hera ne deturpes caput tuum, ne capillos discindas, nunc in Gaudiis, nunc in mœroribus? Quod sidus tam subito nos infortunio isto adflavit? Quanta hæc tua pusillanimitas est? Erige te per Deum, ne à Patre tuo loco tam suspecto jacens offendaris; jam ille te percipiet. Domina, Domina non audis non agnoscis vocem meā? Ne te ipsam morti addicas, misera; per Dei fidem, excita animum, cape fortitudinem ad tolerandum hūc dolorem, quæ tantæ audaciæ in conficiendâ tibi Voluptate fuisti! MELIB. Audisti Lucretia, quid illi servuli dixerint! Audis funebres illorum cantiones? Precando Deum respondentes sibi mutuo abstulerūt omne bonum meum: Interfectam abstulerunt omnē lætitiam meam! Non quicquam temporis jam Vitæ meæ superest. Cur non amplius gaudiis meis fruar? Cur non gavisa sum amplius, dum copia mihi ejus in manibus fuit. O ingratos mortalium animos! Num-

quam cognoſcitis bona veſtra, præterquam cum in poteſtate ea habere deſtitiſtis! LVCR. Excita vires tuas, Melibæa domina, reſtitue tibi vitam tuam, animum amiſſum recipe. Majus detrimentum erit offendere te hoc noctis in horto iſthîc, quam fuerit Voluptas quam ex adventu Amatoris tui concepiſti, etiam quam dolor iſte ſit quo defunctum, non immerito quidem plangis. Redeamus in cubiculum noſtrum, repone te in lectum tuum. Advocabo ego patrem tuum, fingamus aliud malum, quoniam nequaquam iſtud occultare poterimus.

ACTUS. XX.

ARGUMENTUM.

Lucretia pultato oſtio, cubiculo ſuo Pleberium evocat, rogata quid rei ſit, properato opus eſſe ait ut viſitatum eat filiam Melibæam. Surgit lecto Pater & cubiculum Filiæ intrat; ſolatur illam, rogans, quid mali patiatur? Fingit Melibæa dolores Cordis. Patrem ſuum poſt ablegat inſtrumenta aliqua Muſica allatum. Adſcendit comite Lucretia in turrim; ipſam mox & Lucretiam abſcedere jubet: Claudit illâ ſemotâ oſtium. Venit Pleberius ad pedem molis, recenſet & aperit illi Melibæa omnia quæ cum ipſa & Calliſtone tranſacta ſint. Ad finem præcipitem ſe turri deijciens mortem deſiderio amiſſi Amaſii oppetit.

PLEBE-

PLEBERIUS. LUCRETIA. MELIBÆA.

PL. Quid vis, Lucretia? Quid tam importuna & præceps postulas? tam omni modo turbata & tumultuans? Quid est quod Filiæ meæ accidit? Quod malum tam subitum esse poterit, ut neque vestiendi mei mihi spacium detur? Neque satis mihi temporis adsurgendum concesseris. LUCRET. Herc omnes moras abiice, quantum potes festina, si vivam eam videre cupis, neque malum ego illius, quale sit perspicere possum, neque illam ipsam fere jam agnosco, ita figuram omnem pristinam mutavit. PLEB. Eamus propere, propera illuc, intra tu prior, ostium hoc amove, fenestram istam bene aperi, ut vultum ejus clara luce videre possim! Quid isthuc rei est, Filia mea, quid doloris pateris: Quam repentinum hoc malum est, quam subitum, atque insperatum: Quo vires illas tuas perdidisti? quo animum omnem ex pectore? Adspice me contra. Pater tuus sum: Dic mihi caussam doloris tui, ut citius quam censeas curari, remediis adhibitis, possit? Nolis me tristissimo hoc fine sepulcro meo immittere! Nosti & memor esse debes aliud mihi bonum, præter te unicam, in hac vitâ non superesse. Aperi, reclude hilares illos tuos oculos, & me intuere: MELIB. Ah dolor, dolor! PLEB. Quis dolor meo par esse poterit, qui te dolentem adspicere cogor? Mater tua pene amens facta est malum tuũ audiendo, mœrore & turbatione nõ potuit lecto se tollere ut visitatũ te adesset. Reprende animũ tuũ, excita vires corporis, resume alacritatẽ tuam pristinã, uti mecum eam visitatum ire valeas. Dic mihi ani-

ma mea, caussam morbi tui, occasionem ægrimoniç tuæ! MELIB. Remedium meũ periit. PLEB. Filia mea charissima & optatissima senectute defecte patri tuo, per Deum te rogo ne patiaris desperationem animo tuo inducere morbi tui tormenta; flaccidis & pusillanimis pectoribus dolor duplex ex simplici accedit. Si malum tuum mihi recensueris, extemplo de medicina illi prospicietur: Neque pharmaca neque Medici nobis deerunt, neque famulorum copia, qui omnia malo tuo remedia exquirant, componãt, adferant; sit salus tua ope herbarum reparanda, sit gemmarum, sit verborum consolantium virtute, sit etiam ex animalium quorumlibet corporibus petenda. Igitur ne meum animum excrucies amplius, ne tormenta tormin ib. meis, ne pœnas pœnis, dolores doloribus adiicias, ne me commiseratione tui amentem fieri velis: dic mihi, exoptatissima filia mea, dic unicũ vivendi mihi solatium, quid est hoc tam præcipitis mali quod te vexat? MEL. Vulnus est medio cordis mei meditullio inflictum, quod loqui me nõ permittit. Non est par aut comparabile cuilibet cæterorum malorum; opus erit pectoris penetralibus exciso ipso corde meo, ut curari possit, quippe in Secretissimum ejus sinum adactum est. PLEB. nimis mature tibi senectutis malorum aliquod exantlandum objectum est, Iuventus tota solet esse Voluptas & Hilaritas, inimica omnibus tristitiæ vel suspicionibus: Surge paullulum isthinc, filia mea, eamus captatum sereniorẽ & limpidiorem auram de fluvio proximo: exhilarabere, recipies animum, ubi cum matre tuâ collocuta fueris. Dolor te tuus relinquet. Vide ne delectationẽ hanc fugias, non est malo tuo remedium promtius,

neque

neque mœrore gravius quippiam. Melib. Eamus quo jubes, Pater. Ascendamus turrim ipsam ut illinc delectabili aspectu navigiorum me recreē. Fortè remittet hoc pacto aliquid doloris vehementia. Pleb. Adscendamus, & nobiscum Lucretia. Melib. Hoc etiam Pater si tibi videbitur, jube afferatur instrumētnm aliquod Musicum, quo expellatur etiam aliquid mœroris & doloris mei, nunc fidibus nunc asśâ voce canatur; Vt cum ex unâ parte violentia me morbi assiliat, ex alterâ illam amoveant suavitate cantionū & Instrumentorum. Pleb. Istud filia mea, extemplo factum videbis; Ipse ego ibi mandatum ut illico apparetur uti postulasti. Mel. Amica mea Lucretia: valde altus hujus molis adscensus est; jam me male habet carere dębere alloquio Patris tā diu mei, Curre tu & indica illi, rogare me ad pedem turris hujus veniat, dicturam esse duo aut tria verba quæ matri meæ dicere oblita fuerim. Lucr. Eo Domina. Mel. Omnes jam submovi, ab omnibus libera relicta sum. Omnia optime ad conciliandam mihi mortem meā conveniunt. Aliquid allevamenti malum meum sentit, dum pro certo video tam cito nos conjungendos denuo esse, me & desideratissimum amasium meum, Callistonem. Occludam jam ostium, ut nemo ad me pervenire possit, qui mortem imminentem differre velit: non impediant mihi secessum ex hoc mundo, ex hâc vitâ, meum, non me in mediâ viâ morentur, quâ quidem, brevi admodum ab hinc tempore, hunc diē illum visitare in alterâ possim, qui me in hâc vitâ pręteritâ nocte invisit. Omnia ex voto meo convenerūt. Satis temporis habebo ut jam conclusam & constitutam mortem meam Domino meo Pleberio enarrare

rare possim. Maximam injuriam venerabili ejus caniciei infero, maximopere senectutem ejus offendo, maximum cordoliũ ipsi peccato meo infero: in horribili solitudine illum relinquo. Caussam ego procul dubio morte meâ datura sum illis, ut citius finẽ quoque senes parentes mei, sortiantur; ut quod restat vivendum ipsis, meo nomine decurtetur & incidatur. Sed quid? Alii fuerunt olim etiam crudeliores in parentes suos. Prusias Rex Bythiniæ, nullo dolore animi percitus, nullâ planè de caussâ patrem suum bonâ sponte suâ interfecit, Ptolemæus, Rex Ægypti, matrem simul & patrem suos, & fratres: & conjugẽ, solo amore unius puellæ. Orestes matrem Chlytemnestrã. Crudelissimus Imperatorum Nero matrem Agrippinam, sola Voluptate motus, occidi fecit. Hi digni sunt vituperio, hi merito suo culpabiles, hi verè Parricidæ nuncupantur. Secus ego, quæ si illis malè facio morte meâ, purgo per eam me culpâ, quam suis doloribus in me conferre poterant. Alios plurimos pariter crudeles vidit antiquitas, & memoriæ ejus nobis servarunt, Multi illic leguntur liberos & fratres suos interemisse, sub umbrâ quorum criminum error hic meus minime tam atrox videbitur. Philippus Rex Macedoniæ, Herodes Iudææ, Constantinus Imperator Romanorum, Laodice, Regina Cappadocię, & Medea illa Magicarum artium consultissima; At omnes isti liberos suos, ante sibi carissimos & gratissimos, occiderunt; ut ipsis vita in tuto esset. Ad finem memoriæ meæ succurrit insignis crudelitas Phraatis, Regis Parthorum, qui ne quis ab excessu ipsius successor Regni superstes maneret, interfecit Orodem, senecta ætate patrem suum unicum filium suum, &

triginta

triginta ipsos fratres suos. Ista fuerunt crimina culpâ verâ notanda, quoniam ut ipsi solum rerum & corporum suorũ tuti forent, interfecerunt majores suos, interfecerunt liberos etiam & fratres. Verissimum est, etiam si omnia ista sese hoc pacto habeant, meum non erat imitari illos in talibus, quibus ipsi peccarũt; At nõ integrum jam mihi hoc negotium est; ego amplius ipsamet in potestate meâ nõ sum. Tu, Domine, qui sermonis hujus mei testis eris, aspicies quam ego omnibus meis gubernãdę viribus spoliata sim, videbis quam ereptam libertatem meam captivam aliis cesserim, quam sensus mei omnes tam potenti Amore, mortui mei Amasii, percepti sint; qui quidem omnem illum mihi eximit quo parentibus meis antea eram devincta, & nunc quidem etiam sum, sed tantæ illius potentiæ hunc quoque cedere cogor. PLEB. Filia mea, Melibæa, quid sola isthic agis? Quid est quod mihi dictura es, vis illuc ad te adscendam? MEL. Exoptatissime mi pater, ne pugnes neque labores eò pervenire, ubi ego nunc sum, aliter enim turbaveris sermonem quem tibi modo dictura sum. Brevi tuũ cor tristitia induetur super morte unicæ filiæ tuæ; Finis meus appulit, adest hora quæ me omnibus ęrumnis meis exoneratura est, mœroris tui initiũ. Venit hora ubi ego charissimo sodali meo restituar; tu aũt in illætabili solitudine vivere incipias. Nõ opus tibi erit, honorandissime parens, instrumentis Musicis ad placandũ dolorem vivæ mihi, sed Cãpanarũ sono ad sepeliendam defunctã. Si me loquentẽ absq; lacrymis auditurus es, percipies ærũnabilẽ caussã violenti huj⁹ læti tamẽ atq; exoptati, à te discessus mei. Nõ interrũpas Voluntatẽ meã ploratu, aut verbis consolatricib.

 Sin,

Sin;manebit te planctus atrocior,cum ſcire ex nemine deinceps poteris cur me interfecerim,quam nunc ſequetur gnarum quâ occaſione mortem mihi ſumſerim.Nil quicquam me interroges, neque reſpondeas,amplius,quam ſponte tibi dictura ſum; nempe quod cum cor onuſtum eſt doloribus, oculi clauſi ſint conſiliis & admonitionibus:Et tali meo tempore verba tua,quæ ſedare furias dolorum voluerint, illas hauddubio facient furentiores. Audi ſenex Parens ultima verba mea,quæ ſi,ut ſpero,animo hauries, nō habebis culpare delictum meum: Audire & Videre potes triſte iſtud condolium quo univerſa civitas modo percellitur,auditu percipis triſtem hunc Campanarum clangorem; iſtum ſtrepitum populi; iſtos baubitus canum; iſtos armorum concurſantium tumultus;Omnis hujus mali ego unica & Sola cauſſa ſum:Ego luctu & lugubri habitu hodie involvi maximam partem urbanæ Nobilitatis. Ego multos ſervos hero ſuo ſpoliavi;ego Eleemoſynas multis orbis, pauperibus atque viduis,præcidi. Ego cauſſam dedi ut de vivorum numero in mortuorum cenſum receſſerit perfectiſſimus virtutibus Omnium qui umquā fuerunt Gratiis dotatiſſimus juvenis.Ego viventibus exemplar,Nobiliſſimi animi, ingenii ſubtiliſſimi, ad omne genus Comitatis & Vrbanitatis hominis incomparabilis,eripui: Ego ſola cauſſam dedi ut terra modo recipiat corpus generoſiſſimum, annos florētiſſimos,ejus adoleſcentis,cui parem noſtra iſta ætas non produxit.Et quoniam externatum te video tam immania mea facinora tam intricato à me ſermone audientem,clarius & ita ut abſque difficultate omnē percipere poſſis, rem indicabo. Aliquammulti dies exie-

exierunt cum Amore mei incensus est Eques nobilitatis Vrbanæ præcipuus, Callisto nomine, tibi omni dubio procul notissimus: Notissimi fuerunt tibi & parentes ejus, notissima generosæ stirpis successio. Virtus ejus & Bonitas nulli non manifestæ erant: Erat tantus Amoris ejus ardor, tam nulla planè mei cõveniendæ occasio, ut ad extremum desideria sua crediderit astutæ cuipiam & sagaci vetulæ, nomine Celestinæ: Hæc nomine ejus me accedens, secretum Amorem Callistonis mei mutuum pectore meo extraxit; aperui anui illi quod exoptatissimam matrẽ meã cælabam. Excogitata sunt artificia, ut clam conveniremus & desideriis mutuis frueremur, Conventum est, effectum nactus est Amor suum. Ille si me perditè amaret, non decipiebatur quopiam. Conclusa est dulcissimi Amoris exsecutio, quod libuit amanti à me habuit, Victa & superata Amore ejus introitum illi in domum tuam feci apertum, supervenit adjectis scalis murum horti tui, superavit castissimum votũ Virginitatis meæ, Florem meæ Virginitatis in sinu illius amisi: Delectabili hoc Amoris delicto fruiti sumus integrum hunc mensem: Cumque præteritâ istâ nocte, ut moris habebat, venisset, cum jam solita gaudia alteri alter amantium communicasset, ut cõsueveramus hoc tempore, cũ jã discessum pararet, Vt Fortuna mutabilis est, ut omnibus mortalium gaudiis in tristitiam repentinam commutandis læta est, ut dispositum erat infelicibus fatorum scitis, ut finis amorum tristis à Parcis constitutus; ut altitudo murorum ingens erat, ut Nox obscura, Scalæ admodum tenues, servitia, quæ comitabantur infelicem herum suum, non dexterrima ad hoc genus officiorum, ut ille re-

le repentè prosiliebat visum quid tumultuũ servi sui in plateâ facerent, cũ grandi illo impetu, quo descẽdere properabat, gradus scalarum non bene præviderat, errantem pedem in vacuum posuit, cecidit, cecidit, procidit Callisto meus, & cerebro illo suo, penitissimi capitis sui medullâ, parietes & silices hinc inde conspersit! Inciderunt Fata filum Vitæ ejus, abruperunt illi, sine Confessione necessariâ Vitam suam, ruperunt pariter Gloriam meam, ruperunt Spem, Vnicum mihi Sodalem meum eripuerunt! Ergo igitur quę crudelitas sit, exoptatissime parens meus, illum mori omnibus doloribus atque ærumnis liberum, me vivere velle tot earum nominibus undique lancinandam! Mors Callistonis mei me invitat, invitat meam, & cogit ut propere illam mihi quęram, ut absque omni dilatione eam mihi sumam: Ostendit mihi Spem meã, Votum mihi meum demonstrat, per omnia, trans omnia, ipsum sequi. Non dicatur de me vulgatum illud, mortuos & absentes nullo censu inter caros haberi: Sic vota ejus conficiã moriens, quoniam ut ea complerem viventi tempus non est concessum. O Amor meus, ô Animæ meæ Domine, Callisto, Exspecta me, jam eo, jam venio, corculum meũ, præstolare paullum, si me exspectas: Non incuses neque vituperes moram hanc post te in vitâ meam; nõ alio fine hic adhuc moror quam ut rationem discessus mei senibus parentibus meis reddam, quibus hoc etiam & alia majora omnia debeo. O Pater mi amatissime, rogo atque obsecro, si in ærumnosâ hâc & miserabili vitâ mihi Amorẽ paternũ servasti, jungantur corpora nostrá in unam sepulturam, junctim nobis exsequiæ corporum nostrorum ducantur. Aliqua ẽt con-

consolatoria tibi verba dicam ante desiderabilẽ obitum meum, collecta atque electa de antiquis illis libris, quos ad excitandum & illustrandum ingeniũ meum legere me dum tecum, dum tua unica filia, fui, jussisti: Verum jam perdita & disjecta est omnis mihi Memoria & Commemoratio mea, hoc ærumnabili casu, etiam exinde amplius, quod largum lacrymarũ fontem, malè hactenus pressarum, per rugosam faciem tuam in venerabilem barbæ tuæ canitiem descendere conspicor. Saluta ultimis mihi verbis meis carissimam atque Exoptatissimam matrem meam; sciat ex te totam seriem, caussamque omnem mortis à me mihi illatæ; grandis animi mei consolatio est, nõ videre eam hîc tecum præsentem. Accipe, pater, dona senectutis tuæ; longis quippe vitę diebus, longi etiam dolores tolerantur, recipe arras confectæ ætatis tuæ, recipe illuc amantissimam tibi filiam tuam. Maximum dolorem meô fatô patior, majorem tuô infortuniô, summum omniũ super ærumnis decrepitæ matris meæ. Deus tecum sit, sit quoque cum illâ; illi offero animam meam ; tu Sepulturæ trade Corpus hoc filiæ tuæ, quod istuc delabitur.

ACTUS. XXI.

ARGUMENTUM.

Pleberius in cubiculum suum reversus maximo ejulatu omnia complet. Rogat illum Alisa conjux caussam tam repentini mali. Recenset ipsi mortem Vnica communis filiæ Melibææ, ostendens cadaver ipsius, totum in frusta collapsum. Perficiens planctum suum, librum concludit.

ALISA.

ALISA. PLEBERIVS.

AL. Quid isthuc rei est, Domine Pleberi? quid volunt sibi tristifici illi tam immanes ejulatus tui? Absque omni sensu eram, indormiveram ægritudini quam capiebam audiens malè habere filiam nostrã. Nunc planctus tuos percipiendo, tam claros clamores tuos audiendo, tuas minime consuetas querellas, tam altos atque diros gemitus tuos, tantoperè imis meis visceribus perculsa sum, tam immanibus doloribus cor meum transfactum est, ita sensus omnes mei obruti atque conturbati sunt, ut jam veteris illius ægrimoniæ pene, recentis hujus admiratione, oblivi-scar. Dolor dolorem trudit, Dolentiam dolentia exigit: Dic mihi caussam tantorum tuorum malorum, cur affligis honorabilem senectutem tuam, cur mortem velut absentem invocas? Cur canitiem tuam deturpas? Cur caput venerabile tuum collidis? Estne aliquid factũ Melibæâ nostrâ? Per Deum dicas mihi, nam si illi male erit, vitam ego mihi acerbam arbitrabor. PLEB. Ah, ah, generosa cõjux mea. Omnia nostra gaudia una tempestas abstulit. Omne bonum nostrũ funditus eversum est; nil habemus quare vivere deinceps velimus. Et uti improvisus & minime speratus dolor majori te pœna excruciet, omnia mala jungamus quæ nec metuere possimus, ut eo properantius sub terram eas, ne ego solus tam immane infortuniũ fleam, ut fleamus ambo, quod ambobus commune accidit, vide illic, intuere illic filiam tuam, quam tu peperisti, quam ego autẽ genui, in frustra collapsam. Caussam mortis suæ illa mihi ipsamet indicavit, amplius illam universam ex hâc infelici ejus famulâ percepi,

cepi,

cepi,adjuva me, adſiſte mihi ejulatib. ut triſtem nobis mortem ad funus filiæ noſtræ conficiamus. O qui huc adeſtis, Domini, cognati, amici mei, adſitis mihi ærumnoſiſſimo, partem dolorum meorũ in vos recipiatis! O filia mea unica, ô omne bonũ meum, crudeliſſima crudelitas ſit poſt defunctã te vivere me velle! Digniores erant ſexcenti mei anni ſepulturâ, quã viginti tui! Turbatus eſt ordo mortalitatis properato funere tuo. O canities mea, in hoc prolata, ut ægrè Senectuti meæ eſſet, potius vos recipiat terra iſta, quã rubicundam illam filiæ meæ cæſariem, quam iſthic jacentem videre cogor! Magna vis Senectutis meæ eſt, magnum robur defectu ætatis meæ ut vivere nũc etiam poſſim! Incuſo ego mortis moras, conqueror immenſum de tarditate ejus! quãtum adhuc temporis ſoli mihi relinquet, te viduo, te ſpoliato! Deſerat me Vita, quoniam tua me præſentia deſernit! O Cõjux mea, ſurge de Cadavere filiæ tuæ, & ſiquid vitale exſucco tuo corpori ſupereſt conſume id mecum in triſtiſſimos gemitus, in ſuſpiria, in planctus inconſolabiles! Quod ſi forte Spiritus tuus, filiam tuam comitaturus, jam exceſſit, ſi jamdum vitam hãc vi mœroris reliquiſti, cur voluiſti manere me ſolum omnẽ iſtum triſtitiæ cumulum? In hoc potior fœminarum veſtra conditio eſt, quam noſtra virorum, quod immanis aliquis dolor abſque ſenſu vos mundo iſto eruere poſſit, ad minimum ſenſus dolendo amittitis, quæ & ipſa pars refrigerii eſt. O Duriſſimum pectus Patris, quo pacto dolore nõ rũperis? Iã unicâ hærede tua ſpoliatum es? Quo eduxi cælo turres? cur honorem ſummum in meâ Republicâ indeptus ſum? Cui arbores iſtas plantavi, cui conſtruxi navigia? O terra
duriſ-

durissima, quo pacto me sustines; ubi consolationem inveniet inconsolabilis senectus mea? O Fortuna variabilis, ministra & dispensatrix temporalium bonorum; cur non exsecuta es crudelem diramque iram tuam in illo quod tui juris tibique subjectum est? Cur facultates meas, cur Patrimonii censum non destruxisti? Cur ædes meas incendio non sustulisti? Cur nō evertisti magnifica prædia mea? Saltem florentem hanc unicam plantam mihi intactam reliquisses, in quām ditionis tibi nihil erat! Dedisses mihi, ô fluctibus marinis incertior Fortuna, tristem juventutem! dedisses lætam senectam! non perverteres rerum naturalem ordinem! Potius malignitatem tuā & insultus impios in robustum ætatem meam exercuisses, non in flaccidos hos ultimæ vitæ meæ dies! O Vita ęrumnis plenissima, ô miseriarum omni genere effertissima! O Vita Humana, ô Orbis viventium mortalium, plurimi plurima de te dixerunt, multi in scrutādis negotiis tuis animos manusque suas occuparunt, diversa & varia auditui de te recitarunt. Ego hoc recensebo quod ærumnabilis experientia me docuit, ut ille, cui non bene successerunt nundinarum tuarū infelicium venditiones, & emtiones, ut is qui studio hucusque tacuit falsas tuas & deceptrices proprietates, ingenium tuum dolosum & turbidum, ne impotentem iram tuam irritaret, ne incenderet insaniam; uti ne mihi florem illum unicum absq; tempore tolleres, quem hodie crudelissime imperio tuo ejecisti, regno tuo pręcipitasti. Nunc igitur, posito timore, ut qui amplius nihil habeat quod amittere possit, ut qui jam odio habeat & fastidiat possessionem omnium bonorum tuorum, ut egenus viator, qui absque metu in-

tu in-

tu insidiantium latronũ alta voce canens, iter institutum carpit, Laudes tuas omnibus palam facere non renuam. Ego in ętate meâ tenerâ, juvenantibus annis, persuasum habebam facta tua ad aliquam regulam procedere, aliquo ordine tuam rotam circumvolvi. Iam adversam aversamque tuam inconstantiam intueri valens, fateor videri te mihi inemeabilem errorum Labyrinthum, Desertum horrendum, domicilium ferarum immanium, Curriculum in orbem in remissum, lamã & lacunã cæno oppletã, agrũ plenum spinis, montem præruptum, campum lapidosum, pratum scatens serpentibus, Hortum floridũ sed absque fructu, Fontem sollicitudinum, fluviũ lacrimatum, pelagus miseriarum, Laborem sine utilitate, dulce venenum, Spem vanam, Gaudium falsum, Verum dolorem. Inescas nos, ô Vita humana, falsis epulis delectationum tuarum, cum optime iis quis frui velit aperitur hamus sub cibo latens: Nemo dolos tuos effugerit, venata tu cepisti illico ut nascimur, Cupiditates nostras. Plurima promittis, nihil servas. Projicis nos extra te, ne possimus poscere ut pollicitationes tuas rebus firmes. Currimus per infecta Vitijs spatia pratorum tuorum, immissis frænis, parum de Eventibus rerum sollicito animo. Aperis nobis insidias tuas cum retroverti jam non datur. Multi te ultro reliquerunt, deseri abs te metuentes. Felices hi sibi videbuntur ubi intelligent quo præmio ærumnosum hunc senem ob tam prolixa in te officia: ipsius affeceris. Oculum nobis excutis; & consolationibus ungere vacuum cupis hiatum! Omnibus malè facis, ne quisquam, solus adversitatibus exagitatus, conqueri possit; dictitando, insigne

insigne miseris, quorum & ego hodie numerum augere coactus, ærumnarum esse solatium, paria aliorũ infortunia audire. Verum ah miserrimam senectutẽ meam! etiam soli mihi infelicitas hęc objicitur, nemo miseriarum mearum socius est! Neque si memoriam omnium retro temporum excutiam, jungamq; præsentium calamitatũ considerationem, vel unum mihi ærumnis parem invenerim! Si illa Paulli Æmilii Patientia & severitas animi consolatum me veniat, sex diebus duorum filiorum funeribus elatis non turbata, ingerendo, tantum illi Fortitudinis & Constantiæ superfuisse, ut in tristib. liberorum suorum exsequiis Populum Romanum ipse consolari potuerit, nec populus ipsi adesse opus habuerit, non hoc mihi Exemplum ullo loco satisfecerit. Alii illi duo filii supervivebant, adoptione in aliam familiam dati. Quomodo æquari meis poterunt infortunia Periculis Imperatoris Atheniensium, & magnanimi illius Xenophontis? Filios hi suos amiserunt dum peregrè vivũt. Neque magna res fuit vultum idcirco non mutare, & frontem servare serenam, tum quod alter homini qui tristem illum nuntium de morte filii attulerat, respondit, ne ipse animi propterea angeretur, sibi nullam caussam doloris esse. Vtraque hæc longe ab atrocitate mei luctus recedunt. Porro multo minus dicere poteris, O Vita mortalium, catena perpetuorum malorum, Anaxagoram paria mecũ passum esse, pares itaque & consolationes nostras esse debere; meq; hoc ad mortem Filiæ meæ dicere convenire quod ille super filio suo extulit, Vt ego mortalis sum ita me mortalem etiam genuisse non ignorabam: Melibæa enim mea, Filia mea unica Melibęa, sese ipsam interemit,

mit, suâ sponte, idque in oculis meis, violentissimo Amoris igne percita, qui illam intus conficiebat, Alter ille in licito atque pro patriâ bello pugnans interfectus est! O damnum incomparabile, ô miserrimũ senem! Quãtô amplius solatium inquiro, minus Rationis solando mihi invenio. Quod si Rex David filiolum suum, quem ægrotantem ploraverat; defunctum plorare non voluit, dicens stoliditatem esse irrecuperabilibus rebus lacrymas commodare; supererant chorus ipsi integer liberorum, quorum aspectu vulnus unius morte illatum sanescere ipsi poterat. Ego verò tristissimis meis oculis; inconsolabili meo pectore non mortuam hãc, sed mortis genus defleo, caussamque tam infelicis obitus doleo. Perdam jam ego tecum, ô desideratissima filia mea, metus omnes & pavores qui quotidianis me timoribus excruciabant; sola mors tua est quæ omnib. suspicionib. malorũ accidentiũ me liberavit. Quid faciã ubi cubiculũ tuum intravero, ubi virgineos illos secessus tuos? Cũ omnia ista desolata, te nuspiam invenero? Quid faciã cum vocata non respondebis? Quis resarcire mihi immane hoc damnum, quod obitus tuus fecit, poterit? Nemo umquam mortaliam tantum uspiam amisit; quantum ego hodierno die! Quamquam aliquo pacto similis videri possit animositas Fortissimi viri, Latibæ de Auriâ, Genuensium quondam Ducis, Qui Filium suum lethali vulnere percussum suis manibus de navi in mare præcipitem projecit; Hæ tamen omnes sunt mortes quæ, cum necessitas extrema incubuit, fama fortunæ injurias extinguere voluerũt. Verum filiam meam unicam quis mori coegit præter A-

morem illum vehementiſſimum? Igitur, aſſentatrix Vita mortalium quod remedium mœrentiſſimæ ſenectuti meæ relinquis, quo pacto ex me poſcis in te ut maneam, qui falſimonias tuas, tuas deceptiones, retia, plagas, catenas, quibus recentium in te hominum ſtolidas cupiditates, & imbellia deſideria capis, tam liquido cognoverim! Quorſum ponis, quo loco mihi collocas deſideratiſſimam filiam meam? Quis deſolatam domum meam jam frequentaturus, quis ſolitudinẽ & orbitatẽ meã celebraturus eſt? Quis permulcebit annos meos jã de ponte velut projiciendos! O Amor, Amor, nõ credidiſſem tantũ tibi crudelitatis, tãtũ roboris ineſſe ut ſubditi atq; cultores tui à te occiderentur! Per te vulnerata eſt Iuventus mea, per medias ardorum tuorum flammas, velut candentium carbonum, me erupi. Ah quam crudeli vindictâ ultus es magnanimitatem meam; quia juventâ ętate te effugi, nunc ſenem me tantis involvis infelicitatibus! Confidebam laqueis me tuis jam elapſum eſſe, cum Quadraginta annorum ætatem attigiſſem, cum Conjugali meâ Venere contentus, alibi delicias tuas non quæſivi amplius, cum eo me fructu dotatum cernerem, quo tua me hodie ſpoliavit crudelitas. Non putaram te delicta parentum poſteritati ipſorum imputaturum, aut vindictam ipſorum ſoboli exacturum, Non comminiſcor an ferro ferias an igne comburas. Tunicarum involucris parcis, at corda mortalium in penitis pectorum penetralibus lancinas! Cogis miſeros fædas res amare, dum propulcris haberi facis Quis tãtum tibi potentiæ tribuit? Quis nomen illud factis tuis & Naturæ contrarium tibi

tibi imposuit? Si Amor esses, cultores utiq; tuos amares! Si amares illos nequaquam tantis doloribus cōficeres! Si sine doloribus illi vivere possent, non interficerent sese, ut nunc fecit desideratissima istæc misera mea filia. Quem finem adepti sunt Discipuli tui, quem ministri ipsorum? & falsimoniis dolisque composita decrepita illa Lena, Celestina? Mortua est vulneribus fidelissimorum suorum sodalium, quos umquam ad venenata tua Officia expediunda invenire potuit. Illi truncati carnificis manibus, capitibus, perierunt, Callisto casu interiit, tristissima & infelicissima filia mea ipsa sibi mortem conscivit, ut illum sequeretur. Horum omnium sol⁹ tu Caussa caputque es. Dulce tibi vocabulum imposuerunt, amara sunt facta tua. Non æqualibus præmiis cultores tuos accipis. Iniqua lex est ea quæ in omnes non eadem est; Nomen tuum exhilarat animos, Effectus tui eosdem contristant. Felices fortunatique illi soli sunt quos tu non cognovisti, aut quorum curam non attigisti! Deum te appellant alii, nescio quo errore sensibus suis tum spoliati: Vide quis ille Deus perhiberi valeat qui, quos educavit, occidit! tu interimis illos qui te sequuntur. Hostis & perduellis es omni bonæ Rationi. Qui minimum tibi officiorum aut servitiorum præstant, eos maximis, qui plurimum, aut minimis, aut penitus nullis præmiis afficis; Hos etiam magna securitate animi inducis periculosissimis tuis Choreis istis. Inimice amicorum, amice inimicorum tuorum, cur extra omnem regulam atque ordinem fata tua cursumque

decurris? Cæcum te pingunt, pauperem, nudum, & infantem. Arcum manui tuæ aptant, quo icias non ad oculorum aciem, quæ nulli tibi sunt; sed ad palpationem manuum! Cæciores ipsô te sunt ministri tui, qui numquam neque vident neque sentiunt clara cultus tui salaria. Ignis tuus fulguris flammis armatus est, numquam vestigium vulneris relinquit, quocunque loco percusserit. Materia quâ flamma tua pascitur humanorum mortalium animæ atque Vitæ sunt. Tot earum millia à te consumta atque perdita sunt, ut à quibus, numerum eorum initurus, initium facere debeam, perspicere non possim: Non Christianos solum, sed & Iudæos, & Gentiles conficis; omnes in compensationem fideliũ suorum servitiorum. Quid dices mihi de Maciâ illo nostrorum temporum, quomodo amori suo immortuus est? Tristissimi ejus finis unica tu caussa fuisti! Quid pro te non fecit Paris? quid Helena? Quid Hypermnestra? Quid Ægysthus? quorum fabulas omnis Mundus novit? Porro quo pacto sapphô, Ariadnæ, Leandro cultum egregii tui numinis rependisti? Nec Davidi ipsi cum Salomone furor tuus parcere potuit! Per amicitiam tuam Samson luit quod meritus erat, quoniam illi adhibuerat fidem, cui dandam eam tu persuaseras: Liceat infinita talium nomina recensere nisi insuperabile meum ad sese infortunium me retraheret. Satis privato meo mihi malorum est. Nunc de Mundo conqueror quod creatus in illum umquam veni; Si in hunc natus non fuissem non gemissem in eo filiam meam Melibæam: Si & illa nata non fuisset, neque amore capta fuisset, si num-

quam

quam filia mea amasset, jam non ego ad has infortutas meas querelas adigeror, non hoc inconsolabili fine ultimos meos dies clauderem! O mea infelix solitudo, ô in mille frusta disjecta, unica mea filia; cur noluisti me impedire & interturbare mortem tuam? Cur non miseræ, & miserabilissimæ te, matris tuæ, misertum est? Cur tam crudelem te erga decrepitum parentem tuum exhibuisti? Cur me in immensis his ærumnis reliquisti? Vt me nunc solum desolatum, omnis solatii exsortem videam in perpetuâ hâc ærumnarum valle!

* * *

FINIS.



VLTIMA VERBA MELIBÆÆ AD PARENTEM PLEBERIVM PRIVS-QVAM, POST CASV MORtuum Amasium suum Callistonem, se turri præcipitaret. Ex Hispanico Ludo, Celestinâ.

EX LIBRIS SILVARVM. CASP. BARTHII.

SI quicquam nobis, Genitor, tua sancta Voluntas,
Antideà gratum Vitâ bene fecit in istâ,
Has te ego per voces, hoc non iterabile carmen,
Testor ego! tumidi ne turbes Pectoris orsa,
Neu frustrà huc, cara cum matre, adscendere tentes.
Namque prius cupidis quam cedam Filia Parcis,
Hinc tibi ego amplexus, hinc ultima gaudia, dicam.
Vnica te tua te, Pater, unica Nata, dolore,
Ah cito, chare Pater, tua te unica Nata, dolore.
Induet infando: Mihi adest mea proxima finis.
Proxima nostra quies, tuus est labor: Hora petitum.
Solamen nobis dabit ultima, sed tibi planctus.
Ipsa Comes charis abeo modo manibus; at tu.
Solus edes charâ cum Matre cor! ambo relicti!
Nec cupias nostris aliter dare justa querellis;
Musica neu liquidis instaures Orgia Chordis,
Sola dabit functis acceptos Præfica cantus.
Turre procul celsâ æs resonabile nostrum.
Funus; uti patrio succedam more sepulcrum!

Si lacrymis sine, si enormi sine carmina fletu
Accipies, jam causa tibi manifesta patebit.
Sin; muta ad mutas descendam protinus umbras:
Ne cupias patriis morituram avertere dictis!
Luctus ubi æternis damnavit pectora Pœnis.
Consilium omne procul, procul omnem absiste medelam.
Non tibi ceu vivæ solanda pericula Natæ
O Genitor! tibi nata fuit; da in funus odores!
Fructificum nil jam Sapientia dicta movebunt.
Omnia me circum nox insuperabilis, & Lux
Detestata tenent: Via casu in Fata sequenda est!
Chare senex, mea verba suprema, mea ultima verba.
Conde animo; dulci sit promtum ignoscere culpæ.
Audis qui totâ dolor undique personet urbe?
Audis quos magno plangunt clamore tumultus
Ærisonæ turres, atque æmulæ tympana luctu!
Audis confusæ circum vaga murmura Plebis?
Et tristeis fletus, & non reparabile votum?
Ipsi pone canes communi urgente fragore
Responsant, gemitumque animalia bruta reponunt!
Non stabilis vox ulla silet; furor undique planctus
Instat in ingenteis, turbataque mœnia versat?
Non ferus objecto tibi lucera secula cornu
Projicit, aut tacito, Pan, turbine pectora quassat!
Caussa ego sum Luctus, tantorum ego Caussa malorum.
Sum, tua nata. Pater, O nata indigne peremtâ.
Ipsa ego Luctificis incinxi vestibus Vrbem,
Ipsa ego purpureis Equitum tot millia cristis.
Discinxi; spoliata Deum me templa figuris.
Curia me Sancto poscit depulsa Senatu.
Orbi me Domino famuli, me servus herum vi
Nudus agit! Sequor in mortem, & mea fata prehendo.

Ah me quid propius vulnus crudele retractem!
Flos hominum, Flos ille hominum, mea maxima Cura.
Me duce tristificas Erebi descendit ad Vmbras,
Me duce primævæ Ver liquit amabile Vitæ.
Me duce, me, me, unâ duce Nobilitatis & alti.
Ingenii defluxit honos: Ego Nobile Mundi
Delicium, cui nulla pareis dat Gratia cultus.
Nulla venus Veneres, nullus decus oris Apollo,
Ah crudelis ego, damnavi immitibus umbris!
Purpuream Corpus, roseæ Violaria Peithus;
Oscula, flammanteis optabile fulgur, ocellos,
Palladis hospitium, nulli æquiparabile, pectus,
Auspice me tellus premit immortalibus umbris.
Ille Decus rerum; Virtutum Gloria Princeps,
Occubat; & nomen, Genitor, vis scire? Calisto.
Hæc tua Virgineis an Nata locuta labellis
O Genitor, censetur adhuc? cape in ordine crimen.
Dum licet, hæc nemo, me functâ, edicere quibit!
Multa dies abiit nostro cum captus Amore.
Virgineos thalamos juvenili pectore pressit.
Quem modo crudelis rapuerunt stamina fati.
Notus erat cunctis, mihi notior, ah male! soli,
Notus & ille tibi, primævo flore, Calisto,
Nobilium princeps Iuvenum; quid cætera dicam?
Flexit Amor paribus Melibæam illumque sagittis.
Convenere thoro: facti mihi conscia tædas.
Legitimas præluxit anus; ea cæsa repente.
Principium æterni fuit ærumnabile Luctus.
Me Pudor hæc charos voluit celare parentes,
Ast anui ignotæ iussit dare nota Cupido.
Quid memorem extremis acerrima gaudia in horis?
Virginitas spoliata mea est, interque nitentis.
Amplexus juvenis mulier tua facta puella est!

Hac adeo, hesternâ, repetentem gaudia, nocte.
Infelix Lapsus gradibus dejecit iniquis.
Occubuit nostro numquam moriturus Amore!
Illum trux Fortuna suâ impietate trucidat,
Me meus ardor agit; sequar in mea fata receptum.
Nox ut erat obscura, ignota via, orbibus ingens.
Altis structa domus, cecidit! mea crimen amarum.
Ædis habet; cerebro tincta infelicis Ephebi est!
Crudelis paries! cur non ultoribus horrens.
Ignibus exuro monumentum, & signa resigno?
Nunc ubi chare Pater tibi fata immitia dixi.
Indigno juvenis nostri morientis Amore;
Quid superest nisi ut ipsa in amati funera funus.
Projiciam, & charo mea corpore membra recondam?
Mors mea me sistet quo non pote perdita Vita.
Exsuam ita æternas Curas, ita flebile pondus.
Exhausti lacrymis in pectora pectoris abdam.
Non mea crudeleis augebit Fama puellas,
Nec cum fortuna victum dabo Tempori Amorem!
Iam mihi nil superest, jam puncta novissima lapsi.
Temporis excedunt ævum, meque ipsa retento.
O Amor, ô Mea Lux, ô Spes mea, ô unica Vita.
Præstolare tuam; jam nil, Melibæa, moratur,
Iam Patriam, Patriumque diem Patremque Saluto,
Et Materna meis vagitibus ubera nota.
Æternum superi valeant, aveantque sepulti.
Chare cape hanc animam, tuam io cape, chare Calisto,
Illibatam animam, & solito me amplectere Amore!

FINIS.

C. BARTHI.

AD

PORNOBO-SCODIDASCALUM, LATINUM SUUM.

ANIMADVERSIONES TRALATITIÆ.



C. BARTHI.

AD PORNO-BOSCODIDASCA-LUM SUUM.

ANIMADVERSIONES.



AGNI illius Heracliti,] fuit sanè opinio ejus ingens, & doctrina ipsa, etiamsi paucis perspecta penitius, multis tamē commendata, De Vitâ & scitis multis Laertius libro Nono. Suida, Hesychius Illustrius, alii. Quidni verò merito suo magnus habeatur, qui cæteris omnibus mortalibus Avaritia & Luxuriæ rictu velut pessumdatis, Solus eorum numero se eximere ausus est? Sic enim contemsit omnia talia ut à Dario Rege Regum invitatus venire in cōtubernium Aulæ toto tum terrarum orbe splendidissimę rescribere aus⁹ sit hęc verba. ὁκόσοι τυγχάνουσιν ὄντες ἐπιχρόνιοι, τῆς μὲν ἀληθείας καὶ δικαιοπραγμοσύνης ἀπέχονται, ἀπλησίῃ δὲ καὶ δοξοκοπίῃ προσέχουσι, κακῆς ἕνεκα ἀνοίης. ἐγὼ δὲ ἀμνησίαν ἔχων πάσης πονηρίης, καὶ κόρον φεύγων παντὸς οἰκειουμένου φθόνου, καὶ διὰ τὸ περιΐστασθαι ὑπερηφανίας οὐκ ἂν

ἀφικοίμην

ἀφικοίμην εἰσ περσῶν χώρην, ὀλίγοις ἀρκεόμενος κατ' ἐμὴν γνώμην. *Quotquot mortales in terris vivunt, justitiam & Veritatem negligunt, avaritiæ & inani Gloriæ inexplebiliter se mancipant, ob mali judicii dementiam. Ego autem omnem nequitiam procul ponens, fastidiumque devitans omnis invidiæ domesticæ, quæ splendorem comitari solet, numquam in Persiam terram venerim paucis contentus, quæ meæ menti congrua sunt.* Sententiam hominis verè divini; quam cum vitâ ipsâmet expressit, videor mihi Antistitum Christianorum aliquem legere de Contemtu rerum talium verba facientem: Sed & alia minime plurium hominum sapuit Heraclitus, etiam Natura paucis ingenioforũ & industriorum hominum secundus. Qui enim tam præter cæteros sapuit, doctorem nullum habuit. Suida. ἡράκλειτος. οὗτος ἐμαθήτευσεν οὐδενὶ τῶν φιλοσόφων; φύσει δὲ καὶ ἐπιμελείᾳ ἠσκήθα. Sic doctrina ejus vulgo scripta non erat, ob brevitatem dictionis visa obscurior, unde cognomen σκοτεινοῦ, cum autem perdidicisset quis, minimè difficilis. Hesychius Illustrius. λαμπρὸς δ' ἐν τοῖς συγγράμμασι καὶ σαφής, ὥστε καὶ τὸν νωθρέστατον ῥᾳδίως γνῶναι, καὶ δίαρμα ψυχῆς λαβεῖν. ἥ τε βραχύτης καὶ τὸ βάρος τῆς ἑρμηνείας ἀσύγκριτον. *Dilucidus alioquin & perspicuus in scriptis est ut etiam quamvis tardo homini obvius intellectu sit, & in mentem facile penetret, verum stili brevitas & gravitas incõparabilis est.* Hoc ille contra cæteros qui obscuritatem in scriptis hujus Philosophi ferè abominati sunt. Sic solent enim Græci nihil non dicere quod non & de proximò confutent ipsi, velut Suida de hoc ipso, qui post modò à nobis adscripta verba non veretur etiam doctores Heracliti enumerare. & Hesychius qui cum *terram fusilem* dixisse modo posuisset, mox, sui oblitus, nihil de illâ scivisse asserit. Præclara autem alia hujusdem

dem dicta & scita exstant. Hominis de se suisque virtutibus conceptam opinionem sacrum morbum appellavit, auctore Hesychio. In idem flumen hominẽ nullum descendere, quo dicto acutissimè temporis celeritatem notavit, quod refertur à Platone in Cratylo, & Seneca Epistola. LVIII. Animam hominis inperscrutabilem esse, quod Lucretius recenset, & Tertullianus de Animâ. Cap. II. Quo sane scito egregiè stolidorum Sophistarum argutationes elusit, & alia ejus eadem materiâ ab eodem Tertulliano illic recensentur. Acutum est quod idem lib. II. in Marcionem cap. XXVIII. refert, Eamdem viam esse sursum & deorsum, Quod eò ego referendum arbitror quod persuasit Heraclitus omnibus, omnia constare ex repugnantibus & contrariis. Vide tamen alia apud Plotinum libro. περὶ τῆς εἰς τὰ σώματα καθόδου τῆς ψυχῆς, qui liber Octavus est Enneadis. IV. Idem scivit Rationem humanam à divina pendere, quæ mundum regit ac moderatur. Chalcidius Commentario in Timæum: Heraclitus, consentientibus Stoicis, Rationẽ nostram cum divina Ratione connectit, regente ac moderante mundana, propter inseparabilem Comitatum, consciam decreti Rationabilis factam quiescentibus animis opere sensuum futura denunciare. Inscitiam ejus accusat ex genere mortis Tatianus Oratione in Græcos, τούτου μὲν, inquit, τὴν ἀμαθίαν ὁ θάνατος διήλεγξεν. ὕδρωπι γὰρ συσχεθεὶς καὶ τὴν ἰατρικὴν, ὡς φιλοσοφίαν ἐπιτηδεύσας, βολβίτοις τε περιπλάσας ἑαυτὸν, τῆς κόπρου κρατυνθείσης συνολκάς τε τοῦ παντὸς ἀπεργασαμένης σώματος σπασθεὶς ἐτελεύτησε. A canibus comestũ scribit ex Neanthe Diogenes, eumque secutus Hesychius. Porro Omnia

hic

hic Philoſophus ſub unius Naturæ dominio cenſuiſſe videtur, velut gubernatricis cunctorum: Liber enim περὶ φύσεως tractavit ſimul τὰ περὶ τοῦ παντὸς Theologumena, & Politica, ut tradit idem Laertius, quo pacto Ethicæ ſeu Philoſophię Practicę omnia aſtrinxiſſe Socratem alibi docuimus: Et tanta uni huic auctoritas fuit ut paucis paginis ſectam fecerit Heracliteorum, qui κυρίας ſuas δόξας ex uno hujus Commentario περὶ φύσεως duxerunt. Quem quidem, quia intelligi noluerit, magna ſecuritate omittendum cenſuit Cicero lib. III. de Nat. Deorum, qua Ratione paucos Theologos non manibus hominum præcipue non litteratiſſimorum, excuſſerit. Inter nobilia hujus ſcita etiam Chriſtianiſmo maximè congruit Corporis contemtus, quod ille itidem nihili faciendum docebat, Georgius Cedrenus Epitomâ Annalium. Ἡράκλειτος καὶ αὐτὸς σχεδὸν σύμφωνα τῷ Πυθαγόρᾳ φθεγξάμενος. ἔφη δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι πάντη τοῦ σώματος χρεὼν ὀλιγωρεῖν, καὶ νομίζειν αὐτὸ κοπρίων ἐκβλητότερον, καὶ ἐκ τοῦ ῥᾷστου πληροῦν αὐτοῦ τὰς θεραπείας, ἕως ἂν ὁ θεὸς ὥσπερ ὀργάνῳ τῷ σώματι χρῆσθαι ἐπιτάττῃ. Idem quod de Igne pronuntiavit ex eo omnia nata fuiſſe, pulcrè ab Lactantio confutatum videtur. lib. II. Divini. Inſtit. cap. X. aquam nimirum nulla ratione ab eo produci potuiſſe. *Heraclitus*, ait Scriptor elegantiſſimus, *ex igne nata eſſe omnia dixit, Thales Mileſius ex aquâ: Vterque vidit aliquid, ſed erravit tamen uterque; quod alterutrum ſi ſolum fuiſſet, neque aqua naſci ex igne potuiſſet, neque rurſus ignis ex aqua. Sed eſt verius ſimul ex utroque permiſto cuncta generari*, &c. Quæ ibi pulcerrimè ęventilantur, ex Varrone, ut aliunde documenta

menta sumimus,ubi & scitum illud secundum litem omnia fieri,exponitur. Theologia hujus auctoris in sacrorum mysteriis fuisse occupatior videtur eluminandis; quo pertinet quod obscæna talia eo auctore confirmat Arnobius lib. V. Eum toti Græciæ enarrandis talibus adfuisse memorans. Alia alibi; non enim vel ista huc pertinent.

Omnia secundum litem fiunt.] sciti hujus veritatem enarrat omnis Physiologia. Nihil enim est quod non contendendo vivat; cum Morti ipsi semper pugnet vita. Vitam numquam non Mors impetat. Sic calorem vincere laborat frigus, frigus à calore superari contenditur,unde Vitalis temperies utriusq; mixtim manentibus,deducitur. Quicquid alteri succedit,illi contrarium est,nihil autem in Rerũ Natura est quod perpetuum sit aut tenorem servet,sed omnia interiũt, ut alia omnia resurgant. Orbis hic est stationem deserentium & pulsis succedentium. Hoc certamen dũ certatur,vivitur; Superante altero contrarium alterũ evanescit,quo rursus expulso prius redit in pugnam; & Temperiem eo usque facit,donec sede dejiciat alterũ. Huic Poetæ dictũ *discors concordia fœtibus apta est.*

Quod enarrat Lactantius libro.II. Cap.x.Consule præter Physicos cæteros Eclogas Ioan. Stobæi; & Plutarchi utilissimos libellos περί ἀρεσκόντων. Quos qui in talibus tenuerit,æquiore animo veterum fere omnium Physicorum amissa Commentaria desiderabit.

Esse fœtam aliquo.] nucleo quopiam ex mediâ Vitâ petito,aut ad eam instruendam utili;aut denique cõsideratione interiori Sapientię evolvendo.Hoc enim est quo differunt Sapientum hominum scripta à Lar-

valibus

valibus deblaterationibus Sophistarum, qui hodie tales sunt; qui cum Vetustatis nullam omnino cognitionem habeant, lyra eadem semper oberrãt, scilicet quod nolint ea dediscere in senectute quæ pueri futilia combiberunt, ut queritur Petronius. De hoc autem libro planè verè hoc pronuntiaveris; parum illi verborum sine nucleo aliquo tali inesse. Vt in hanc solam partem peccare videri possit, dum Vtilia & proficua ubique urget, parum personarum considerandarum memor. Vt observabis prçcipuè in Parmenone, Sempronio, & Tristane, quibus tales rerum considerationes & ex ijs sententiæ adscribuntur, ut summi Philosophi meliores in mediũ dare non possint. De Cælestinâ alia res, quæ tot annos pro Excusatione inducere possit. Tamen talem mulierem de Laudibus Vini disserentem malim audire, aut quomodo Callisto emungendus sit servulis, quam ubi etiam de divinis rebus Philosopha sententia ei dicenda datur.

Sententiæ pro testimoniis.] Ciceronis est lib. XVI. Familiarium de Euripide, scenico Philosopho.

Francisco Petrarcha.] Est ab Italo hoc, puto. Petrarcha autem utpote primus ferè, qui contemtis deliriis Sophistarum veræ Eruditioni de libris priscorũ Lumen erexit; omni ævo nobile nomen habere meretur. Vitam ejus descripsit Hieronymus Squarzaficus: laudabili operâ: Vt omnes tales posteritati utique quam commendatissimi erunt qui clarorum hominum historias memoriæ conservabunt; eo quidem etiam magis, quo rariores erunt: Non enim hæc tanta felicitas cujusque ingenium capit. Insignem etiam laudem merentur qui Eruditorum virorum Nomina, scri-

na, Scripta & Obitus Historiarum Voluminibus intexunt, ut fecit omnium seculorum Vitam meritus scriptor, I. Augustus Thuanus. & quantilla tali alicui sit talis opera, qui Famam ipsemet suam ad Postéros omni alii Felicitati pospo suerit: Petrarchæ autem ipsa verba à nobis posita sunt, nō enim Hispanicè nobis interpretanda visa , ut ex uno labore duplicem conficeremus.

Elephas tremit aspectum muris.] PLinius libro VIII. ca. X. *Elephanti animalium maxime odere murem & si pabulum in præsepio positum attingi ab eo videre, fastidiunt*, Suem vel maximè Elefanto formidari testantur alii. Georgius Pisides, versu. DCCCCXLIX.

> καὶ τῶν ἐλεφάντων ἐκφοβοῦσι τὸ κράτος
> τὰ μικρὰ γρυλλίζοντα τῶν χοίρων βρέφη.

Ælianum lege, qui & quibus delectentur floribus nimirum, venustis mulieribus, & aliis, suavissimis suis libellis adnotavit.

Basiliscum.] multa Græci Latinique de hoc animali fabulati sunt; etiam Recentium libri non pauca notant, tamen res universa similis commentitiæ est, Venustissimis versibus Nicander singulares illius noxias & magnitudinem etiam describit. Theriacis:

> Τεκμαίρου δ' ὀλίγον μὲν, ἀτὰρ προφερέστατον ἄλλων.
> Ἑρπηστῶν βασιλῆα: τὸ μὲν δέμας ὀξυκάρηνος
> Ξανθὸς, ἐπὶ τρία δῶρα φέρων μῆκός τε καὶ ἰθὺν
> Οὐκ ἄρα δὴ κείνου σπειραχθέα κνώδαλα γαίης
> Ἰϋγὴν μίμνουσιν ὅτ' ἐς νομὸν ἠὲ καὶ ὕλην
> Ἠὲ καὶ ἀρδηθμοῖο μεσημβρινὸν αἴξαντος
> Μείρονται, φύζῃ δὲ παλιντροπέες φορέονται.
> Τύμματι δ' ἐπρήσθη φωτὸς δέμας, αἱ δ' ἀπὸ γυίων
> Σάρκες ἀπορρείουσι πελιδναί τε ζοφεραί τε

Οὐδὲ

Οὐδὲ τις οὐδ' οἰωνὸς ὑπὲρ νέκυν ἴχνια τείνας
Αἰγύπιοι γῦπές τε κόραξ τ' ὀμβρήρεα κρώζων,
Οὐδέ μεν ὅσσα τε φῦλ' ὀνομάζεται οὔρεσι θηρῶν;
Δαίνυνται, τοῖσιν περ ἀϋτμια δεινὸν ἐφείη.
Ειδ', ὀλόη βούβρωσις ἀιδρείηφι πελάσσει
Αὐτοῦ οἱ θάνατός τε καὶ ὠκέα μοῖρα τέτυκται.

Quos ita interpretatus est. Euritius Cordus.

Nunc modicum, at dominum serpentum perspice Regem.
Eminet argutum caput, est flavo ipse colore.
Et tribus extenso porrectus corpore palmis.
Illius auditos exspectant nulla susurros
Quantumvis magnas sinuent, animalia, spiras.
Quando vel in pastum vel opacæ devia silvæ,
Irriguosve locos media sub luce diei
Excascendenti succensa furore feruntur.
Sed turpi conversa fugæ dant terga retrorsum.
Quod ferit hic, multo corpus succenditur igne.
A membris resoluta suis caro defluit, & fit
Lurida, & obscuro nigrescit opaca colore.
Nullæ etiam volucres, quæ fœda cadavera pascunt
Sic occisum hominem tangunt, vt vultur; & omnes
Huic similes aliæ; pluviæ quoq; nuntius auræ
Corvus; nec quæcunq; fera per devia lustra
Degunt, è tali capiunt sibi pabula carne.
Tam teter vacuas odor hinc exhalat in auras,
Atque propinquantes penetrat non segniter artus:
Sin cogente fame veniens approximet ales
Tristia fata refert, celeremque ex aëre mortem.

Quos Latinos versus eo libentius adscripsi ut error eorum furcilletur qui interpretationē Nicandri Theriacôn istam in Editione Hexametrorum I. Gorræo adscribere voluerunt, cuius caput fuisse arbitror

Iacobum Lectium cum Euritius Cordus, Valerii Pater diu ante eam promulgarit abs se conscriptam. Pariter errant iidem librarii Dum Alexipharmacon translationem Gerræo cuipiam adfingunt, quam emisit cum prolixo prologo de Venenis ad I. Bellaium Ioannes Gorræus Parisiensis.

Vipera] Viperæ hanc historiam pulcrè depingit Prudentius in Hamartigeniâ.--*vipera, ut ajunt,*

Dentibus emoritur fusæ per viscera prolis.
Mater morte suâ, non sexu fertilis, aut de
Concubitu distenta Vterum; sed cum calet igni
Percita fœmineo, moriturum obscœna maritum.
Ore sitit patulo, caput inserit ille trilingue.
Conjugis in fauces, atque oscula fervidus intrat.
Insinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta, voluptatis vi saucia, mordicus haustum
Frangit Amatoris, blanda inter fœdera, guttur.
Infusasque bibit, charo prreunte, Salivas.
His Pater illecebris consumitur, at genitricem
Clausa necat soboles. Nam postquam semine adultę.
Incipiunt calidis corpuscula parva latebris
Serpere motatumque uterum vibrata ferire,
Æstuat interno Pietatis crimine Mater.
Carnificemque gemit; damnati conscia sexus.
Progeniem septi rumpentem obstacula Partus.
Nam quia nascendi nullus patet exitus, alvus
Fœtibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tamdem obitu altricis prodit grex ille dolorum.
Ingressum Vitæ vix eluctatus, & ortum
Per scelus exsculpens lambunt natale cadaver
Reptantes catuli, proles, dum nascitur orba,
Haud experta diem miseræ nisi posthuma matri.

Philes,

Ἔχις δὲ θερμὸς προσπλακεὶς τῇ συζύγῳ
Καὶ τὸν τέως ἥδιστον ἀρ' ἀνύσας γάμον,
Κεῖται φονευθεὶς ὑπαὶ τῆς ἐρασρίας
Τούτου σὺν ὀργῇ λανθανόντως ἐχομένης,
Σοβαρὸν τ' ἐκείνου ἐκτεμούσης αὐχένα,
Πλὴν ἀλλ' ὁ μὲν τέθνηκεν, ἡ δὲ νῦν κύει.
Μετὰ δὲ μικρὸν τιν' αὐτὰ τα βρέφη χρόνον
Τὴν μητρικὴν ῥήξαντα νηδὺν ἐξέσαν
Μὴ γοῦν τετιμώρηκε τῷ φυτοσπόρῳ;

Quos miserabiles Iambos ita Ioachimus Camerarius, eo tempore plusculum otiosus, interpretatus est.

Circumplicatus compari Mas vipera.
Postquam peregit nuptias suavissimas,
Iacet peremtus cæde dirâ conjugis.
Namque vxor iram clam tenens, amplexibus
In mutuis viri occupat morsu caput,
Illoque mortuo ipsa prægnans redditur
Sed paullulum adolescens propago pervicax
Materna rumpit exeundo viscera
Numquid satoris ulta letum fortiter?

Inepte Philes de irâ viperæ, per amorē enim hoc fit, & alioquin miri nihil esset. Sed totus is liber talis est. Mirum mihi ornatissimum Poetam Nicandrum hoc iis quæ exstant non attigisse. Michael Glycas Tomo. I. Annalium auctor est in aliis eum mentionē fecisse, cujus verba sunt: *Quod si de serpentum quorumdam naturâ cupis aliquid cognoscere, Nicander supra cæteros te docebit. Tradit is in suis Poematis primum hæc de viperis:* Femella *maris caput insertum ori suo recipiens, eôque pactô re cum ipso habitâ, marem necat. Itaque vindicandi, quemadmodum sanè*

 videtur,

videtur, Patris caussa fœtus deinde matrem vicißim occidunt; nam tempore partus alvum maternum perrumpunt, atque ita in lucem prodeunt. Ea de caußa præcursor ille domini Iudæos viperinam sobolem appellabat, ut qui vates patresque suos occidissent. Orus Apollo lib. II. τέκνα ἐπιβουλεύοντα ταῖς μητράσι σημῆναι βουλόμενοι ἔχιδναν ζωγραφοῦσιν, αὕτη γὰρ ἐν τῇ ** οὐ τίκτεται, ἀλλὰ ἐκβιβρώσκουσα τὴν γαστέρα τῆς μητρὸς ἐκπορεύεται. Sic habent duæ veteres Ori Editiones Parisienses, altera MD.XXI. Altera. M.D.LI. promulgata, nec opus Merceri & aliorum longe petitis correctionibus. Lege mecum. αὕτη γὰρ τῇ σῇ οὐ τίκτεται Matris vocabulum ἀπὸ κοινοῦ repetendum fascinavit librarios. Viperæ hanc fabulam sæpè in ore habent Patres, quã veram tamen esse negant alii, ut summæ eruditionis & judicij minimè vulgaris scriptor Ioannes Brodęus Miscellaneor. lib. III. cap. XXVIII. Nos in ambiguo tamdiu & hanc & alias tales relinquemus: quamdiu non erit qui vidisse sese demonstrare possit: Nam alioquin quid non permiserunt sibi in hoc genere Græci scriptores? Ipsius Aristotelis nullis Commentariis minus Experientia respondet quam quos de Animalibus commentatus est. Plinius aliud nihil agit quam quod exscribit, & adjicit Romanos auctores Græcis, sæpè & indiligentiæ interpres notatus. Ælianus stili deliciis servit, parum sollicitus etiam pugnantia cõmentari. Quale est quod nunc de Elefanto succurrit: Eum semel tantum in Vita Venerem experiri scribit lib. VIII. cap. XVII. Cui tradito ipse aliis locis contrarium asserit. Nec recentiorum in hoc genere fides multum certior, qui velut jurati illis nituntur quæ Antiquitas magis laudavit quam credidit.

quot quantaque nec in aëre.] Sane piscium species plures

plures esse quam avium & Quadrupedum facilè crediderim, quorum CLXXVI. genera ponit, alibi LXXIV. crustis non tectorum Plinius, quot sane numero aerem & tellurem, reptilibus demtis, vix habere autumes. Exstat de Piscibus fragmentum Ovidii nomine venditatum, quod ego tamen illius genuinum non puto, nec obstat PLinii in eo pene verba reperiri: Cum totus scripti genius alia tempora indicet, & PLinium utique potius exscripserit is auctor: Quod facilè videbit qui fragmenti initium, prorsus Ovidii temporibus, ne ingenio dicam, indignum, considerabit. Ego in dubiis scriptoribus Nemesiano adsertum ire conatus sum.

Lucanus.] libro. VI. Echeneidem describit Ælianus libro. II. cap. XVII. πελάγιος ἰχθὺς τὴν νῆξιν, τὴν ὄψιν μέλας, τὸ μῆκος κατὰ τὴν μεμετρημένην ἔγχελυν, λαχὼν ἐξ ὧν δρᾷ τὸ ὄνομα. θεούσῃ νηὶ· καὶ μάλα γε ἐξουρίας, καὶ τῶν ἱςίων κεκολπωμένων προσφθαρεὶς, καὶ τῆς πρύμνης τὸ ἄκρον δακὼν ὥσπερ οὖν ἵππον ςομίῳ ἀπειθῆ, καὶ τραχὺν σκληρῷ βιαιόΤατα ἀνακρούσας, ἀναςέλλει τῆς ὁρμῆς, καὶ πεδήσας ἔχει Καὶ μάτην μὲν τὰ ἱςία πάντα πέπρησαι, εἰσ οὐδὲν δὲ φυσῶσιν οἱ ἄνεμοι. ἄχος δὲ ἔχει τοὺς πλέοντας. συνιᾶσι, δὲ οἱ ναῦται, καὶ τῆς νεὼς γνωρίζουσι τὸ πάθος. καὶ ἐντεῦθεν ἐκτήσατο τὸ ὄνομα, ἐχενηίδα γὰρ καλοῦσιν οἱ πεπειραμένοι. *Echeneis pelagius piscis, aspectu niger, longitudine cum mediocri anguilla equali, nomen à rebus quas agit habet, ab inhibendis videlicet navibus: Navis enim secundo Vento & plenis velis propulsæ extremam puppim mordicus premens, tamquam indomitum atque effrenatum Equum freno forti inhibens, violentissimè ab impetu reprimit, & constrictam*

attinet: frustraque ventis Vela dantur, frustra venti adflant, quæ res vectores angit, & sollicitos vehementer habet. Nautæ vero Rei caussam intelligunt; Hinc nomen impositum pisci, quem ejus vim experti Echeneidem vocant, hoc est remoram & obicem quempiam navalem. Exemplum navis hoc pisciculo retentæ ponit Gulielmus Rondeletius, nos tamen alios novimus parum cum Theocriti illo, τεχυπιθεῖς, qui aliam quamvis detentæ navis caussam ponant.

Ruch nomine.] de Avi hac scribit Paullus Venetus, paucis tamen; Cujus etiam non certa verba post alii in immensum & quidem pro certâ historiam ipsam extulerunt; ne videlicet eô minus experti aut vidisse censeri possint. Et pari modo videtur omnia miracula quæ de animantibus Græci scriptores tradiderunt, in seculum venisse: Primus enim cujusque auctor timidè & velut conjecturâ quid proposuit, supervenere primum unus aliquis, post plures, ingeniosiores, qui quam maxime potuerunt, stili coloribus credibile facere contenderunt, quod falsum esse non ignorabant, eo solum fine ut gloriosorum auctorum titulis, quo pacto ea gens omnium ambitiosissima & vanissima semper fuit, ipsi Posteritati commẽdarentur. Ea ratione nullũ non mare, nullã nõ insulã, nullũ fluviũ, nullã regionem, aerẽ ipsum & Cælum prodigiis ij scriptores impleverunt. Tam stupidi & rerum alioquin inconsulti inexpertesque, uti Herodoti ætate etiam dubitatũ fuerit an foret Oceanus, vel an figmẽto Homerico in memoriam venisset: Insignis auctor harum Nugarum confutandarũ est Lucianus, cujus, si citra Veritatis Lucem clarissimam esset, neque singulari Dei beneficio Nox omnibus doctrinis Cælestibus demta, ingenium nõ abnuerem contrà omnes Sophi-

Sophistas, Oratores Poetas, Physicos, Ethicos, Theologos, omnemque adeò Philosophiam Paganam laudare; Nulla enim hujus pars est quam ille non ita irrideat, ut ejus Vanitas defendi ultrà nequeat; modo Veritatis assertor fuisset talis, qualis destructor tot anilium fabularum fuit.

Ædificiorum structiones.] Pars humanæ Vanitatis in istis non minima; omnia agere ut monumenta ædificentur non facile collapsura; ad extremum omnino tamen. His Christiani videmur sanè ipsis Mahumetanis desipientiores, illi enim Legumlatoris, impurissimi licet, hoc tamen non inepto mandato parentes, parum de talibus sollicitos animos habent, contenti tecto ab injuriis cæli defendente, eo etiã Paullo, doctori nostro, obtemperatiores qui ad vitam Christianè vivendam sufficere pastum & tegmen membrorum præcipit priore ad Timotheum c. VI. Quo nos omnis vera Philosophia ducit, etiam Pagana, ut contenti simus Usu corporis, nec Velut illi æternitatem debẽtes, ejus bona sectemur, sed cogitemus intra nos esse verum hominem, cui verum etiam cultum debeamus, reliqua caduca transire, ad nos parum facientia. Sic Pagani panem & aquam sufficere humanæ Vitæ monuerunt, ut pulcerrimè Lucanus libro. IV.

——o prodiga rerum
Luxuries, numquam parvo contenta paratu.
Discite quam parvo liceat producere Vitam
Et quantum Natura petat:---gurgite puro
Vita redit; satis est populis fluviusque Ceresque.

Eodem pertinet quod inculcant etiam Rationib. nobis nostri Christiani scriptores. Columbanus ad Hunaldum.

O Nimium felix parcus cui sufficit Usus,
Corporis ut Curam moderamine temperet æquo.
Nec miserâ capitur cæcâque Cupidine rerum,
Nec majora Cupit quam quæ Natura reposcit.

Radulfus Ardentius Homiliâ.XXIII. *Fugiamus nos, fratres, hoc grande vitium, non Gulæ, sed Naturæ satisfacientes; Iuxta illud Philosophi: sint Epulæ vicisse famem* Vide in hanc egregiam considerationem plura apud Dacryanum Opusculo Vltimo Documentorum, Maximum Tyrium Dissertat.xx. Arrianum Epicteti libr.II. c.XXII. Dionem Chrysostomum lib.IV. de Regno. Iustinũ ex Trogo.libro.xx.Vbi Pythgoræorum dogma tale recenset, Fabritium, Imperatorem Romanum apud Dionysium Alicarnassæum in Excerptis Legationũ. Pythagoræ ipsius Epistolã ad Hieronẽ. Ioannẽ Stobæũ Eclog. Physicarũ lib.II. c.IV.ex PLutarcho. Horatiũ lib.I.Serm.Eclogâ.III.Senecam Epistola XXV.& xc.Manlium initio lib.IV. Astronom.Georgiũ Palamam declamatione Animæ contrà Corpus. Boethiũ lib.III. de Consol. Philos. cap.III. Eucherium ad Valerianum, qui aureolus liber verbatim memoriæ commendandus sit. Ausonium Epicedio Patris. Rogerium, ut volunt, de Contemtu Mundi, cap.XII. Ioannem Cassianum libro.III.Collat cap.VIII.Marcum Antonium libro.V. De Officio Suo. Ioannem Sinaitam, qui auctor est Historiæ Barlaami & Iosaphat, minime à G. Trapezuntio, sed à veteri quodam monacho in Latium deductæ, ut alibi ostendimus.&c.

Senes cum mille.] Senectus morbus ipsa est & morbis in-

bis infinitis subjecta. Sic aram omnium dolorum, & officinam vocat Antiphanes Comicus.

προς γαρ το γηρας, ώσπερ εργαστήριον
Άπαντα τ' ανθρώπεια προσφοιτα κακά.
Τό γηρας ώσπερ βωμός έστι των κακων,
Πάντ' ές ίδειν ές τουτο καταπεφευγότα.

Xenocrates in Axiocho. εις τό γηρας παν συρρει τό της φύσεως επίκηρον και δυσαλθές. Democriti est Senium omnimodam imperfectionem esse. Per omnia molestum, Pherecratis, Omnib. exosum, Mimnermi, hospitium plurimarum calamitatum. Euripidis. Senem nihil nisi umbram & vocem esse Mimnermi. Nullam tantam dolendi caussam esse quam quæ à Senectute inferatur, Mentem vanam senibus, opera inutilia esse, Curas supervacuas, Sophoclis. Innocentius in libro de Contemtu Vitæ humanæ prolixius vituperationem exigit, & Stobæus Sermone. CXIII.

Luxurians adolescentia.] Certè vel huic soli scriptus sit liber iste Aureolus, quæ magno Numinis favore tantum sapiat ut hujus monita non legat aut intelligat saltim, sed & in Vitá sequatur. Nihili sunt omnes Sapientum sententiæ nuda velut severitate præcipiendi compositæ. Liber iste ad quid utile sit prudentem esse adolescentem docet, nimirum ut singula meretricum & Lenarum verba mortifera tela esse norit, neque ullo modo illis credere velit, si talem exitum cavere, qualis hic Callistonem sequitur. Sic gradus scelerũ per totũ librum deducti sunt primum Amorem caveat illegitimum; Si illo captus fuerit, caveat puellam honestam compellare verbis pro-

bis profanis, impuris, impiis, Si amorem omnino incidit, alia omnia quam inhonesta remedia adhibeat potius: Caveat præcipuè suorum servorum & Conciliatricum anuum consilia; hi enim omnes prętio ejus inhiant, & adfectui subscalpũt, emolumento suo. Quod si hoc non fecerit cum omnibus administris suis male peribit, ut opus tamdem Plebeio sene sit culpam Amori rescribente.

ordinem dictionis infamat.] verba sunt Petronii Arbitri, cujus Satiricon si integrum ad nos pervenisset, fortasse Latinitas non haberet quod soboli suæ Hispanismo, licet insessoribus tori genialis etiam ab Africâ alijs, invideret hodie. Non enim alio vel fine vel modo lusit disertissimus ille Arbiter, quamquã obscænius loquendum ei fuerit, qui seculum ut tum erat posteritati depingere voluit. Illud mirum mihi tot post eum sęculis neminem extitisse qui paria in mores magnatum apud Romanos scriberet. Si enim unos Iuliani Apostatæ Cæsares excipias, quorum tamen & ipsorum longè alius finis est, reliquum nihil suppeditabit universa Antiquitas quod Petroniano scripto componas. Nos verò melius nihil Latio proponere in eodem genere potuimus quam translationem hanc Celestinæ, cujus fabula & sermo suà linguâ principem locum tenent, nec facilè alius quippiam dignius composuerit.

ad hibernum ignem.] focũ. Hujus aũt generis fabulæ sunt apud Antonium Eslavã in libro Hispanico qui *Noches de Invierno* inscribitur, quarum nos quasdam etiam indidem in Milesiarum nostrarum Narrationes retulimus. Fictitiæ quidem illæ omnes, & sæpè veras historias fictionibus involventes, nõ tamen id-

circo

circo contemni merentes, cum non diffiteantur titulo, quod opere facessunt. Quo in genere Herodoto injurios fuisse plurimos Antiquorum censorum existimo, illi enim fabulosa scripsisse obiicitur, & vere quidem, at immerenti; siquidem ille hoc curaverit. Certum enim est fabulas ut fabulas immiscuisse eam Sirenem neque errore aut decipiendi animo; quo enim alio fine titulos Operis sui à Poetis mutuatus est, quam ut testaretur Posteritati leporem etiam dictionis suæ, lepidis sese aliquandó Fictionibus commondasse? Quæ quidem res inobservata apud nasutos Cēsores illi negotium fecit; immerito quidem, ut dictū, vel sola tituli excusatione, át alioquin etiam communi Græcorum Historicorum privilegio, quibus plerumque similem esse Poeticæ licentiam auctor est Quintilianus. libro. II. cap. IV.

locosque communes.] Loci communes sunt Regiones velut quædam aut spatia, data & præfixa materiis singulis tractandis, quo congeritur quicquid ad eam faciens lectio, observatio, usus, aut Meditatio suggerūt. Hoc genere vulgo nunc utuntur velut penu quoddam stipandæ & promendę eruditionis, ego vero nequaquā me umq̄ assuefacere talib. potui neq; tamē in aliis damnavi. De Veterum locis Communibus & Rhetoricis lege Victorinum Commentario in libr. II. Rhetor. Ciceronis. Empronium Rhetorem libro de Ethopoeiâ & Loco Communi: Prisciani Progymnasmatum ex Hermogene Cōmentationem: Quintilianum non uno loco denique & nonnihil, quamquam alia ea à præsenti res est, apud Ludov. Cresollium in Theatro Rhetorum libro. III. cap. VIII. Cui ele-

elegantissimo libro utinam plures similes procuderentur hodie.

Dicta sententiasque Philosophorum.] Horum gratiâ utique insigniter commendabile hoc scriptū est, quod non solum loquatur, sed personis etiam ingerat Sapientię usum. Sic ergo argumētetur lector, hunc Ludū diligenter, nec semel, evolvens: Dicta & Sententiæ hic tales sunt qualium observatio beatè & innocenter, laudabiliter etiam, vivere faciat: Contemtus illaudatam vitam turpi fine claudat. Exemplar hujus dent Sempronius, Parmeno, Celestina, Callisto, Melibæa: Illius quilibet sese ipsum exhibeat; caveat Luxuriæ & Libidinis Retia de quibus tota hæc scriptio est, & pulcrè monet Cebes in Tabulâ; qui eis sese subjiciat ab illis comedi atq; injuriis omnibus affici, ad extremum bonis profusis infinitis pœnis lacerari, tamdemque contumelioso fine perire. Vide & edisce eum aureolum libellum.

Ludum hunc.] *Ludum* vocavi Ausonii imitatione, qui suum Septem sapientum hoc titulo insignivit, quoniam Comœdiam aut Tragœdiam dicere non poterat, & tamen Personæ loquentes introducebantur, idque carmine; Hic vero Ludus vel maximè ideo mihi sapere videtur quod ut populo prodesset meli9 etiam genera omnia carminum contemsit; quamquā Hispanismo non adeo fuerint difficiles Iambi; ut periculum nos aliquando fecimus, & specimen dare non abnuerimus etiam hoc loco; Eccos Amatorios Sex-septem, quibus alloqui Callisto aliquis Melibæam suam velit.

Hermosa Perla, Margarita d' India,
Señora doña, donde riquezas suyas

Natura

Natura con favor supremo compusò;
Yo lastimado mil dolencias malas
Mil paßiones dentro corazon mio
Agora sufro: donde mi malo viene
Mia pena dura espero remedios tuyos.

Vides quam Latinis auribus insolens illa barbara, ipsius quidem respectu, Venustas numeros minimè abhorreat. Idem Iudicium capias de cæteris Lyricis metrorum generibus , & sit speciminis loco, colon hoc Alcaicum, quod novæ rei & à nobis primum excogitatæ, utique ab aliis frequẽtandæ felix dare possit auspicium. Ad Cupidinem.

Bravoso niño, madre, Venus, suya
Y gratioso, mil Charites, choro,
Oyd quexas de vuesso amigo,
Antes Amor que diesse muerte.

Hoc modo per omnia cætera redire Castellanas Gratias liceat.

Auctori autem primo visum.] non ignorandum est Lectori duos scriptores hujus Ludi esse, alterum verum scriptorem, cujus nomẽ ignoratur, suspicio autẽ eruditissimorum hominum & fuisse vel Ioannem de Menâ: vel Rodericum Cotam: Alterum qui interpolavit deinde, Ferdinandum de Roiâs qui nomen suũ Posteros latere noluit pulcerrimis quos operi præposuit rythmis, quorum initiales litteras hoc prodere jussit, & indicavit subditis fini ipso libri aliis, istis ; siquidem non illi potius Alphonsi de Proazâ sunt.

Ne quiere mi pluma, ni manda vazon.
Que quede la fama de aqueste gran hombre,
Ni su digna gloria, ni su claro nombre.
Cubierto de olvido; por nuessa ocasion.

Porende

Porende juntemos de cada renglon
De sus onze coplas la letra primera,
Las quales descubren por sabia manera
Su nombre, su tierra, su clara nation.

Vndecim autem istorum colorum litteræ Hispanicæ hoc à nobis Latinè ex usu hodierno datum nomen indicant. Baccalaureus Ferdinandus de Roiâs. composuit Comoediam de Callistone & Melibæâ. Fuit natus in Burgo Montalbani. Quamquam dubitare possis se natum in illâ Burgo an librum ibidem abs se scriptum dicere velit. Alphonsi autem Proazæ rythmi sic Latinè Sonant.

Nec meus hic calamus, Ratio nec grata legendi
Auctoris patitur nomen habere situm.
Gloria sed clarique decus cum laude Laboris
Attollunt meritum clara per ora virûm.
Ergo principium sectans de carminis orsis,
Præposuit scripto quod catus ille suo.
Litterulas primas descendens ordine, junge,
Sic genus & nomen noveris: & Patriam.

Loquitur autem hoc præfationis nostræ loco Ferdinandus iste Roias, qui & dedicationis ad Amicum quempiam suum cujus initium est *Suelen los que de sus tierras*, scriptor est; Mediolani; ut indidem discas, tum degens: Eam autem, Mediolanensem scilicet, Editionem ego non habui, hæc Latinè transscribens, sed solam PLantinianam, quæ & satis incorrecta est, meo quidem exemplari; quamquam, quod & miror, alia viderim diligentius revisa; Oportet igitur ab amicis illis meis Lugduni Batavorum pendente prælo quædam

dam Exemplaria divendita sint, alia enim ratio non erit, ejusdem operis eandem Editionem mendosam & emendem esse.

nimis brevis.] Indicare hic lectori volo secundam intereà dum hæc universi litterati orbis plausibus excipitur, Celestinæ partem in Hispaniâ fabricatam esse, quam exinde delatam tum recens vidi in manibus egregii viri Sabastiani Mederi Brisgovii, Illustrissimo tum Principi Badensi à Consiliis, nunc vero non habeo in potestate, ubi indeptus fuero non dubitabo & illam Latino Orbi proponere. Benè autem sit manibus, si quidem à vivis jam abiit, Roiæ illius quæ jucundissimis & aptissimis suis interpolationibus commendabilius etiam facere nobilissimum scriptum voluit.

TITVLO. *temerariis & vagis.*] *desordenado*: cui par Latinitas non habet, præcipue vi sensus. Hispanismo enim familiare est Latinis verbis longe efficacius uti quam ipsi auctores sint. Sic in ordinem redigere contrarium huic; Latinitas pro officii sui admonere, & illa subdere usurpat, istud autem minimè satis eadem licet voce, expresserit. *Disordinatus*, enim nequaquam tantum valet quantum istud *desordenado*. Quod contemtum quemdam ordinis secum contumeliosum infert.

Dearumque instar venerantur.] Græcorum & Latinorum vatum pleni talib. libri. Lege Septimum Anthologiæ librum.

ARGVMENTO.

TEnerè educatus.] *de linda criança*: Potest etiam ad comitatem seu civilitatē & urbanitatē interpretari.

conciliatrice Cælestinâ.] Isidorus Originum libro x.

Conciliatrix ob sotietatem flagitiosæ consensionis dicta, eò quod intercurrat alienumque nundinet corpus. *Hanc etiam & lenonem vocant.* Plautus Milite Glorioso.--*viduam esse censui.*

Itaque ancilla, conciliatrix quæ erat, dicebat mihi.

Lucilius:

Multis inde loci sermonibus concelebrabit.

Ætatem & faciem ut saga & bona conciliatrix.

Ejus officium vide sis sequentibus Lucilii versib. ut quidem illi summo ingenio à Iano Dusâ Patre compositi leguntur. Quo loco lena amatorem non aliter puellæ conciliare scribitur, atque Parmenonem isthic Areusæ Actu Septimo. Ineptè conciliatrix Apuleii Conciliatrice tali Exponitur libro. V. ab iis quidem hominibus qui falcem in nostram messem immiserunt apud eum auctorem , nobis materiam præripientes videlicet. Sed nostrum opus aliarum rerum est. Porro illud etiam monere volui nomina nos Personarum maluisse Hispano hodierno more scribere quam in Latinas regulas contorquere? ut eo facilius agnoscerentur, Et cætera quidem satis concinnè Auctor noster adscivit , Sempronium autem vilissimo servulo dedisse equidem miror, cui rei intercesserint Gracchi.

Argumento Actus Primi.

F*Alconem suum.*] retinui nomen quod omnibus Idiotismis inhæret. *Falco* autem Romano sermone hominem notat digitis introrsum recurvis. Festus. *Falcones dicuntur quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati, à similitudine falcis.* Hinc Accipitres curvis unguibus eo nomine censuerunt posteriores, quos Itali Capos aliquando nuncuparunt, à Capiendo scilicet. Isidorus lib. XII. *Capus Italâ linguâ dicitur à capiendo, Hunc nostri Falconem vocant eò quod incurvis digitis sit.* Admonet

me locus iſte Iſidori notare eo jam dum tempore aliã à Latinâ fuiſſe linguam Italicam, quod & ex Nonio licet obſervare, utique antiquiore, quem & Priſcianus pro locuplete jam Grammatico citat, cap. 11. num. CLXXVII. Et certarunt ſententiis ſuper hoc olim doctiſſimi viri Franc. Philelphus, Leon. Aretinus, Andreas Alciatus, alii. Nobis clare tale quid Iſidori & Nonii verba inferre videntur, quibus quo pacto cõtradici poſſit nemo facile comminiſcatur. Superiore argumento parum caute dixit de Melibæâ. *por ſolicitud del pungido Calliſto vencido el caſto propoſito della.* Cum potius incantationibus veneficæ Celeſtinæ illa devicta ſit, quibus utique opus non fuiſſet, ſi alioquin Melibæa conſenſura votis Calliſtonis.---*quandoque bonus dormitat homerus.*

ACTV. I.

L*ocô tam ſecretô.*] vide vehemẽtiam Amoris qui juvenem cogit ea dicere quæ minimè ex re ipſius erant. Facile enim poterat expendere non conſenſurã illam turpitudini votorum ſuorum, tam promto animo. Et alioquin Amatoriorum ſcriptores talibus cavendum in primo aditu præcipiunt.

ſatis mirari non poſſum.] adjeci hæc illuſtrandæ ſententiæ quæ paucis ſuo ſermone concepta, vix multis Latinè proferri poteſt. Notum autem non poſſe amantes Amaſiarum conſpectu ſeſe ſatiare, quin ſemper eas velint contra tueri. Vnde Sappho felicem cẽſuit qui quæve amatum vultu a ſemper intueri poſſet, quam ſecutus in eodem eſt Catullus. Sappho

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν.]
Εμμεν' ἀνὴρ ὅςις ἐναντίον τοι
Ιζάνει καὶ πλασίον ἁδὺ φωνεύ-
σας ὑπακούει.

Catullus.

Ille mî par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare Divos,
Qui sedens adversus itentidem te.
Spectat & audit.

Et Musæus de Amatore Hero tum primum vidente.

παπταίνων ἐμόγησα, κόρον δ᾽ οὐχ εὗρον ὀπωπῆς.

Sic inexplebilis conspectus apud Heliodorum libro.II. inexpletæ curæ spectādi apud Valerium Flaccum lib.VI. summum Amorem arguunt.

votorum mortalium summam.] *que si Dios me diesse el mayor bien que en la tierra ay no lo ter nia por tanta felicidad.* Vovēt autem amatores etiam discrimine mortis suis amasiis potiri. Idem Musæus.

αὐτίκα τεθναίην λεχέων ἐπιβειμένος ἡροῦς.

Aristænetus lib.II. Epist.XVII. καὶ διὰ σὸν κάλλος ἢ γάμον ἀσμένως, ἢ τάφον αἱροῦμαι. Heliodorus lib.IV. ἐγὼ, εἶπε, καὶ τελευτᾶν οὐ διαφέρομαι τυχὼν χαρικλείας.

etiam majore te.] *magis factis tuis aut cupidini æquo aut conveniente te præmio mactabo. Pues aun mas ygual galardon te darè yo si perseveras.* Illa tamen commodius sonant:

in hoc enim honore me meo.] aliter sonant ista. *como de ingenio de tal hombre, como tu, aver de salir para se perder en la virtud de tal muger como yo. Scopus verborum tuorum is fuit, qualis ingenium hominis talis, qualis tu es, decebat, ut nimirum huc procederes interitum tibi tuum ipsemet pariturus sollicitando fœminam talem, qualis ego sum.* Rotundius tamen omnino ista exscribenda erunt. Sequentia etiam sic sonant. *Non potest enim Patientia mea tolerare cor hominis nati subiisse spem illicito amore me fruendi:* Que *no*

puede

puede mi patientia tolerar que aya subido en coraçon humano comigo en ilitico amor communicar su deleyte. Sed hæc tam exactè inquirenda non sunt, modo decoro personæ & sententiæ intellectui satisfiat; Alioquin innumera etiam notare liceat ubi Latinus sermo felicior est Castilliano.

Falconum unus.] el Girifalte. Girofalcones vocabantur mediis temporibus, quarum formam descriptã habes apud Fridericũ Imperatorem lib. II. de Arte Aucup. capp. XIX & XX. Albertus Magnus cap. VI. de Falconibus. *Genus secundùm Nobilium falconum est Gyrofalconum genus, à sacrorum genere proximo gradu distans: Est autem Girofalco figura & colore & actu & voce perfectam naturam habens falconis, sed quantitate major est Asture & minor Aquilâ; & dicitur girofalco à girando, quia diu girando acriter prædam insequitur, nec dignatur ad parva, sed aves magnas insequitur, sicut grues & cignos, & hujusmodi.* &c. Nota autem servuli inconstantem levitatem cum domini quodam contemtu mistã, jã qui de Equis locutus, aliud mendacium illicò excogitat, Falconem ad pontem secutum.

felicißima mors quæ desiderata venit.] Boethius

Mors hominum felix quæ nec se dulcibus annis
Inserit & mœstis sæpè vocata venit.

si adessetis.] *o si viniessedes,* Forte *viviessedes* melius legatur. Quis autem Crato ille medicus qui Galeno eorum coryphæo jungi mereatur? An Hippocrates est corruptus? Ego quidem ejus tantâ nobilitate memoriam nullam memini; Verum licet arbitrari de figmento quodam eum venire: Hispani enim plurima alia suâ linguâ habẽt quæ historias miris modis in-

terpolant, ut Galeni aliquis Vitam describens addiderit Cratonis filium, vel talem aliquem ei proximũ. Sic nunc memoriæ incidit Caroli Magni etymon ab iis de carro petitum, quod genitus in tali vecturæ genere fuerit; quam fabulam descriptam habes Capite Decimo libri Primi de las Noches de Iuvierno. Forte & Rasis, Arabs Medicus celebris, hoc nomine corruptus.

cor Pleberii.] *inspira en el Plebérico coraçon.* Nescio quid ulceris hic etiam latere mihi videtur.

Lacrymæ & suspiria.] Ovidius. ---- *est quadam flere voluptas, Expletur lacrymis egeriturque dolor.* B. Ambrosius in Obitum Valentiniani: *Pascunt frequenter lacrymæ, & mentem, allevant fletus, refrigerant pectus & mœstum consolantur. Est enim piis adfectibus quædam flendi voluntas, & plerumque gravis lacrymis evaporat dolor.* Petrus Blesensis. *Multis consolationi fuerunt lacrymæ & ex parte maximâ magnitudinem doloris minuunt; dolor siquidem ignis speciem gerit, qui dum plus tegitur plus ignescit.*

aliquid involare.] hunc sensum his verbis dedi, quæ tamen & aliorsum intelligi poterunt. *quiça con algo me quedarè que otro no sabe* (Lege sè) *con que mude el pelo malo, aunque malo es esperar salud en muerte agena.* Difficiliorem Hispanismum exteris facit quod prima & tertia persona sæpe eodem modo efferuntur; de quo & alibi alii questi sunt. Possis & hoc modo interpretari: *Poterit ut hinc etiam me aliquid maneat, unde malos meos mores* (vel paupertatem quæ illi talium caussa erat) *mutem; quamquam infelix sit suam fortunam in alterius morte collocare.*

cum pulvisculo interierim.] *alla iran la soga y el calderon.*

lacry-

lacrymas commodet.] Petronianum. *aßidebat ægra ancilla fidißima , simulque & lacrymas commodabat lugenti & quoties defecerat positum in monumento lumen renovabat.*

adiutoriis.] *adjutoria* sunt quæ citrà medicamera ipsa medici adhibent restituendæ ægro sanitati: Tapsa medici adhibent restituendæ ægro sanitati: Talium libros scripsisse Cælium Aurelianũ ex ipso notamus in Adversiorum Commentariis, ubi & vocem ipsam illustravimus.

Quis poterit dolor esse.] Elegum carmen ego & in hoc ubi reperiuntur pauci, & in aliis traductionibus, ubi plurimi Hispanici Rythmi sunt, cæteris præfero, quia & dolorũ & quæstibus & Amoris deliciis; aliter atq; aliter tamen tẽperatũ, accõmodatius est aliis quibuslibet. Videbit Lector in Nemoralium libris, quibus utrinque jucunditatem illi, quam licuit, dedimus.

Pax, bellum, induciæ. Terentiani Eunucho. A.1. Sc.1. versus notissimi sunt quos auctor noster alludit, quibus similia infinita congeri possint. Consule nos in Satirico vbi plenè hunc adfectum describimus.

Hoc minus ille malis) adhibendus est gestus, quo rei vilitatem indicare solemus, vt intelligatur plenè sententia. Sic in illo Publij Mimographorum Principis.

A morte semper homines tamtumdem absumus.

Quid sibi velit illud tamtumdem non intelligas nisi minimum spatium gestu quis expresserit, vt pulcerè observavit Ios. Scaliger. Nec obest ea verba apud Senecam Epist. xxx. reperiri; cum Mimi illi sæpe κατὰ πόδα in sermone & scriptione usurpati sint. Sic in Sacris Litteris Esaiæ cap. LI. v. 6. οἱ δὲ κατοικοῦντες ὥσπερ ταῦτα ἀποθανοῦνται.

Pariter apud Aerianum Anabas. libr. II. de Sepulcro Sardanapali, & ejus figurâ plausum manu exprimente: Σὺ δὲ, ὦ ξένε ἔσθιε, καὶ πῖνε καὶ παῖζε, ὡς ἄλλα τὰ ἀνθρώπινα οὐκ ὄντα τούτου ἄξια: τὸν ψόφον αἰνισσόμενος, ὅνπερ αἱ χεῖρες ἐπὶ τῷ κρότῳ ποιοῦσι.

cum tot millibus mortalium.] Lege Tacitum Annali. XV. Suetonium cap. XXXIIX. Dioni scriptum ἄνθρωποι ἀναρίθμητοι διεφθάρησαν, recenset Ioannes Xiphilinus. De Loco unde Nero prospexerit dubium, Suetonius turrim Mæcenatis nominat, Palatii apicem Xiphilinus, Tacitus ambiguum facit utrum credibile sit hoc in universum. Palatium quidem ipsum conflagrasse certum ex eodem gravissimo auctore. Vnde Tarpeium noster traduxerit, viderit; talia enim talibus non rigidè ut à scriptoribus priscis posita, rescribuntur.

immortalem animam. Aliter sonant Hispanica: *Por cierto si el fuego del purgatorio es tal, mas querria que mi espiritu fuesse con los de los brutos animales, que por medio de aquel yr a la gloria de los santos. Certe si ignis Purgatorii talis est malim spiritum meum perire cum animabus brutorum animantium, quam per medium ejus ire ad Gloriam sanctorum.* Cui etiam maior Impietas inest. Studio autem talia ficta sunt ut quam omni etiam Numinis & Christianæ Doctrinæ contemtu Amor juvenilia Corda induat, prospici isthinc possit. Considera sequentia, ubi oblitus est sese Christianum omnino esse.

Melibæa mihi omnia est.] Proverbialis locutio, uti res cito absolvatur & tamen nihil non dicatur. Ausonius Actione Gratiarum: *Senatus, Curia, unus mihi omnia Gratianus.* Heliodorus lib. VII. εἰμὶ γάρ τοι τῇ δεσποίνᾳ τὰ πάντα, καὶ μόνον, οὐκ ἀναπνεῖ με καὶ ὁρᾷ, ἀλλὰ καὶ νοῦς ἐκείνῃ καὶ ὦτα

ὦ͂ζα καὶ πάντα τυγχάνω. Lucianus ἑταιρικοῖς: ἐρώμενος δὲ-σπότης πάντ᾽ ἦν ἐγώ. Achilles Tatius libro. v. θεὸς γε τὴν μαγεύουσαν οὕτως ἔχειν ὡς πάντα νομίζειν ἐκείνην αὐτῷ Lucanus lib. III.

Omnia Cæsar erat----Prosper contrà Ingratos:

-----dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia----

Macrobius lib. III. Saturn. cap. XI. *At hic vester flamen & pontifex & omnia.* Vellerius Paterculus lib. II. *id unum dixero quam ille omnibus omnia fuerit.* Trismegistus in Poemandro.

quod in se neque consilium.] Amorem ait. Terentius. Eunucho.

Here quæ res in se neque consilium neque modum
Habet ullum, eam consilio regere non potes.
In amore hæc omnia insunt vitia; injuriæ
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum, incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere nihilo plus agas
Quam si des operam ut cum Ratione insanias.

Horatius lib. II. Sat. III. ----*ô here, quæ res*
Nec modum habet neque consilium, ratione modôque
Tractari non vult: in Amore hæc sunt mala; Bellum,
Pax rursum, hæc si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, & cæcâ fluitantia sorte, Laboret
Reddere certa, sibi nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certá ratione modoque.

quantas vires Cupidini humano dedisti.] Quid de his cordato sentiendum legere poteris apud nos Nemoralium libro Primo ubi Alcida persuadere Dianæ nititur Amoris potentiam nullam esse, sed in fatuâ persuasione mortalium omnia sita.

pro miraculo.] su limite pusiste por maravilla. Limitem illius per miracula statuisti. Melius hæc intelligi possunt quam enuntiari.

aliter jam hæc lyra tinuit] *de otro temple està essa gayta. fistula hæc aliter temperata est.*

Angelis illudere] Illudere obscœnum est Latinè loquentibus. Vide Notata ad Eclogam primam Nemesiani. Historiam paucis pulcrè Sulpitius Severus proponit: *Inde Sodomam missi Angeli Loth in portâ sedentem repererunt. Quos cum ille, homines existimans, hospitio receptos cænatosq; domi haberet, juventus improba ex oppido novos hospiteis ad stuprum flagitabat. Loth pro hospitibus filias offerens, non acquiescentibus, quibus illicita potius desiderio erant; ipse ad stuprum trahebatur. Quem Angeli properè ab injuria vindicantes luminibus impudicorum cæcitatem offuderunt, &c.*

O degenerem] non poterat commodius illud *Hideputa* exprimi. Scortum etiam veteres Latini dixerunt hominem muliebri animo. Glossarium Græcolatinum. πόρνος *Scortus*. Sic Petronio *Scortum* muliebria patiens puer. Sed Sempronio non est animus herum hîc contumelia afficere, vt illud Hideputa potiore sui parte hic exclamatio saltim sit.

Cœlo se dignos.] hoc est Deorum se nominibus adorari voluerunt etiam vivi. De Alexandro vide libellos PLutarchi de Fortitudine ejus & Fortunâ. *Nembrodum* id studuisse vt homines à Dei cultu ad suum traduceret auctor est Iosephus libro. I. ἀρχαιολογίας: cap. v. Filium vnicum Nimrothi à patre consecratũ auctor est Marius Victor lib. III. Comm. in Genesin.

mulionibus substraverunt.] exemplum pulcerrimum ostendit nobis Historia vigesima nona libri Gallici qui inscribitur *Les comtes du monde aventureux*. Quam & in Milesiarum nostratum Narrationes retulimus, nõ

alio fine quam qui à Sempronio isthic indicatur, vt, nimirum generoso alioquin animo juvenes velut in speculo in talibus videant quã sępe amẽtes quam inepti sint tantis impensis, Laboribus, & Periculis fœminis etiam formosissimis & Nobilitate insignibus servientes, cum illæ contra tam parvi Comitatem & Civilitatem eorum faciant, ut sæpè quam illis negant vilissimis sui copiam mancipiis faciant. Iuvat, utilissimum ἐπιμύθιον modo nominati scriptoris huc transferre, ut non nostris hæc nos verbis docere omnes videant. *C'est un mal*, inquit disertissimæ Vrbanitatis scriptor, *assez commun à beaucoup de femmes faisans profeßion du fol Amour, qu'entre leurs plus affectionnez serviteurs, le moins digne & plus lourdaut est volontiers choisi, esperans par ce moyen mieux garder leur honneur: Mais asseurement estans si liberales du tresor qui ne peut estre rendu, tombent en une honte ou pareil danger que ceste femme, laquelle cuidant fuir amour, jouit du fruict avant que cognoistre la fleur: Ce qui les autres fera sages de choses qui peuvent avenir.* Sed melius Historia ipsa legetur, & verba indignantis juvenis visa illâ mulioni se substernente, quam tot ille modis sollicitaverat. Eodem pertinet alia ejusdem generis Historia quæ in Heptaemero Reginæ Margaritæ Valesiæ. cap. xx. Quam quidem ego, quoniam brevior est, & is liber in paucorũ hic manibus, integrã ẽt describere nõ gravabor. Sic ergo sonat, servatâ quidẽ & eorũ temporũ Orthographiâ, quæ hodiè apud Gallos paullo alia obtinet, *Au pays du Daulphinè y avoit un gentilhomme nommè le Seigneur du Riant, qui estoit de la maison du Roy Françoys premier de ce nom, autant beau & honneste qu'il estoit posible Il fut longuement serviteur d'une dame vefue, laquelle il aimoit & reveroit tãt, que de peur qu'il avoit de perdre sa bõne grace ne l'osoit importuner de ce qu'il desiroit le plus. Et luy q. se sẽtoit*

beau & digne d'estre aymé croyoit fermement ce qu'elle luy jaryit souvent, c'est qu'elle l'aimoit plus que touts les gentilhommes du monde, & que, si elle estoit contraincte de faire quelque chose pour un gentilhomme, ce seroit pour luy seulement, comme le plus parfaict qu'elle avoit jamais congneu, & luy prioit de se contenter seulement, sans oultre passer, de ceste honneste amitié, l'asseurant que si elle cognoissoit qu'il pretendist d'avantage, sans se contenter de la raison, que du tout il la perderoit. Le pauvre Gentil-homme non seulement se contentoit de cela, mais se tenoit tresheureux d'avoir gaigné le cœur de celle qu'il pensoit tant honneste. Il seroit long de vous racompter le discours de son amitié & longue frequentation qu'il eut avec elle, & les voyages qu'il faisoit pour la venir veoir. Mais pour conclusion ce pauvre martir d'un feu si plaisant que plus on en brusle, plus on veult brusler, cherchoit tousjours le moyen d'augmenter son martire. Et un jour luy print fantasie d'aller veoir en poste celle qu'il aimoit plus que luy mesme, & qu'il estimoit par dessus toutes les femmes du monde. Luy arrivé alla en la maison & demanda ou elle estoit. On luy dist qu'elle ne faisoit que venir de Vespres, & estoit entree en sa garenne pour achever son service. Il descendit du cheval & s'en va tout droict à la garenne ou elle estoit, & trouva ses femmes qui luy dirent qu'elle s'en alloit toute seule promener en une grande allée, estant en la dicte garenne. Il commença plus que jamais à esperer quelque bonne fortune pour luy. Et le plus doucement qu'il peult, sans faire bruit la cercha le mieux qu'il luy fut possible, desirant sur toutes choses de la pouvoir trouver seule. Mais quand il fut aupres d'un pavillon d'arbres ployez, qui estoit un lieu tant beau & plaisant, qu'il n'estoit possible de plus, entra soudainement dedans, comme celuy à qui tardoit de veoir ce qu'il aimoit. Mais il trouva à son entree sa damoiselle

couchée

couchée sur l' herbe entre les bras d' un pallefrenier de sa maison, außi laid, ord, & infame que le gentil homme estoit beau, honneste & amiable. Ie n' entreprens pas de vous depeindre le despit qu' il eut, mais il fut si grand, qu' il eut puissance d' estaindre en un moment le feu si embrasé de long temps. Et aultant remply de despit qu' il avoit estè d' amour luy dist. Ma dame prou vous face: aujourdhuy par vostre meschancetè cogneue, suis guery & delivrè de ma continuelle douleur, d'ont l' honnestetè, que j' estimois en vous estoit occasion. Et sans aultre à Dieu s' en retourna plus viste qu' il n' estoit venu. La pauvre femme ne luy feit aultre responce, si non de mettre la main devant son visage: car puis qu' elle ne pouvoit couvrir sa honte, elle couvroit ses yeulx pour ne veoir celuy qui la voyoit trop clairement, nõ obstant sa longue dißimulation. Eccam concinnam & ipsâ brevitate amabilem narrationem quâ Semproni nostri dictis veritas velut coram exhibito exemplo manifestetur. Plura talia Milesiæ nostræ.

abusæ sint.] παθητικῶς cape. Vide Adversaria. Pasiphaen cum Tauro ubique legas, de Minerva atque cane nunc non subit auctor, nec vacat inquirere.

cum simio.] quantacunque nobilitate commendatus erat Callisto, hunc tamen familiæ eius nævum Sempronius notat. Et videtur huc respexisse Auctor, dictumque illud firmare voluisse quod vulgo jactatur, Nullam uspiam familiam sine nævo esse. Sic Sẽpronium Parmeno notat, Parmenonem in hoc Ludo Celestina, quæ ab eo vicissim quoque notatur. Simios libidinissimum animans esse nemo nescit. Cultrum autem puto indicari quo egregium illum rivalem suum Avus Callistonis interemerit. *Lo do tu abuela con el ximio, hablilla fue? testigo es el cuchillo de tu abuelo.*

buelo. Poteſt & hic *Cuchillo* Ninnarium ſonare, hoc eſt virum cujus uxor adultera eſt, ut in Gloſſario Iſidori talis appellatur; quamquam non bene ita ſcribatur, cum *euclillo* vera ſit ſcriptura.

falſimonias.] hæ laudes mulierum ſi minus πρὸς λέξιν ex Hiſpanico redditæ putabuntur, ignoſcet linguæ proprietati Lector; multa enim illi inſunt, quæ verba verbis ſingulis Latine nulla ope reddi poſſunt, quod ſi uſui eorumdẽ inhæreas, verba paria ponas, ſignificatio autem prorſus alia erit. Vituperia mulierum ſi legere voles evolvas Auguſtinum, ſive quis alius eſt auctor, libro de Singularitate Clericorum, Chryſoſtomum Homil. de Herodiade, ſive in decollationẽ B. Ioannis Baptiſtæ. Anaſtaſium Nicænum Quæſtione. LXIII. Quorum ſcitis concors eſt pagana Antiquitas. Sic mulierem *inevitabile malum* eſſe dixit Anaxandrides Comicus, *Inſani eſſe eam ſibi adjungere*, itidem Comicus Alexis: *Perpetuum malum* Philemon *Impurarum cogitationum genitricem.* Naumachius. *Tempeſtatem* Menander & Plautus. *Negotiorum molem* Philippides, etiam Comicus. *Nullum cum eâ lætum diem vivi præter duos illos quibus ducitur & ſepelitur.* Hipponax. Idem ſcivit *nullum muliere majus malum in rerum naturâ eſſe. Ludibrium inexpertium appellavit* Euripides, qui virtutibus earum ſingularis præco fuit. *Felices qui eâ carere poſſunt,* Idem Alceſtide, *Ignem igni addi, eâ ſibi adſcitâ.* Ariſtophanes. *Muliebrem univerſam Naturam nihili eſſe* Sophocles, *Egregiè ſine eâ vivi* Phileras, *melius eſſe eam ſepelire quã ducere* Chæremon, *Senectutem eam eſſe & vincula* Hippotheus & Theodectes. *Infortuniorum omnium extremum* Antiphanes, *Onus conſervari impotens* Plato, *uno concubitu omnem amicitiam vendere Lyſias* Orator, *Ejus inimicitiâ*

incursâ

incursâ vitam ipsam jam vitalem non esse Lycurgus Orator *Si quæratur dives, dominam luxuriosam quæri* Nicostratus; *Pejorem esse mulierem marinis fluctibus, impetu ignis,* Paupertate: *malum quod neque exprimi verbis neque litteris describi possit, summum omnium malorum quod creavit Deus*, Euripides, *quod numquam satis & ex merito odisse possis*, idem Hippolyto. *Neque terram neque mare aliud tale portentum alere, tamque immanem belluam nutrire*, idem in Medæâ, *Stultum hominem eum esse qui cesset umquam illi maledicere, artificem omnium malorum*, idem ibidem. *Ejus unica oblectatio est mala dicta & facta semper in promtu habere*, idem Andromachâ. *Pestem esse mulierem cujus ultrà omnia alia venena nullum sit medicamen, pejorem igne & viperâ*, *adulterinos homines, non legitimos, esse mulieres*, idem auctor est in Medeâ & Hyppolyto. *Imperitißimas bonarum rerum, malarum sollertißimas*, idem eâdem Medeâ. *Muliebrem esse, insanias loqui, Voluptatem*, idem Phœnissis. *Difficillimum esse ex sermonibus fœminæ quippiam dignum, fide accipere; tum maxime eas metuendas cum benignè loquantur*, Menander scivit. *Infidum esse ingenium muliebre* Homerus, *mutabile & varium* Virgilius; *Fures omnes esse & impostoribus pejores* Hesiodus; *omnium animam tenentium impudentißimas*, Alexis; *Canibus irritabiliores, & irritatas iisdem pejores*, Menander; *Natura effrænem & intolerabilem sexum eum esse*, idem *Pro maximo dãno & pœnâ viris cohabitare* Hesiodus Theogoniâ auctor est. *Mulieri se nihil uspiam credere præterquam hoc unum quod mortua non reviviscat*, profitetur Antiphon. *Mulierem omne facinus promto animo audere*, *nihil eâ prius umquam vel fuisse vel esse scribit* Sophocles. *Cæcos id bonum in Vitâ habere quod mulierem nullam videant*, Antiphani Comico visum est. *Vbi mulier est*, *ibi omne malum inveniri*

Menan-

Menander scripsit *Mulierem nullam quippiam verum dicere posse, hanc non adiutricem jam homini, ut condita fuit esse; sed fossam inimicam, insidiatricem, interfectricem, exterminatricem, bonorum; & malorum omnium conciliatricem* Anastasius Sinaita tradit libro. IX. Commentariorũ in Hexaemeron. *Mulieris vel solus aspectus telum est veneno mortifero illitum, quod animum hominis putrefacit. Sunt virus faeminae viris praesentarium, pedicis animas eorum irretiunt, capiunt, & abducunt ut bos stolidus ducitur ad sacrificandum, & corruptela inevitabilis post primam cum iis consuetudinem*, ut testatur Antiochus Abbas Sabæ in Pandecte, Homilia. XVII. Hæc pars est earum Laudum quas Profani Sacrique scriptoreis se puiori sexui scribunt; & hic Parmeno non inscitè subnotat.

Strophiis.] so aquellas gorguetas. authorizantes ropas, magnificis tunicis reddidi, quomodo tamen non exprimitur illud. Nam addi auctoritati aliquid à tumore vestimentorum vulgo apud Hispanos audire memini, & in eorum descriptione, injuriosâ licet & indigna, memoratur Gallis.

Il est bien net, sa frese elle est en ordre,
Que son collet ne soit pas en desordre,
Car cela sert fort à la gravitè.

Quos enixè desiderant.] hanc sententiam his verbis dedimus; A los que meten por los agujeros denuestan en la calle. Potest ut subsit error, quispiam typographicus.

extra decentium domina.] bona extra hominem ornantia Fortunæ imperio tradebant Stoici, scilicet ut ludibrio omnia illius ejusdem subdita esse nemo ignorare posset. Lege Epicteti Enchiridion & Commentarium Simplicii. Boethium Consolatione, Arrianum

nianum Diſſertationibus, Antoninum Imperatorem; Alios.

ineffabiles Gratias.] talia multa in Amaſiis ſuis commendant ſcriptores, præcipuè in dulciſſimis; utinam honeſtioribus Epiſtolis ſuis, Philoſtratus, Alciphron Ariſtænetus, Theophylactus; Simocata, alii. Hoc mirificè etiam ob oculos ponit Lucretius qui mulierem formoſam toto corpore Amorem exſpirare ſcribit--*mulier toto ſpirans è corpore Amorem*. Id quod credere poſſis, non autem verbis explanare; & ineffabiles Gratias in Melibæâ ſuâ vocat Calliſto ſic innumeras Charites in amaſijs ſuis alii Amatorii ſcriptores agnoſcunt. Muſæus de Hero:

καὶ ῥόδα λευκοχίτωνος ὑπὸ σφυρὰ λάμπετο κούρης,
πολλαὶ δ᾽ ἐκ μελέων χάριτες ῥέον--εἷς δέ τις ἥρους
Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει.

Lucianus imaginibus: *τὸ δὲ πᾶσιν ἐπανθεῖ τούτοις ἡ χάρις μᾶλλον δὲ πᾶσαι ἅμα, ὁπόσαι χάριτες καὶ ὁπόσοι ἔρωτες, περιχορεύοντες.* Philodemus de Chariclo ſene quidem, tamen etiamnum formosâ:

καὶ χρὼς ἀρρυτίδωτος ἔτ᾽ ἀμβροσίη, ἔτι πειθὼ
πάσας ἐπιστάζει μυριάδας χαρίτων.

Ariſtænetus lib. I. epiſt. x. *καὶ τοῖς ὄμμασι χάριτες, οὐ τρεῖς, καθ᾽ ἡσίοδον, ἀλλὰ δεκάδων περιχορεύει δέκας.* Nonnus initio libri. XXXIV. Dionyſiacorum. Sic Charites ipſas Chariſin amicæ ſuæ ſuperatas autumat Meleager lib. VII. Epigr.

Φαμί ποτ᾽ ἐν μύθοις τὰν εὔλαλον Ἡλιοδώραν
Νικάσειν αὐτὰς τὰς χάριτας χάρισιν.

Sunt autem Gratiæ tertia pars abſolutæ formæ muliebris, quæ in iis, figurâ & ſpecie, conſiſtit; oportet tamen ut Gratiæ hæ ipſæ nudæ ſint, hoc eſt, ſine

fuco & fallaciis. Aristænetus lib. II. Epist. XXI. καὶ, νὴ τὸν ἔρωτα, τὸν εὐτυχῶς εἰς σὲ τὴν ἐμὴν τετοξευκότα ψυχὴν, πάσας ἐν πᾶσιν ἐνίκηκας, ὡς ἔπος, τῷ χήματι, τῷ κάλλει, καὶ ταῖς χάρισιν. αἱ γὰρ χάριτές σου παντελῶς ἄδολοι, καὶ ἀληθῶς κατὰ τὴν παροιμίαν, γυμναί. Non accedam eo loco elegantissimo Mercerio, qui χῆμα ornatum vertit. Nã figuram, sive ut vulgo nunc βαρβαρίζομεν, proportionem potius indicat, quæ quidem ad absolvendam pulcritudinem summoperè necessaria est.

Sic Deus tibi.] hæc & talia tacitè obmurmurat secũ Sempronius; qua fictione ostendit auctor noster, quã hoc genus maligno in dominos animo sit; verè etiam censuit Petrus Aretinus in Dialogo, à nobis ex Castellano itidem translato, famulos tales Dominis suis pro quamlibet atrocissimis hostibus esse. Descriptiones autem formosarum puellarum qui cum ista Melibæa contendere volet, evolet Beroen, Nicæam, & alias à Nonno descriptas, Bathyllam ab Anacrente Odario XXVIII. Amicas suas ab aliis scriptoribus, vel & Heroum suorum. Charicliam ab Heliodoro, Leicippen ab Achille Tatio, Laidem ab Aristæneto libr. I. Epist. I. Ismenen ab Eustathio, Lege & Lucianum imaginibus, Alciphronem, Philostratum, Theophylactum, Epistolis, Musæum & nos in Leandride. Gregorium Nyssenum de Virginitate, Apollonium Rhodium Argonauticorum libro. III. Tryphiodorum & Coluthum Raptu Helenæ & Ilii incensione, Ovidiũ de Galatea & aliis, Statium de Deidamiâ in Achilleide, Epigrãmatarios Græcos libr. VII. Anthologiæ. Lõgum Pœmenicis de Chloe. Q. Calabrũ de Penthesileã, Appuleium de Fotide, Petronium de Circe.

Theocri-

Theocritum & Homerum de Helena & aliis. Valerium Flaccum de Medeâ. Isocratem Encomio Helenæ, Ælianum Epistolis, Et neminem ferè non alium; Vnde & quæ hic sequuntur tam scitis quam exemplis illustrari poterunt.

Thaletem superas.] Plautinum scomma intrusi.

oculi virentes.] cæsios aut nigros ego dixissem.

Vt materia formam, sic mulier appetit virum.] ineptissimè mihi hoc dictum videtur: Eadem materia enim, forma utriusque eadem, & quomodo aliud hanc, aliud illum voces. Sexu quidem non formâ, non materiâ, mulier à viro distincta est. Nec forma formatæ in sexu est; nec materia alterius quam suæ propriæ formæ, hoc est humanæ appetens, Alia ergo sit in viro oporteat materia & forma. Sed similitudo hæc solum est, quales omnes claudicare vetus est Sophistarum scitum; qui quamvis pleraque pro firmis cõcludere videri velint, majorem tamen enuntiatorum suorum partem, aut ambiguam, aut falsam protulerunt, quæque nullo negotio de ipsorum Scholâ petitis argumentis confutari possit, si quis nugas nugis confodere laboret.

ad satiem eam potitus fueris.] dicere hoc potest vox alcançar, potest & illud ut instar inimicæ superandam dicat Melibæam hero suo hactenus prudens & fidelis servus.

Barbuda.] summi convitii & contemtus nomine hoc dicit. Cũ enim virum nil magis deceat, fœminam nihil dedecere amplius potest, quam os pilis obductum: Sic sæpius infrâ.

De mulieribus virgines.] Artificiũ hoc inter Cælestinæ vel quæstuosissima sępiꝰ hoc libro memorat̃. Sic Actu

Septimo memoratur unam eamdemque mulierem septies virginem ex defloratâ videri fecisse.

Duce novo sidere.] de stellâ hac constat ex sacris litteris, notari obiter potest & Philosophis eam historiã ignotam non fuisse. Chalcidius, quicunque homo fuerit, Philosophum Platonicum, cum ista scriberet, professus, Commentario in Timæum: *Est quoque alia sanctior & venerabilior Historia, quæ perhibet ortu stellæ cujusdam, non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conservationis rerumque mortalium gratiam. Quam stellam cũ nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profecto Sapientes viri, & consideratione rerum cælestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertáque illâ majestate puerili veneratos esse, & Vota Deo tanto convenientia nuncupasse, quæ tibi multo melius sunt comperta quam cæteris.* Scribit Chalcidius ut Philosophus Christianismi non rudis, non tamen ut merè Christianus; scribit autem, ut hæc verba docent, ad virum Christianismi doctissimum, & cæteris conspectiorem, Hosium nomine, ut ex Epistolâ Commentario præfixâ videre licet. Non alium ergo illum ego Hosium puto, quam qui Hilarii & Concilii sive conventus Ariminensis tempore Catholicorum vel præcipuus Episcopus fuit, quem ad extremum vitæ suæ ad Arrianismum, tum omnia pervagantem, declinasse, memorat Phœbadius fine Epistolæ, quæ ejus unica ad nos pervenit, nonaginta tum annos natum, quem omni reverentiâ dignissimum propter ætatẽ, longi temporis probatam fidem, & labores pro Ecclesiâ Dei exantlatos laudat Synodus Sardicensis in Epistolâ ad Ecclesias Vniversas. Hinc ergo ætas

Chalcidii istius clarior erit, apud doctos viros hactenus obscura.

te rogo.] vide impiam amantis stoliditatem. Improba à probis petere immanem stultitiam esse PLauto scitum, quid à Deo, omnis boni auctore & praeceptore?

Evangelia, Evangelia.] albricias, albricias. Evangelium est praemium quod boni nuntii gratiâ cuiquam confertur. Homerus Odysseâ. ξ. --ἐγὼ εὐαγγέλιον τὸ δὲ τίσω. Eusthatius. εὐαγγέλιον ἐςὶ δῶρον ὑπὲρ ἀγαθῆς ἀγγελίας. Cicero ad Atticum libro. II. Epist. III. *Primum, ut opinor, Evangelia, Valerius absolutus est Hortensio defendente.*

subter acervum istum.] peculiaris locus erat in aedibus scopis & purgamentis destinatus, quem Scoparium possis nominare. Nos acervum scoparum vertimus quoniam camara Latinum nomen non habet.

nondum tecum loqui possum.] vide aniles blanditias, gaudio se animi externatam fingit, quoniam raro admodum Sempronius eo invisebat, ut Elicia Actu IX. obiicit anno vix semel eam visum venire. Singulari ubique ingenio anus astutae mores & verba repraesentantur.

Ad nihil non utilem faciemus.] poterunt haec aliter etiam reddi, sed vix melius, si & obscaenitatem cavere velis. Verba sunt. CEL. *pocas mataduras has visto en la barriga. SEMP. Mataduras no mas pertreas, si.* Ego vero in Scripto libidinum damnositatem docente, libidinosè mihi minimè permiserim, utcunque talia personarum suadeat convenientia. Quo in genere tamen admodum pauci veterum & recentium auctorum cautè egerunt, ne distruerent recensione, quae vituperabant intentione: Exemplo sit apud Latinos Iuvena-

lis, acer & insignis vitiorum dissuasor, verum adeò obscænus, ut docere videatur, quæ incessit, neque quisquam possit facile turpius loqui. Apud Græcos vero Aristophanes, qui cum eò præsumtionis venisset ut etiam arcana Græciæ Philosophorum, tam humana quam divina sannis incesseret & differret, tam impurè tamen & scurriliter se egit, ut nesciã quid nostri intersit eum Scriptorem tot fabulas, ex tot præclaris Comicis solum ad nos pertulisse, cum innumeri alii, præcipuè omnium Philosophorum & Poetarum prudentissimus & γνωμικώτατος, Menander penitus interierint. Recentium autem Linguarum sive Idiomatum scriptores Galli præcipuè & Itali, tam atrociter hoc genere peccarunt, ut multa ingeniosissima scripta castæ mentes obscænitatum gratiâ abhorreant. Graviores Hispani nec tamen prorsus hac in parte moribus seculi vituperandis castissimas fabulas attulerunt, ut hæc etiam nostra docet.

Ha furcifer.] vide scurrilitatem meretriciam. Etiam amatori suo non potest quin convitia scelerum obiiciat. Et hanc huius personæ indolem ubique observatam videbis, ut præcipuè actu Nono in Convivio. Cautior autem & melioris judicii inducitur Areusa, quæ etiam ubi cum omnium scelerum capite Celestinâ loquitur, modestam & simplicem velut contrà sese mores communium meretricum facit. Quam simplicitatem veram non esse, posteà ubi consiliatur Eliciæ, & cum Centurione Sosiaque liberè ex re sua agit, conspiciendum datur.

parietès.] hæc etiam exsensarum rerum allocutio anus curiositatem, loquacitatem simplicitatis ad-

fecta-

fectationem, mirifice exprimit; summâ ingenii felicitate.

numquam aliquid boni mihi obvenire.] suis anum blanditiis aggreditur, quas illa sentit, atque regerit, mira tamen sermonis devotione.

in medias res.] Laudat in Homero hoc Horatius. Sententia sic sonat Hispanis. *vana mente se dize por muchas palabras lo, que por pocas se pueda entender.* Superior autem de animo in multa divisio, sic: *Quien en diversos lugares pone el pensamiento, en ninguno lo tiene juncto, si no por caso determina lo cierto,* Iuvat talia proprio suo idiomate proponere, quia liber in paucorum manibus est.

agnoscere quem.] *conocer el tiempo, y usar el hombre de la oportunidad, haze prospera la gente.*

huic matronæ.] à essa dueña. Dueña videtur à Latino, Donnula, sive domnula, venire; est enim blandientis tam in Hispanismo, quam apud Latinos. Noster verbis Melibææ ad Callistonem, Actu. XIV. *Señor por Dios, pues ya todo queda para ti, pues que ya soy tu dueña, pues ya no puedes negar mi amor, no me nigues tu vista.* Salvianus Epistolâ. IV. *advolvor vestris, ô parentes charissimi, pedibus illa ego vestra Palladia. vestra gracula, vestra donnula, quæ vobis per varia nomina nūc fui mater, nunc avicula, nunc domina, &c.* Et sic Græci. Vt δεσποτίδιον apud Aristænetum lib. I. Epist. XXIV. σὺ δ' οὖν, ὦ ἐμὸν δεσποτίδιον, εὐθὺς εὐθὺς. &c.

prostibulum vetus.] *puta vieja.* Quæ duo verba anima velut sunt sequentis paginæ; Vt enim scelesta Celestinæ facinora omnibus nota esse indicet Parmeno, hunc sonum ubique auribus ejus insonare autumat; quod Latinis verbis minimè exprimi poterit.

semper hoc.] siempre lo vi, que por huyr hombre de un peligro cae en otro mayor. Hoc dicit autem Callisto metuens Celestinam offendi Parmenonis convicio, qui metus caussam dat isti omnia ejus scelera enarrandi.

dexterrimus est armis & equo.] Diestro cavallero es Callisto. Vocem *Cavallero* Italis, Gallis, Hispanis & Germanis usitatam Latinitas non assequitur. *Equitem* paucis omnino locis interpretatus sum, cum aliud sonet, nimirum virtutem simul & nobilitatem. Porro in his Parmenonis aliqua omissa sunt, egestate Latini sermonis. Sanè quoniam stantis Reipublicæ Romanæ & vigentis linguæ nemo Nomenclator ad nos venit, multa vulgo, præcipue opificibus & in eorum tabernis, usitata, quomodo appellarint, ignoramus.

Ovorum assorum.] more plebis Hispanæ.

locis.] loci muliebres membra genitalia, ut apud medicos Celsum; Marcellum, Cælium, Scribonium, Priscianum, Gariopontum, Columell. lib. VIII. cap. VI. &c.

Studentium.] ita appellabantur etiam antiquitus qui litteris operabantur. Glossæ Isidori. *Pappas, pædagogus, qui sequitur studenteis.*

excalcei.] Paulinus ad Cyterium.

Caligis tamen iste vilibus donatus est
Ne nautico erraret pede;
Qui maluisset consoveri excalceus
Quam calciari frigidus

Corrige eum Paullini locum, & rescribe. *Tamen iste caligis*--ob versus modum illi numquam contemtum, nisi ubi corruptus est à librariis.

naturæ

naturæ consultam.] *fisica de niños.* Physicam infantium. Physica sunt medicamenta certa & naturæ velut consilio composita, apud Vegetium, Plinium Valerianum, & alios; vide quæ in Adversariis docuimus.

Nonnarum.] Nonnas vulgo dicimus quas alii Monachas aut Vestales; idque usu Latinorum Patrum. Hieronymus Epist ad Eustochium: *Maritorum expertæ dominatum viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur & Nonnæ.* Vide amici nostri integerrimi clarissimi & eruditissimi viri Ioannis Meursii GlossariumGræcobarbarum.

adulterabat.] adulteria succorum sunt confusæ permistiones, & venditæ species pro veris confusæ. Manilius.

Vt sit adulterio succorum gratia major.

Porro hoc loci à Parmenone recensita artificia & imposturas Celestinæ non potui Latino sermone adsequi, nec sanè opus talibus plurium notitiæ commendatis. Satis alioquin etiam his oris fraudulentæ sunt tales veneficæ, Satis malorum medicaminum & artium norunt.

Funem strangulati hominis.] de cruciariis multa medicinæ adhibuisse etiam veteres notamus in Adversariis; talibus plena est Sylloge medicamētorum Marcelli quem Empiricum vocant; nemo vero cordatus utatur.

Vultus exterior.] Solent mortalium indoles & animorū inclinationes aut affectus ex vultib. cōspici cōjecturis etiam ab eruditissimis hominibus magni æstimatis. Achilles Tatius lib. VI. de Amoribus Clitophontis & Leucippæ ea ratione animum ipsum ho-

minis conſpicabilem eſſe neque prorſus oculis inviſibilem arbitrari auſus eſt, cum ait: ὁ γὰρ νοῦς οὐ μοὶ δοκεῖ λελέχθαι καλῶς εἶναι ἀόρατος τὸ παράπαν. φαίνεται γὰρ ἀκριβῶς ὡς ἐν κατόπτρῳ. τῷ προσώπῳ. Iuvenalis Satirâ Nonâ.

Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Corpore, deprendas & gaudia; ſumit utrumque
Inde habitum facies.---

Nazarius Panegyrico: *in ſerenis frontibus animorum indicia perleguntur.* Boethius libro. I. de Conſol. Philoſ. *confeſſus rubore verecundiam.* Hilarius de Macabæis.

----vultuque fatentur
Se timuiſſe nihil---

Statius Equo Maximo Domitiani.

Diſcitur ex vultu quantum tu mitior armis.

Minutius Felix Octavio: *ſegregatus dolere neſcio quid vultu fatebatur.* Chalcidius Commentario in PLatonis Timæum: *Denique ex oculorum habitu mens atque animus indicatur, iraſcentium, mœrentium, lætantium,* & cæt. Liutprandus libro. IV. Hiſtoriarum cap. XV. *His auditis, quia facies ſpeculum eſt mentis, cordis verecundiam vultus rubore nudavit, concitusque regis ad pedes corruens, ſe peccaſſe, ſe graviter deliquiſſe, confeſſus eſt.* Hinc Regum aut Principum miniſteriis & expeditionibus tales homines ſunt adhibendi, quorum mentis & animorum gravitas ipſis vultibus oculiſque eluceat. Caſſiodorus lib. VIII. Epiſtolâ XIV. *Aſſuit mandatis regalibus eloquens & ornatus orator, permulcens etiam inſpectus quos gratiſſimos reddebat auditus. Tales eſſe enim decet Aulicos viros, ut Naturæ bona indicio frontis aperiant, & poſſint agnoſci de moribus cum videntur. Tacens enim plerumque deſpicabilis eſt, ſi eum tantum lingua nobilitat: Semper autem in honore manet; ſi cujus*

eſt tran-

eſt tranquillus animus, eum quoque ſereniſſimus commendat aſpectus.

Reſumtio.] *Reſumtiones* in libris medicorum reſtaurationes ſunt, à corporibus ægris adſcitæ. Reſumtiva medicamenta, quæ reſtaurant corpora. Præcipuè Cælius Aurelianus frequens horum uſu.

manus.] oſculatio manuum, quam in indicium civilioris ſubmiſſionis Galli, Itali, Hiſpani præcipuè, ſemper in ore habent, Romanorum moribus deſcēdit, quorum humiliores aut infeliciores cæteris hoc modo honorem habitum ibant, nec apud hos ſolum, ſed ipſos Græcos quoque. Exempla utriuſque gentis vide apud Phædrum Auguſti Libertum, Fabula. LXXXII. Silium Italicum libro. XII. Claudianum libr. II. in Eutropium. Lucianum. περὶ ὀρχήσεως & in Necyomantia. Suetonium Domitiano, cap. XII. Apollonium Argonaut. I. Appuleium Apologiâ, Trebellium Pollionem Gallienis, Senecam Epiſt. XLVII. quoſque alios laudavit Iuſtus Lipſius Electis. Græciæ poſterioris, ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis, mores adeo in barbaram humilitatem abiêrunt, ut etiam pedum oſculis Cæſares dignarentur, unde Pontificum Romanorum deſcendere videtur. Codinus Curopalates in Officiis Aulæ Byzantinæ. ἰστέον δὲ ὅτι οὐχ ὅτε μόνον προβάλλεται δεσπότης, ὁ βασιλεὺς ἵσταται: ἀλλὰ καὶ ὁπηνίκα τῶν ὀφφικίων ποιήσει τι, κἂν ἐλάχιστον ᾖ, ἱστάμενος τοῦτο ποιεῖ. ὁ δέ γε δεσπότης τὸν τοῦ βασιλέως ἀσπάζεται πόδα. Alia alibi notabamus. Hiſpaniſmo autem amatores etiam plantam pedis exoſculari ſe ajunt, ut hic adorare

adorare Celestinæ gradum, amore Melibææ vecors, Vt in libello Rodomuntadarum: *Bero la planta del pie de vuessa merced, patrona deste coraçon, Princessa deste pecho.*

plantarum nonnullæ huc eodem inclinant.] alia genera plantarum & arborum aliis affici, sexumque velut interea esse tradunt Physici scriptores. Pulcrè Claudianus noster in descriptione Venereæ Aulæ.

Vivunt in Venerem frondes, omnisque vicissim.
Felix arbor amat; nutant ad mutua Palmæ.
Fœdera; Populeo suspirat populus ictu,
Et platani platanis, alnoque assibilat alnus.

Sic Bacchum, seu racemos vitium ulmis nubere elegantissime dixit Manilius. *Et te, Bacche, tuas nubentem ducit ad ulmos.* De palmis pulcrè Achilles Tatius libr. 1. tam ex Philosophorum libris quam hortalanorum & agricolarum experientia; Vide etiam Michaelem Glycam Tomo. 1. Mirificæ autem artes anus hujus ut Parmenonem à fidelitate in herum suâ abstrahat, quod nullis tamen machinis potest efficere, præter solam Amorem Areusæ; cujus concubitum tanti adolescens imperitus facit, ut sese & herum suum omnibus propter eum fortunis exsuat. Observanda autem vetulæ oratio, modo voluptate, modo seriis rebus Parmenonem ad se à Domino ducere studens: Licet exsucca senio, & faciem vulnere fædata, non tamen absistit & ipsa Venereas delicias illi occinere.

Sed si ego te mihi.] adscribam verba ipsa Hispanica, ut si quis poterit, reddat facilius, nonnihil obscurius à nobis transscripta. *Mas ravia mala me mate, si te llego à mi, aun que vieja, la boz tienes ronca las barbas te apuntan, mal sossegadilla deves tener la punta de la barriga.* PARM. *como cola de alacran.* CEL. *Y aun peor, porque la otra muerde sin*

de sin hinchar: y la tuya hincha por nueve meses. Verum mala pream rabie, si te mihi adjunxero, quamquam vetula ego, tu voce rauca & asper barba simus, male quietus tibi futurus erit mucro ventris. P. *Vt cauda scorpii.* CEL. *Etiam pejor, illa enim mordet sine inflatione, tua novem mensium tumorem efficit.*

mala hæc ægritudo est.] CEL. *Ries te, laudrez illa, hijo. Rides tu, parva pestis fili.* Et sermo suaviter indignantis, immo aniliter. Pestilentiæ etiam imminuit vocem, ut, neque irata neque satis contenta animi videatur. Ineptus autem talium servulus pro magno facinore & laudabili impraegnationem habet mulierculæ alicujus. Sic post concubitum Areusæ infrà Sempronio jactat. Actu. VIII. *A poner la en duda, si queda pereñada, o no:* Hic autem potius intelligitur mens Celestinæ, quam ut exprimi valeat, aut ambagibus verborum doceri. Videre quis videatur sermocinantem hæc anum gestibus abblandientem Parmenoni, cujus risus maximè illi placet. Respondet autem servulus non verbis, sed menti, quam videt detrimentum suum per blandidica dicta quærere. Vt autem neque istum integrâ mente & ratione optimâ videas consulere, odium mox Sempronii consiliis suis intervenire, & fidem ideo Hero servare docet, ut isti obsit, isti male faciat, quem videt & audit vetulæ consentientem. Sic neq; hic malitiæ maternæ & servilis uspiam obliviscitur, etsi dissimulare venit. Et inde anus eorum amicitiam quærit & conciliat; hunc odio illius sæpe videns.

Prostituaris tute.] *Putos dias vivas, vellaquillo.* In quibus verbis anilis est iracundia & blanditia minime Latinis verbis exprimi valens.

alio

alio venerim.] emunctura pretio Callistonē scilicet. Quem omnium eius actionum finem esse non ignorabat Parmeno, ut qui superiorem de ejus rebus sermonē hoc Axiomate velut clauserit: *quien te podria dezir lo que essa vieja hazia? y todo era bur la y mentira.* Et ut domesticum & interiorem omnium scelerum Celestinæ testem induceret Auctor, Parmenonem apud eam puerum servitutem serviisse finxit; quo indicatur etiam tempus longum malarum earum artium, quod celeberrimam fecerit Celestinam. Cujus summa astutia est in fingendis quæ sequuntur.

Vita functis fidem datam.] Testamentorū & Fideicōmissorum in rebus humanis summa est auctoritas merito atque reverentia. Quid enim æquius quam quibus constipandis omnem vitam Homo insumsit, eas res tradere posse cui ipse velit, & per quem ipse velit, sive eæ sint Opum sive Instructionum? Cum enim Homo Hominem generet, & generato inenarrabili curâ prospiciat, adeo ut sese ipsum potius quam ex se genitum deserat, & Bona sua tradere genito, citra cæterorum impedimentum, merito possit. Et solo hoc Vltimarum Voluntatum privilegio ex Humanâ Vita demto quis non videat omnem ejus ordinem corruere; cum bonis domino & possessore spoliatis in incertum & occupantem decidentibus, nullâ lex Rapinas & latrocinia coercere quiverit, adeoque hinc Confusio omnium Possessionum prognascatur. Infinita scripserunt huc facientia JCti, quorum Commentaria ex aliis alia nullibi nota sunt.

110 *x terius jam dies.*] astutissima vetula ut fidem hovi faciat curam sese ejus semper aliquam habuisse,

persuadere vult ex aliis etiam rescitam sibi præsentiã ejus; cum tamen pro ignoto eum modo allocuta sit. Alterum igitur horum simulatur, sed tantis involucris ut vix nisi sagacissimus servus senserit; iste sanè nil tale dicit.

neque nummos.] aliter sonant Hispanica, nam: que in has avido provecho, ni ganado dendo ni amistad. Estque velut proverbium neque cognationem neque veram amicitiam peregrinantes ullibi invenire, quod sane si quopiam fuit, nostro tempore verum perhibere licet.

Seneca.] Loca Senecæ non pauca memini vituperantia peregrinationem propter animi motus institutam, & laudantia Socraticum illud; quid juvat te mutare loca, cum te ubivis circumferas? Hoc tamen dictum non occurrit; puto sententiolam aliquam esse Publii, aut alterius Poetæ quales olim plurimæ Senecæ titulo commendatæ fuerunt.

nullibi est.] Martialis illud notum. *Quisquis ubique habitat Maxime, nusquam habitat.* Ad quod plura docti.

subiicere.] Virgilianum. Sententia Comici est veteris apud Stobæum. *Transposita s[illegible] planta non facit fructũ.*

major tuorum.] majores nostri non tantum ij. Sunt qui ætate nos antecedunt, verũ etiam qui auctoritate atque consilio. Sidonius lib. I. Epist. I. *Præcipis, domine major; summa suadendi auctoritate, sicut es in iis quæ deliberabuntur, consiliosissimus.* Sic Marcellus Medicus Epist. ad filios: *Nonnulli proximo tempore illustres viri, cives ac majores nostri, Siburius, Eutropius atque Ausonius.* Pariter Seneca Natural. Quæstionibus. *Quorum non meminerat* Savaronii amplissima doctrina ad eum Sidonii locũ commentarium componens.

Probatica piscina.] Iohannis Quinto.

suorum hominum.] Homo alicujus est qui ejus servitio velut addictus atque quodammodo mancipatus est. Vide Commentaria Adversariorum nostrorum.

addere potentibus.] Terentius principio Phormionis.

illusorem esse] una vox Hispanismo. rompenecios: Rumpere Latinis, malè habere, malè afficere. Sæpius Martiali.

domi ipsius amicos tibi para.] hoc est de sceleribus servitiorum maximum, conspirare inter sese eos in Dominí perniciem: Sic tales dominis suis hostes infestissimos esse monet Petrus Aretinus in Pornodidascalo nostro. Hoc unum deerat Celestinæ Parmenone à Sempronio dissentiente; itaque non tam studio hujus aut illius, quam evertendi Callistonis gratiâ, hunc quoque, dum Sempronio amicum, inimicum conciliat Callistoni.

sive bene sive male.] Rhythmica Paroemia est.

A tuerto o à derecho.
Nuessa casa hasta el techo.

Præstat tales proponere ut sonant, quam pares de Hellade aut Latio adsciscere, quibus enarrandis æquè post opus fuerit.

Egeni non sunt qui pauca poßident.] pulcrè Ausonius.

Felicem novi non qui quod vellet haberet,
Sed qui per fatum non data, non cuperet.
Ex animo rem stare æquum puto, non animum ex re.
Cuncta cupit Cræsus, Diogenes nihilum.
Cui nullus finis cupiendi, nullus habendi est,
Ille opibus modus est quem statuas animo.

Et Ho-

Et Hortatius.

Non poßidentem multa vocaveris
Recte beatum, rectius occupat
Nomen beate qui Deorum
Muneribus sapienter uti
Duramque callet pauperiem pati

Hilaris autem *paupertas* summam Christianarum opum, ut & Philophicarum, complectitur. Lege Appuleium Apologiâ. Stobæum Sermone. XCI. & XCIII. Rogerium, si is est, de contemtu Mundi, cum aliis talibus. Lotharium de Contemtu Seculi, &c. Ioannem Sinaitam Historiâ Barlaami, libro nobis commendatissimo. Notabilis sententia Chrysostomi Serm. XIIX. Super eam ad Hebræos: *Paupertas manu ductrix est in viâ ad cælum ferente, unctio athletica, exertitatio præclara, & admirabilis, partus tranquillus. Nihil opulentius eo qui paupertatem spontè sequitur, & diligit, & cum alacritate suscipit,* Leo Magnus Sermone. IV. in Quadragesimâ. cap. II. *Semper dives est Christiana paupertas quia plus est quod habet, quàm quod non habeat Nec pavet in isto mundo indigentiâ Laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere.* Qui idem inopiam ad coronam Patientiæ provocare auctor est Sermone IV. de Ieiunio Septimi Mensis. cap. VI. Eucherius Sermone in Feriam Quintam post Secundam Dominicam: *Divitiæ ad miseriam, Paupertas ad Beatitudinem perducit. Pauperibus cælum: divitibus infernus aperitur.* Vide & Ioannem Climacum in Scalâ Paradisi. Gradu. XVI., Cassianum. Alios.

iniurias cum retorsione.] Harum impatientem esse hominem inter homines honestè victurum convenit. Et eo ducũt Hispanica egregia duo Carmina, quę

 à Patre

à Patre Nobili & Generoso Filio instructionis vicem, in Aulam aliquam profecturo, commendata sunt; quæ in manus meas venerunt non sine singularis Prudentiæ præfatione; quam sanè egregiè & habent & merentur; adscribam autem integra ut eis velut insignibus Gemmis Notæ hæ ornentur.

SONETO.

Hijo, por donde quiera que os llevare.
La Fortuna mudable, sed bien quisto:
Lo primero amparad la fe de Christo.
Que en vida y honrra vuesso amor declare.
Servid bien vuesso Rey, y al que os honrrarè.
Resistid à los trabajos que resisto,
No digays mal de lo que no aveys visto.
Persiquid quien vuesso honor culparè.
Dad lugar al mayor, sufrid al loco,
Iamas à nadie deys mala respuesta,
Al sabio honrad, y dad siempre al que os pide.
Hablad à tiempos bien pensado y poco,
Y no mireys muger, que no sea honesta,
Que es el mayor peligro de la vida.

Hoc prius, alterũ istud est, vice Dialogismi quàm ...indissime & exactissime elaboratum.

I.

Dezidme un buen Cavallero
Que cosas ha de tener
Para parecerlo? ser
Buen Christiano lo primero.

II.

II.

Y de trato? noble y claro.
Que hara? no hazer cosa fea.
Y en lo que es gastar? que sea.
Entre prodigo, y avaro.

III.

Que hara, si deve? pagar.
Que no ha de ser? Inquieto.
Y que ha de guardar? Secreto.
Pocos lo saben guardar.

IV.

Con las mugeres? afable.
Ha de querer? à ninguna.
Mudable? Con la fortuna.
Y en lo que promete? Estable.

V.

Sera amigo? de su amigo.
Que hara? serville y honoralle.
Y al enemigo? estimalle.
Y que de mas. ser le enemigo.

VI.

Que no ha de dar? Ocasion.
Si se la dan? arrojarse
Y si le afrentan? vengarse.
Y que ha de tener? razon.

VII.

Y sobre todo qua importa,
Qua trate siempre verdad.
Essa licion repassad.
Pues es importante y corta.

Qui paucos hos rythmos dignè enarrare voluerit, grandem optimorum monitorum Commentarium coacervaverit. Id quod à nobis fortè aliquando non prætermittetur.

O fili bene dicunt.] Vide Platonem libro Decimo de Legibus, ex quo hæc translata sententia videtur.

fortunam adesse audentibus.] Celeberrima sententia. Cicero. II. Tusculan. *Fortes Fortuna adjuvat, ut est in veteri proverbio, sed multo magis Ratio.* Ovidius II. Fastor.

Audentes Forsq; Venusque juvant.

Vide Stobæi sermonem. XLIX. Nos ad Epistolas Claudiani; mihi tamen semper commendabilius fuit quod Theoctisto cuidam adscribitur, dictum: *Nemo adhuc umquam audaciâ, sed industriâ, Generositate, atque Modestiâ virtutis opinionem acquisivit.*

& ob id secura,] minus videlicet: Quod ἀπὸ κοινȣ̃ repetendum. Nihil attinet de Fortunæ magnæ periculis congerere sententias Majorum, cum eæ ubique obviæ sint.

Areusa.] hoc fatale homini evertendo nomen quã scitè quamque astutè pessima anus fini sermonis servavit? Quæ enim omnium talium conciliatrix erat, noverat huius Amore Parmenonem perire. Puella autem isthæc quamlibet meretrix formosissima & gratiosissima inducenda est, uti infra etiam à Sosia commendatur.

culpa

culpa est credere omnibus.] *Estremo es creer à todos e yerro no creer à ninguno.*

ægroti cordis est.] vel: *tu imbecille pectus habes ad ferendũ fortunam prosperam. O mezquino de enfermo corazones sufrir el bien.* Possis aliter etiam capere.

debere nos conversari.] Vulgo apud Hispanos jactatur. *Allegate à los buenos, seras uno dellos.* Qualibus sententijs, Paroemias alludentibus, ea lingua præter cæteras locuples & felix est; vel ideo etiam amanda prõtius. Vix enim talis quæpiam non utilissima erit Vitæ sententia quam tales hominis ijs negotiis experiundis sanxerũt, ut magnam partem summæ Prudentiæ post res maximi põderis gestas, his inclusam quilibet acutior possit perspicere. Vide Senecam Epist. XCIV.

Ninnarium.] Glossæ Isidori. *Ninnarius cujus uxor mœchatur & tacet.*

Patres.] ex auctoritate præcipiendi. Florus libro. I. cap. I. *Consilium Reipublicæ penes senes esset. qui ex auctoritate Patres, ob ætatem, Senatus, vocabantur.* Lactantius lib. II. cap. VII. *Legit in Senatum eos qui ætate anteibant, & Patres appellavit, quorum consilio gereret omnia.*

Præceptoribus.] Vide Senecæ Sextum de Beneficijs.

minime fame confecto.] *ô quæ persona, o que hartura.* Non indignum & commendante & commodatô quod de fame scripsi; quam fugisse talibus summum votorum.

ille te majore.] obscuriora hæc sunt: *Pero callemos que se acerca Calisto, y tu nuevo amigo Sempronio, con quien tu conformidad para mas oportunidad dexo.* Cum quo reconciliationem tuam opportuniori tempori relin-

quo. Vides odori lucri omnia posthabere sceleratam vetulam.

& absque dubio.] *y sin duda la presta dediva su efeto ha doblado: parque la que tarda el prometimiento muestra negar y arrepentirse del don prometido.*

nulla pestilentia magis efficax est.] *O Dios, no ay pestilentia mas eficaz que al enemigo de casa para empecer*, Cuius dicti veritas quotidianis exemplis clarissima est.

ACTV. II.

POstquam tantum argenti Callisto, centum scilicet aureos antequam quicquam ejus negotio consuleretur. Celestinæ dedit, non solum ab ipsâ ludibrio habetur, sed servi etiam pro planè amente illum subsannant; quibus in Concordiam redactis ita Vetula omnia dirigit, ut hi apud eam amicas suas habeant, ipsa autem sola omnia Callistoni profundenda ad se corradat.

nobilißimum locum obtinet.] Vide Timæum περὶ παντὸς PLatonem & Chalcidium Timæo. Macrobium in Somnium Scipionis libro. 1. cap. XIV. Ovid. Met. 1. Alios.

alienam lucem.] maiorum scilicet. Ovidius.

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi.
Vix ea nostra puto——

Seneca Hercule Furente.

——nobiles non sunt mihi
Avi, nec altis inclutum tumulis genus.
Sed clara virtus,
——qui genus jactat suum
Aliena jactat——

Macias ille.] quis sit iste *Macias* ego omnino ignoro, videtur

videtur eorum temporum, quo hic liber Scriptus est, famosissimus Amator quispiam fuisse, qui infinita ob desideriorum suorum infelicem successum, mala passus sit, animo non nimium repugnante. Id colligas ex actu ultimo, ubi ita ejusdem meminit PLeberius: Quæ *me diras de aquel Macias de nuesso tiempo, como acabo amando? de cuyo triste fin tu fuiste la caussa.* Vbi vides & malè tamdem ob Amorem infelicem illum interiisse. Hispanica autem hoc loci obscurius sonant hoc modo: *Lee mas adelante, buelve la hoja, hallaras que dizen que fiar en lo temporal, y buscar materia de tristeza, que es ygual genero de locura, y aquel Macias, y dolo de los amantes del olvido, porque le olvidava, se quexa en el contemplar. Esta es la pena de Amor, en el olvidar el descanso.* Si cui nota foret paullo melius Maciæ istius historia, nullo negotio commodius ista reddere posset. Nos in ignoratione rei verbis adhæsimus; sententia autem esse debet; exemplum clarum dare Maciam istum Amoris flammas oblivione sedari, qui in ipsa contemplatione ipsius illum oblivisci voluerit. &c.

dirigere calcem contra stimulum.] proverbium à jumentis veterum, quæ non loris & scuticis, ut hodie moris est, sed stimulis incitabantur. Est apud Suidam.

Opinio sæpe] monstrum illud quod omnis exercitus verorum Philosophorum semper oppugnavit, quod occæcatis humanis sensibus, nequaquam ut sunt res videre eos & æstimare patitur, unde infinita mala in vitam humanam veniunt, & dilati, de Bono vero vanis cogitationibus mortales, etiam sui obliviscuntur, Deorumque beneficiis ingrati fiunt & felicitati suæ propriæ perduelles. Pulcrè Seneca Consol. ad Mar-

ad Martiam cap. XIX. *Opinio est quæ nos cruciat, tanti quodque malum est quanti illud taxavimus.* Arianus diss. lib. II. cap. XVI. τίνα οὖν ἐστὶ τὰ βαρῦντα καὶ ἐξιστάντα ἡμᾶς, τίνα γὰρ ἄλλα ἢ τὰ δόγματα; quē lege veras Opiniones, quas sequi oporteat, definientem. Scite ergo, ut omnia, hoc quoque Socrates qui Lamias vulgi appellabat Opiniones, larvas videlicet, omnem perspicaciam rerum tollentes & illudentes. M. Antoninus libro. XI. Σωκράτης δὲ τὰ τῶν πολλῶν δόγματα, λαμίας ἐκάλει, παιδίων δείματα. Eum lege amplius libr. IV. & II. Inter Pythagoræ quoque præcepta refert οἰήσεως καθαρεύειν Hierocles aureolo in Aurea carmina Commentario.

Sensus Nostros.] quanta sensuum humanorum sit imbecillitas opinionum copiæ demonstrant quæ ita eos sursum & deorsum agunt, ut nequaquam ullius rei certitudinem ullibi ullam habeant, quod docent præcipuè inter Philosophos Sceptici, & eorum Epitomen dogmatis nobis conservans sextus Empiricus. Petronius Arbiter.

Fallunt nos oculi, vagique sensus
Oppressâ Ratione, mentiuntur.

Seneca Epistolâ. LXVI. *De bonis ac malis sensus non judicat, quid utile sit, quid inutile, ignorat. Non potest ferre sententiam nisi in rem præsentem perductus est: Nec futuri providus est, nec præteriti memor; quid sit consequens nescit.* Gregorius Nyssenus Vitâ Gregorii Thaumaturgi. οὐδὲν καινὸν πεπόνθατε φασὶ πρὸς αὐτοὺς ὁ διδάσκαλος ὀφθαλμοῖς ἀπατηθέντες καὶ τῇ αἰσθήσει μόνῃ τὴν κρίσιν τοῦ καλοῦ ἐπιτρέψαντες. σφαλερὸν γὰρ κριτήριον τῆς τῶν ὄντων ἀληθείας ἡ αἴσθησις, τὴν πρὸς τὸ βάθος τῆς διανοίας εἴσοδον δι᾽ αὐτῆς ἀποκλείουσα. Auctor κυρίων δόξων de Animà, Editus à Ioanne Tarino. ἡ μὲν οὖν δόξα καταγίνεται περὶ τοῦ καθόλου τὸ ἐν

τοῖς αἰσθητοῖς, ἀλλὰ οἶδεν ἄνευ λόγου τὸ συμπεράσματι. Guitmundus Archiepiſcopus Averſanus libro. 1. de Sacrament. *Senſus perſæpè falli tum veterum Philoſophorum multa argumenta tum quotidiana experientia pleniſsimè docent. Æquè enim, ut ait Boethius, ſenſus & in maximis & in minimis confunduntur. Vnde fit ut de his in quibus confunduntur, merum ſincerumque judicium habere non poſsint de mediocribus quoque rebus non juxta rerum Veritatem, ſed pro affectu judicant ſentientis.* Quæ quam vera ſint utique rerum exitus & æſtimationes docent; Fatui contra ſentientes Epicuræi ſane acumine ſuo ipſo cæcutierunt ut alibi à nobis demonſtratum eſt.

in ſervitio ſervi.] *en el ſervitio del criado eſtà el galardor del ſeñor.* Acutè pronunciatum.

ei vendis.] *a quien dizes el ſecreto das tu libertad.*

Medius.] qui intervenit negotiis componendis Medius perhibetur, qui conciliat ſcilicet duo diſſidentia vota. Radulfus Ardens Homiliâ in v. Quadrageſimæ: *Medium ordine Chriſtum Dominum dicit*, quia per eum Humanitas Divinitati conciliatur. Silius lib. XVI. Punic.

Haud deformis erit vobis ad fœdera verſis
Pacator, mediusque, Syfax——

Horatius.

Pacis erat Mediusque belli.

Lucanus.

Craſſus erat Belli Medius mora——

Severianus Epiſcopus Sermone in nativitatem Domini: *Pax Domini, media aſsiſtens, & utrumque noſtrum gremio palpante connectens, diſcreta corpora in unum convenire animum ulnis jungentibus docet.* Plura ad Claudianum

Consultatu Mallij, alterâ Editione; cujus locum primus rectè legit amicus noster Casp. Gevartius in Electis.

ardelionis anus.] *trotaconventos* commodius Latinè reddere non potui. Illa autem infamia Celestinæ sæpius hoc libro memoratur, ubi publicè stetisse infamiæ pileo caput implumata (si ita loqui licet) dicitur. Hîc Parmenonis verba sic sonant. *y lo que mas dello siento, es, venir à manos de aquella trotaconventos despues de tres vezes implumata.* Postquam ter jam infamis facta est, demum bonis tuis potietur anus, te pessumdato.

fustes querit.] palos querra esse vellaco. Fustium ictus apud Hispanos ad numerum dantur, ad delicti pondus.

Maledicis illam.] Petronius: *Maledic illam versibus.*

nescis primum ad stultitiam.] *no sabes que el primer escalon de locura es creer ser sciente?*

male mihi consuluerunt.] cantiuncula est servi dum Equum sternit, & producere laborat:

stapedem.] sic vulgo vocant ista equi adjutoria. An ea veteribus usui disquisivit Hieronymus Magius, vir ob bonitatem judicii, & eruditionem egregiam, meliore fato dignus quam quod à barbaris Turcis strãgulatus obiit, in Miscellaneis; vide & Ioannem Brodæum pari Opere.

propterea quod fidelitatem.] Rythmus Hispanicus pulcrè sonat: Por ser leal padezco mal.

averso rivo &c.] non potui commodius transferre hæc duo proverbia, quæ sic suo ore sonant. *A Rio buelto ganancia de pescadores* , *Mas nunca mas perro al molino.* Quæ siquis, ut cætera etiam hujus libri talia, ut merentur

rentur enarrare voluerit, immensum molem Commentariorum concinnet.

ACTV. III.

PEcuniæ soluta.] *à diernos pagados, braços que brados.* Quæ in varia possunt intelligi. Sensus autem est solere eos, qui operi cuidam exigendo redemti, mercedem aggressione ejus præceperunt, velut fractis brachiis ad laborem accedere. Quo monemur ne mercedem Operario cuivis ante opus confectum, solvamus, aut præhibeamus. Illustris Sapientiâ hic sermo est, quem totum Hispanice huc transscriberem si otium esset; si enim Latinè sonat commodè, sanè nec isthic inconcinnè. Videtur autem maximam partem ex Marci Antonini Imperatoris libris καθ' ἑαυτὸν haustus, quos & nos recenti Latinitate donavimus.

Nosti aliam substantiam.] sæpius idem dicendo anilem curiositatem & loquacitatem spectandam proponit.

uti nemo non novit.] quæ toties publice notata ignominiâ est non audet dicere quippiam honesti, & non vult turpe; itaq; inter utrũq; medio tramite incedit.

Mater ipsius & ego.] su madre y yo uña y carne.

frangit rupes.] Horat *Aurum per medios ire satellites Et perrumpere amat saxa.*----Illud de asino notum est Apophtegma Philippi Macedonis.

Delicatulæ gannitrices.] Hispanica sic sonant. *coxquillosicas son todas; mas despues que una vez consienten la silla en el enves del lomo, nunca querian holgar, por ellos queda el campo, muertas si, cansadas no. Si de noche caminan nunca querrian que amaneciesse, maldizen los Gallos, porque anuncian el dia, y al relox, porque da tan à priessa, requieren*

quieren las cabrillas y el norte, haziendo se estrelleras, ya quando veen salir el luzero del alva , quiere se les salir el alma, su claridad les escurece el coraçon. &c. possunt quædam hinc aliter reddi, sensus tamen est libidine post inexplebiles puellas esse, quæ primum magna ambitione castitatem jactaverint. Quam sententiam ex se anus confirmat.

adfirmo tibi.] vulgatum & tralatitium.

Aut odit aut amat mulier, nihil est tertium.

Non eas lanam,] *no vayas por lana, y vengas sin pluma.* Servus autem postea alludit ad pileum plumis contextum, quem aliquoties jam infamiæ notam medio foro anus sustinuerat.

ACTV. IV.

R*Es enim non satis.*] *aquellas cosas que bien no son pensadas aun que algunas vezes ayan buen fin, commun mẽte crian desvariados efetos. Assi que la mucha Especulation nunca carece de buen fruto.*

Quando extremis rebus.] *Quando a los estremos falta el medio, arrimarse el hombre al mas sano, es discrecion.* Sequentia mirificè superstitionem & omnium curam proponunt. Sic illa homines, aves, saxa, se ipsam, talibus considerat.

quæ est vetula ista.] *quien es essa vieja que viene haldeando.* Non potest uno verbo Hispanici vis exprimi.

aquam cribro cogere.] Proverbium est, ut in illo.

Agua coge con harnero
Quien [illegible]ee de ligero.

Et apud Petrarcham, puto, Lectum est.

In aqua solca, in arena semina

Nel

Nel vago vento spera; in rete coglie
Qui pone sua speranza in cuor da femina.

Sic mens magister.] Cacodæmonem dicit quem licio involutum circumgestare putat; quemque per intervalla mox alloquitur.

monachos notæ relligionis.] ambiguam de industriâ sententiam feci, cum antè memoratum sit quid cum illis negotietur. Sequenti responsione Celestinæ prudẽs omisi proverbiũ ineptum Latino sermoni. *Viva la gallina con su pepita.* Et illud etiã alioquin anilem sermonem solum decet hoc loco, ut non magni facienda sit ejus præteritio.

nulla cruditas fame.] est Homericum inter omnia humanitatis supplicia famem esse pessimum. Vide ad Augustini de Civitate Dei primum Commentaria.

loqueris tu de mundinis.] vide amabilem prudentiam in generosâ puellâ, qualem in talibus commendant omnis seculi scriptores. Proverbium ita sonat, suâ linguâ.

Hablas de la feria segun te va en ella.

ad quamque mansionem.] Mansiones quæ sint vide nos in Adversarijs, & doctos ad Itinerarium Antonini. Verba Hispanica sic sonant. *à cada cabo ay tres leguas de mal quebranto.* Quæ etsi aliter sonent, id tamen volunt quod expressimus. Sequentia omnino divina sunt, & ex profundissima Philosophiâ petita. Quæ si enarres, Commentaria facias.

mutatus est iste.] Sermo Lucretiæ potest etiam aliter reddi, *hi, hi, hi, mudada esta el diablo. Hermosa era con aquel su Dios os salve, que traviessa la media cara.* Nã & vafritiẽ & malignitatem conscceleratæ vetulæ indicare poterit,

quæ

quę cum dicat palam, Deus te juvet, tibi bene-faciat. Clam secum murmurare consueverit, ut medium tibi caput ruptum videam. Sic solent tales, & non rarò ipsa isthæc. Potest & hoc dicere: *illane cum istâ cicatrice suâ, quæ medium ipsi caput diffindit, formosa erat?*

ut quatuor filiarum.] nihil hoc ad rem pertinet: quid enim si illæ singulæ sint etiam magis vetulæ. Artificium scriptoris egregium est, ut anus cum puellâ generosâ, impatiente, & minimè suspiciosâ loquens, faciat se simplicē, ut eò facilius credatur ipsi quod postmodum abscondito astu illatura est. Itaque hic simplicitatem etiam stolidam affectat.

omnibus male cessurum.] In Hispanico fortè legendū: *que todo perderiamos*, non *todos*. Sic erit sententia. Vt omnia perdiderimus, si sine iudicio rei ego recessero.

a cena duci] poterant aliter hæc reddi. Nos Latinitati consuluimus, cum alioquin Hispanorum in talibus consuetudines parum cognitæ sint iis qui regiones eas non viderunt, quorum cum rarissima sit raritas, sanè nos meritò captum plurium attendimus. Et quid oberit sententiæ scenam totius fabulæ in commune quoppiam theatrum reducere?

panis & vinum.] *Pan y vino con dan camino.*
Quę no moço garrido.

Benè enim facere Deo nos æquat.] est ex illo Imperatoris Christiànissimi & Felicissimi apud Claudianum.

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat Clementia nobis.

Et fuit is eloquentissimus & prudentissimus scriptor omnium post seculorum communis quidam in talibus Magister. Paria plura ad eum in secunda Editione Nostrâ, quā ad Sexdecim Manuscriptorum cōpara-

parationem, quam primum Typographi cæteris nostris se expedierint, promulgabimus.

desultoris parietarii.] *Saltaparedes. Iesu no oyga yo mentar mas esse loco saltaparedes, fantasma de noche.* Innuit hominem insanum, amentem; qui furore percitus per parietes adversos evadere velit Sic Sempronius de eodem Actu Nono. *aqui està quien me causo algun tiempo andar hecho otor Ca listo. perdido el sentido, cansado el cuerpo, la cabeça varia, los dias mal durmiendo, las noches velando, dando abboradas haziendo momos, saltando paredes, poniendo la vida al tablero &c.*

omnia quæ cuperet ipsius esse potestatis.] *que quedava por el el campo.* Campum omnem pro ipso esse. Est Hispanismo solenne, sic supra Actu superiore. *Por ellas queda el cãpo, muertas si, causadas, no.* Cui par est. Andar à suposta. Vt in Coloquio de las damas. *Et pẽsar tener por suyo el pan y el palo.* Cujus generis plura inibidem occurrunt.

nisi qui superatum.] Est itidem Claudiani nostri.

——*non est victoria major*
Quam quæ confessos animo quoque subjugat hosteis.

Porro adulescẽtulæ hujus oratio, primũ ad Amoris officia tẽtatæ, ingeniosissimo artificio cõposita est; ut parẽ totis Hellade & Latio legisse non meminerim.

his nundinis.] *Pues tan libre vas desta feria.*

veritatis voces nullis opus habere.] *La verdad no es necessario abundar de muchos colores.*

patrem numquam.] non est rigide verum.

firmitas veritatis ea est.] *a la firme verdad, el viento del vulgo no la empiece. Vbi firmitate sua veritas nititur, non est timẽdum ventositatem vulgarium rumorum, illi obfuturam.*

munusculo aliquo emendabis.] videtur hoc velle aniculæ dicteriũ etiãsi prorsus aliter sonet. *Tu mala palabra sera* [illegible] *Sayâ.* Non poterit commodius traduci.

magnus ille imperátor.] Verſus, fortiſſimi, doctiſſimi, tamen & vítioſiſſimi, principis, Adriani, quos animæ abituræ dixit.

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut ſoles, dabis jocos?

Quæ ut lepidi & commiſerabiles ſunt, ſuâ linguâ; ſic Græcis ab homine Antiquitatis conſultiſſimo, Iſaaco Caſaubono ; redditi ſunt non minus divinis hiſce; quos paritar meminerim.

Εράσμιον ψυχάριον
Ξένη χ' ἑταῖρα σώματος
Ποῖ νῦν, πάλαιν' ἐλεύσεαι
Αμεινὴς. γοερᾶτε, καὶ σκιὰ
Ουδ' οἷα πάρος, τρυφήσεαι;

Naturam ipſam fecit Deus.] ſcelerátá Philoſopha. Naturam quidem, ſed non libidinem diabolicam, quæ cum inſita hominibus naturæ videatur, illi ipſam Naturam criminari non verecundantur. Vide cætera animãtia, nullum non ſecundum naturam ſuam vivit, homo quot libidinibus contrà illam: Quâ de re nos cecinimus aliquando, libro priore de Fide ſalvificâ; quem vide, ſunt enim prolixiora ea carmina, quam ut commodè huc transſcribi poſſint. Et libelli nunc nuper editi in omnium manibus verſantur.

injungo & commendo.] poteſt etiã hæc ſententia eſſe: plurimũ tibi debet iſte tuus juvenis generoſus. *Encargo te eſſe Cavallero.* Tamẽ priorẽ ſententiã auctor voluiſſe videtur, jã n. animus Melibææ prorſus amore ſuperatus eſt, quę ipsũ ſuũ honeſtũ facinus convitiatur.

Caval-

Cavallero autem hodie id significat, quod nequaquã Latine exprimere possis, cum sit etiam generis commendatio.

ACTV. V.

O *Male Dæmon.*] Male Deos vocabant veteres CacoDæmonas; nã & horũ habebant discrimen insigne, ut notavit Iosephus Scaliger, hominum eruditorum Phœnix, ad Manilium. De Dæmonibus elegãs est Dialogus Michaelis Pselli, quem notis illustratũ edidit insignis ingenio, Eloquentiâ, Et doctrinâ, G. Gaulminus, non ita pridem.

mediam confectam esse.] *Sabe te que la mitad esta hecho, quando tienen buen principio las cosas.*

quas exegi hactenus.] *ò yo rompjera todos mis atamientos hechos, y por hazer, ny creyra en hiervas, ny piedras ni en palabras.* Sermo est abruptus. ait enim anus aut negotium se confecturam, aut nullam vim tribuituram porro omnibus artificiis suis, vel etiam illa omnia projecturam:

numquam fugiendo ignavus.] *Nunca huyendo huye la muerte el covarde.* Vide Stobæi Sermones. V. VI. & XLIX.

& illic relinquere.] aggravat discrimina sua, quo periculo apud Melibæam fuerit; ut aliæ duæ ejusdem census nequaquam tale quid sine summo discrimine expediverint. *Hijo, essa regla de bovos no es siempre cierta; que otra hora me pudiera mas tardar, y dexar alla tas narizes: y otras dos narizes, y lengua, assi que mientra mas tardasse mas caro me costasse.* Asine, inquit, tu de longa commoratione meâ auguraris felicem rei successum. Ego dico tibi non credendum fatuæ isti regulæ. Tam enim periculosum hoc negotium fuit, ut penè nullo effectu,

etiam insigni meo detrimento, mihi longiori etiam tempore illîc manendum fuerit.

aliis rebus magis utor!] Locutio familiaris Iurescon-sultis, hoc autem dicit Sempronius pluribus sibi opus esse quam quæ ad vitam & victum solum faciant. *Otras casas he menester mas que de comer.* Sequentia ex more regionis sunt. Quæ de arcu sequuntur, obscæniora sunt, nec verba Hispanica Latinismum capiunt περὶ λέξιν. Itaque sententiam sum secutus. *Arcus* in Priapæis est *muto.*

Sapientis est propositum mutare.] El proposito muda el sabio, el necio persevera. Francisci Sansovini celebre dictum est. *Il mutar talhora proposito è effetto di prudenza.*

cauti & prudentis legati.] *de los discretos mensajeros es hazer lo que el tiempo quiere.*

charaxat.] signat, Christianorum est scriprorum. Vido Conradum Rittershusium ad Paulli sententiarum Fragmenta.

ACTV. VI.

VT *& tunicam tibi poscens.*] superiora dicens vetula tecto astu Commonstrans Callistoni vetus suũ, usque detritum, pallium, poscit ab eo novum; quod Parmenonem male habet.

opus habet.] additum est tralatitium proverbium: *que el Abad de donde canta, de alli se viste.* Cui respondet Parmeno. *Y aun viste comió canta.* Quæ non possunt bonis Gratiis traduci. Nempe Abbas unde cantat, inde se vestit, &c, Sensûs in proclivi est.

jam dum meras catenas.] Hispanica sic sonant; si quis fortè curiosius ea expendere velit. *ya discurre eslavones,*

el perdi-

el perdido. ya se desconciertan sus tadajadas, nunca da menos de doze, Siempre esta hecho relox de media dia.

factus es Seps.] *Seps*, serpentis genus, dicitur aures obturare cum incantator aliquis accesserit, ne voces carminum Magicorum audire necesse habeat, & ita imperium eorum sequi. Mentio apud plurimos sacros & profanos scriptores.

frontem palma verberans.] more eorum qui vel stupent ad aliquas res, vel admirantur alioquin, vel dolent. Cicero. I. ad Atticum: *Competitores qui certi esse videbantur, Galba, Antonius, & Q. Cornificius; puto te in hoc aut risisse, aut ingemuisse ut frontē ferias, sunt qui etiam Cæsonium putant.* Idem in Bruto. *Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur, pedis, quod minimum est, nulla supplosio.* Heliodorus lib. II. καὶ ὁ μὲν Θεαγένης παίων τὴν κεφαλὴν, καὶ τίλλων τὰς τρίχας ἐῤῥίφθω, φησὶν, ὁ βίος εἰς τὴν τήμερον. Sic *femur* percutiebant, in magna animi commotione, quod admittere oratori, non autem frontem, ait Quintilianus lib. XI. Nonnus Panopolita lib. XVI. Bassaricorum.

Καὶ ῥοδέας ἐχάρασσε παρηΐδας. ἀμφοτέρους δὲ
Μηροὺς πλεξαμένη, κινυρῇ βρυχήσατο φωνῇ.

Fulgentius libro primo Mythologicon. *Tum illa cachinnum quassans fragile, colliso bis terque pulsu palmula femore, nescis, inquit. Fulgenti.* &c. Hieremias Propheta. cap XXXI. *Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.*

lallationes.] voces nutricū quib. pueris blandiuntur ut dormiant, etiam voces puerorum. Persius sat. III.

Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, & iratus mammæ, lallare recusas.

Cornutus enarrator priscus. *Nutrices infantib. ut dormiant solent dicere sæpè, Jalla, Jalla, lalla, aut dormi aut lacte.*

fatidica de Hetruriâ.] in hispanico est *athleta*. Sed talia in linguis à Latinâ descendentibus, mirificè detorquentur. Puto autem Sibillam intelligi. Sed est recens Historia.

ex tempore capiendis consiliis.] Comici est apud Stobæum.

malo aliquo occursu.] ex superstitione veterum, quã in libris Adversariorum, & ad Claudianum, alterâ Editione, ut & peculiari opere de talibus, illustrabo fortè. Persuasum enim erat Paganis hominem nigrũ, castratum, mancum; aut alioquin bestiam, ominosam, occurrentem, indicare malum eventum negotiorum præsentium, aut post gerendorum.

Alcibiadi quondam.] Consule Plutarchum.

Unius horæ spatio.] Proverbialia sunt Hispanica. *Consue senor, que en una hora no se gano çamora; pero no par esso desconfiaron les combatientes.* Alludit veterem quamdam Historiam, bellis etiam inter Francos & Hispanos ferventibus. A quorum memoriâ plurimi *Refranes* superstites eam linguam tenent, & Ego in Originibus hujus arbitratus sum *Refranes* ipsos à Francis dicteriis confutatis, Castillanum nomen habere.

ACTU. VII.

P*Armeno fili.*] Longam & gravem orationem ad Parmenonem anus exorditur, ut eum, quacunq; etiam ratione, ab heri fidelitate, abstraheret. Efficit tandem rem Areusæ conciliatione: quam statim, juveni minime absurdi ingenii jungit, ut in re præsenti cum pignore certo sibi addiceret.

mutari

mutari mores cum capillis.] *Mudan se costumbres con la mudança del cabello, y variacion.*

Amare te debere si amari velis.] Sabes que es menester que ames, si quisieres ser amado. Martialis. *Marce ut ameris, ama.* Claudianus. *non extorquebis amari.*

Hoc alterna Fides hoc simplex gratia, donat.

Proverbium sequens. *que no se toman truchas*, nihil ad Latinam traductionem.

Iustitia apprehendit te.] Lictores missi à prætore. Vide quæ de hâc voce, quam volens retinui, dixi in Dissertatione.

necesse est aliquid pati.] nimis refert pulcre hoc dictũ senilem calliditatem, & exprobrationem cum excusatione, velut seriâ. Verba sic sonant. *Algo han de sufrir los hombres en esse triste mundo, parà sustentar sus vidas & honras.* Et loquitur venefica publice infamiæ pileum ferente.

Virgilius.] nota fabula de nescio quo barbarorum temporum Mago, Virgilio; quam nullâ ratione & fronte contrà omnem historiam & fidem Maroni vulgus adscribit; Fatuum & fatuos sectatores habens. ὁ δὲ φρόνυπς ἱπποκλείδη.

summâ securitate.] totus sermo iste sarcasmis cæcis plenus est, urit enim quà potest, Celestina Parmenonem scelera matris ipsi explanans. Sic hoc loco securum illum de hæreditate paternâ vivere posse ait, nõ enim timore opus est ne id alicui auferatur, quod nihil est, neque ab illo habetur. *Que lo que tu padre te dexo, à buen seguro lo tienes.* Fatuum autem etiam simul thesauri suprà memorati mentione fascinat. Quæ in sequenti Celestinæ sermone de Ludo Schaccorum; ut vocant, producuntur, non possunt eôdem Latine describi.

ſcribi. Quid enim *Xaque*, quid *mate* ſit, non habet ea lingua edicere.

Sic diteſcis tu quidem.] Aliter capi etiam poterint Hiſpanica: *Con gallinas, hija? Aßi ſe hara la hazienda, andar paſſe. Otro es el que ha de llorar las neceßidades, que no tu, yerva pace quien lo cumple, tal vida quien quiera ſe la querria.* Videtur aliquid corruptum eſſe in exemplari meo.

lupinos pro nummis.] Hiſpanica ſic ſonant, *aßi que neceßidad mas que vitio me hizo tomar con tiempo las ſavanas por faldetas.* Plenæ ſunt talibus ſermocinationes meretricum.

vah quam ſuaviter.] more meretricum omnia ſua perfumantium Infra Actu XIX. Soſia de eadem hac Areusâ. *tenia unas manos como la nieve, que quando las ſacava de rato en rato, ne un guante, parecia que ſe derramava azahar por la caſa.* Et inter officia Celeſtinæ, Actu. I. *Perfumadera.*

dum non paries.] latet ſceleratum aliquid in his verbis, quæ in eum finem anus dicit ut ab amore unius Areuſam avertat.

neque tantum ego emolumenti.] Hiſpanica poterunt & paullo aliter accipi. *tengo vezinas embidioſas, luego lo diran; aßique aunque no aya mas mal de perderlo, ſerà mas que ganare en agradar al que me mandes.*

vide quo periculo.] Hiſpanicum hoc eſt *Quien no tiene ſi noun, ojo, mira â quanto peligro anda.* Addidi ego, peregrè. Senſus autem illuc it, quod eo effoſſo de luſco cæcus exeat.

qua ſocietas eſt laudabilis.] Proverbium Hiſpanicum. *Compania de uno; Compania de ninguno, Compania de dos, Compania de Dios, Cōpania de tres, Compania de Reyes, Compania de quatro, Compania de Diablo.*

Et quo-

Et quoniam duos simul,] *y pues entrambos no eaben en un saco, acoge la ganancia.* Oportet in talibus remittere stilum & vulgaritati sermonis accommodare.

malus demon in palatium.] *Que al hombre veronçoso el Diabolo lo truxo à palacio.*

illum sine rubore.] non adsequuntur Latina sensum Hispanorum. *En cortesias y licensias estas? No espero mas aqui; yo fiadora. que tu amanezcas sin dolor, y el sin color. mas como es un putillo gallillo, barbiponiente, entiendo que en tres noches no se le demude la cresta: destos me mandavan à mi comer en mi tiempo los medicos de mi tierra, quando tenia mejores dentes.* Quæ mirificè anum talem decent.

porro cum pirata piratam.] poterat & aliter transferri: *Pues de cossario à cossario no se pierden si nos los bariles.* Qualia in omnium ore versantur, & suâ linguâ adnotanda mihi visa sunt, quoniam plurimis omnino negotiis applicari possunt, & in talibus nulla lingua supra istam.

oculum mihi prius.] Iuvenalis hoc Latinè extulit. Et ex eo nos in Epigrammatis.

Vt ne uno contenta viro sit subjiciana?
Contentam dicas, mavolet, uno oculo!

In eorum mentionem cum commode hîc incidã Lectorem meum sperare jubeo Editionem eorum quam maturimam demtis omnibus illis, quæ me periculosissimè decumbente, anno. CIↃ. IↃ. CXIII. interspersit invehentia & intrusit maledica Tharrhæus Hebius; qui hæreditatem meam etiam vivi cernens, lubitu suo tria mea volumina, interpolavit; quæ talia, ut ille promulgavit, nequaquam pro meis agnosco. Itaque brevi exstabunt ea facie, qua non verecundentur omnium auribus probari.

quamquam enim gustus.] *que aun el sabor en las enzias me quedo, no lo perdi con las muelas. Quamquam dentes amiserim, superest tamen gustus in gingivis.* Properans ista alio sensu verti. Conveniunt autem in eadem re Germanorum proverbio. Ein pferd das den haber nicht mehr beyssen Kan/höret ihn doch gern Schwingen.

qui in multas partes.] *quien en muchas partes derrama su memoria, en ninguna la puede tener.*

bestia.] in Adversariorum Commentariis docui hoc convitium etiam veteribus in usu fuisse; nunc omnibus familiare.

juventus enim otiosa.] *La moçedad ociosa, acarrea la vejez arrepentida y trabajosa.*

sapius enim magistri industriam.] *muchas vezes, como dizen, al mæstro sobrepuja & buen discipulo.*

nulla scientia bene.] *ninguna scientia bien es empleada en el que no le tiene aficion.*

ACTV. VIII.

E*T hoc fine Deus.*] *Que por esso hizo Dios, nu dia tras otro, porque lo, que en uno no bastasse, se cumpliesse en otro.* Scelestus etiam sententias loquitur.

voluptas cujus conscius.] *El plazer no comunicado no es plazer.* Multa in hanc rem Celestina supra, amicitiam cum Sempronio Parmenoni suadens.

strigilem illi.] turpius est quod de Hispanico nos jussimus Latino more loqui. *No se que crea de tu tardança; si no que quedaste à escalentar la vieja esse noche, ò a rascarle los pies, como quando chiquito.*

si stultitia dolor esset.] *Si la loçura fuessen dolores, en cada casa auria bozes.* Elegantissime.

Mopso Nisam obtigisse.] *otra sardina se eche para el moço de ca-*

de cavallos, pues tu tienes amiga. Sardina est species minuti halecis, ditiorum mensis frequentata.

cotis instar factus] *hecho tablilla de meson, que para se no tiene abrigo, y da lo à otros.* Signaculum domus aut tabernæ factus, quod ipsum in publico pendet, aliis autem indicat locum stabulandi.

O Parmeno jam percipere.] *ô Parmeno, agora podras ver quan facil cosa es reprehender vida agena, y quan duro guardar cada qual la suya.*

falsum & inauratum metallum.] *Luego se descubre el falso metal dorado per encima.* Contra tamen sæpe etiam verũ est quod Epistol. Moralium libro. 1. scribit Honorius Vrfæus; Scriptorum Gallorum Elegantiâ & Sapientiâ non postremus. *Il est vray; quelques fois les plus experts lapidaires sont trompez de la belle apparence des pierres falsifiées.* &c.

De penu amplâ.] *En casa llena.*

Presto se adereça la cena.

Antipater Sidonius.] Exstant hujus Exigrammata aliqua. De Ovidio ipsius testimonio notum est, Antipatri qui tradat memini legere, sed auctor nunc non succurrit.

non erit magni spatii.] Omisi ista. CALL. *quieres dezir que soy como el moço del escudero Gallego. SEMP. No mande Dios que tal cosa yo diga. Que eres mi señor.* Quid dixerit ille non est divinare, neque lectoris Latini quicquam interest.

non omne est candidum.] Notabilis sententia sic suâ linguâ sonat. *No es todo blanco aquello que de negro no tiene semejança. Ni es todo oro, quanto amarillo reluze.*

Vno solo ictu.] *un solo golpe non derribe un roble.* Cui cõsentit quod auctor Epistolarum Amatoriarum à Frã-

cisco Sansovino editus ponit. *De una percossa no cadde mai albero.* Eæ Epistolæ, sive compositæ à modo nominato scriptore, sive editæ tantum, merito pro uno de nobilissimis Linguæ Italicæ figmentis habeantur. Nec eô genere pares multas habent.

Quod nos magis juverit] duo hic proverbia jungit Hispanus scriptor, quæ Latinus sermo nequaquam adsequitur. Verba Sempronii integra sunt *Crees lo tu Parmeno? Bien se que no lo jurarias. Acuerdate; si fueres por conserva, apañes nu bote para aquella gente zilla, que no va mas. y à buen etendedor. En la bragueta cabra.*

Apuleio.] hoc quoque fatuum vulgus reapse factũ credit. cum non alia ratione luserit Milesias illas Appuleius, quam ut asinino etiam judicio res mortaliũ ridiculas, & studia nullius ponderis, philosophorum tum temporis more, traduceret.

ACTV. IX.

felici & jucundo tempore.] hic videtur esse sensus verborum, facile & aliorsum transducendorum, *à donosa hora ha de estar rezando.* Vel sane commodum tempus ipsorum nequitiis faciundis furciferi intelligunt.

memoralibus precationum.] *con sus cuentas en la mano.* globuli facti ligno, ebore, succo, auro, argento &c. quibus adnumerat vulgus precationes. Melius Latine vertissem *Commonitoria*, quæ sunt libelli aut indiculi Memoriæ gratiâ facti aut conscripti.

famesque, quibus meliores magistras.] traducta sunt ista de Persij Satirici prologo, ut nemo non uidet.

Ad positam mensam manibus bene lotis.] alludit morem Romanum, qui mensis exemtilibus loco utebantur, quas

quas tollerent epulis finitis, ut & priscorum seculorum Heroes. Verba Hispanica proverbium sonant, multis reb. applicabile, scilicet ut fiat illud *μηδὲν ἀναβαλλόμενος*, *A mea puesta con tus manos lavadas, y poca verguença.* Plauti scitum notum est. Apud mensam verecũdari neminem decet. Certe usus Hispanorum id egregiè servat.

quicquid mali humoris corpori inest.] *A los causados segudores haze sudar tota agna mala, sana el romadizo y las muelas.* Non videtur alia inesse sententia.

Vna panis crusta.] plerumque hoc fit ut homines bibaces parum comedant: *que un cortezon de pan ratonado me basta para tres dias.* Sic pulcre temperantiam suam commendat scilicet: sermoni isti comparabilis apud plautum Curculione.

tria pocula honestati & utilitati.] Ausonius Edyll. XI

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est.

Appuleius Floridis; *Sapientis viri super mensam celebre dictum est. Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet, secunda ad hilaritatem, tertia ad Voluptatem, Quarta ad insaniam.* Vide suidam in Ὀῖνος. Doctos ad Petronium.

male tibi quod edis expetat.] more & voto rabidarum meretricum, ut trivenefica Lucretia in Pornodidascalo ait omnia se genera rixarum super mensam ciere consuetam, non alio fine, quam ut convivis quod ederent pessimè expeteret. Sic infra hoc actu eadem Elicia Sempronio vovet; *mala pestilentia cum isthâc buccellâ tibi viscera tua intret.* Videat juventus incauta quam amantibus sui monstris suo sumtu lauticias præponat.

gustu

gustus semel corruptus.] *el gusto dañado muchas vezes juzga por dulce lo amargo.*

nulla uspiam rerum.] egregia commonitio & illatio; *Ninguna cosa es mas lexos de la verdad que la vulgar opinion.* Huc omnium Sapientium Commonitoria eunt. Notus est versus. Vulgi judicium præjudiciũ veritatis est, &c. Et Hęc illustrari immẽsum Cõmentariũ faciant.

nihil sit qui pro nihili.] *Ruyn sea quien por ruyn se tiene; las obras hazen linaje,* &c.

Lætum animum facit.] Todo aquello alegra que con poco trabajo se gana. Martialis inter Felicitatis bona numerat. *Res non parta labore, sed relicta.* &c---

dulcis & amari simul vulneris.] hoc tale Amoris ictui adscribitur. Claudianus de fontibus Veneris, ubi tingat spicula sua Amoris Numen. Nuptiis Honorii.

Labuntur gemini fontes, hic dulcis, Amarus.
Alter, & infuso corrumpunt mella veneno.

Amor ipse mel felleum. Idiota Speculationibus. *Talis Amor est laqueus animæ, discrimen Vitæ, mors suavis, blãda percussio, interfectio leniens, mel felleum, pernicies delicata, dulce venenum, malum spontaneum, sapida jugulatio, & omniũ rerum calamitas.* Eodem pertinent quæ scribit Theophylactus Simocatta Epistolâ. LXXXIV. Plura ad eum Claudiani locum. Ratio in Physicis considerationibus! Concupiscentia ex jecore, jecur amari & dulcis particeps, Alcinous cap. XXIII. Platonicorum.

numquam ad propositum.] exemplum in astutissimâ meretrice apud Pornodidascalum; quæ de se eadem Lucretia Antoniæ, par egregiarum mulierum, confitetur.

corporis illi ut potestatem fecerit.] vide quam pro fatuo Sempronium naso anus ducat. Quæ corpore prostituendo

tuendo victum faciebat, eam ipsius solius amoribus dicatam persuadere vult. Intricatior sentẽtia sic à nobis explicata est. Verba Hispanica. *No sabe otra cosa en que os lo pagar*, scilicet quod Melibaeam laudaverat, *si no en dezir esso, y creo que no vee la hora que aver comido para lo que yo me se.* Hæc certè sententia lenæ est.

aliorum sacerdotum oblationes.] Omisi aliquid volens, quoniam commode exprimere non erat. Tota series Hispanica Sic sonat. *Que harto es que una vieja, como yo, en oliendo qualquier vino diga de donde es. Pues otros curas sin renta. No era ofrecido el bodigo, quando en besando el feligres la estola era del primer boleo en mi casa. Espessos, como piedras à tablado, entravan muchachos cargados de provisiones por mi puerta.** Dixi omisisse me, reddidi tamẽ ut potui. Neque certe difficultas insignior, quamvis primum impetum frustrabunda.

ACTV. X.

S*Erpentes intus in corpore.*] Poetarum figmentis Amor serpenti exæquatur. Anacreon. Odario. XL. &c.

Alexander Magnus per somnium conspexit.] Vide scriptores rerum Alexandri. Paria de se scribit omnis memoriæ sapientissimus Imperator, quem ego Salomonẽ Romanum nominare soleo, Marcus Antoninus libr. I. εἰς ἑαυτόν. Diis, inquit, acceptum fero, quod per somnum tum alia mihi remedia sunt demonstrata, tum contra sanguinis excreationem, ac contra vertiginem.

Parotide.] Aurium obturationi apto velo. Alioquin quid Parotides vide Theodorum Priscianum libro. I. cap. IX.

cum supremum numen aliquem vulnerat.] Quanto el alto

alto Dios da la llaga, tras ella embia el remedio. Trãstulisse videtur ex Poematio Musæi, qui pariter de Amore.

Ἄνδρα γὰρ αἰολόμητις ἔρως βελέεσσι δαμάζει
Καὶ πάλιν αὐτὸς ἕλκος ἀκέσσεται. οἶσι δ' ἰάσσει,
Αὐτὸς ὁ πανδαμάτωρ βουληφόρος ἐστὶ βροτοῖσιν.

Aristænetus lib. 1. Epist. x. ubi jucundissima relatio Amorum Acontij & Cydippes. πλὴν αὐτὸς ὁ τρώσας ἀεὶ τινὰς παραδόξους μηχανὰς διαπλέκων, ὑπέθετο σοί καινοτάτην βουλήν, τάχα που τό σού αἰδούμενος κάλλος.

conscietiam habui.] noticiam. Vide notas ad Phebadium. Quæ quidem ex perturbatissimis Schediis me absente editæ, bonam etiam partem sunt omissæ.

color vultus tui.] verba ferè sunt Pacati Drepanii in Panegyrico Theodosii Magni. Vide nos ad Claudianum.

ACTV. XI.

M*anu tympanotriba.*] homines fatui, Agytræ, qui tympanis sonum cient, ut concursus fiat populi. Qualis apud Gallos celebris fuit quem in Facetiis sacrificos præcipuè lusisse memorat Bonaventura Pererius.

dimidiâ auri librâ.] medio marco de oro.

si manen in obscœnum modum.] esta colgado de la boca de la vieja, sordo, y mudo, y ciego, hecho personaie sin son, que aunque le diessemos higas, diria que alçavamos las manos à Dios, rogando por el buen fin de sus Amores, Pinsere ciconiam dicit Persius.

numquam pectus.] Nunca el coraçon lastimado de desseo,

desseo, toma la buena mueva por cierta, ni la mala por dudosa.

Semper hoc audivi affirmari.] Siempre lo oy dezir que es mas dificil sufrir la prospera fortuna que la adversa: Que la una no tiene sossiego, y la otra tiene consuelo.

venatæ offæ.] *assi se suelen dar las çaraças en pan embueltas, porque no las sienta el gusto.*

Ægyptii illi.] *Cinganos* dicit, qui si blandis suis dictis unum saltim nummum alicui abstulerint, præstigiis norunt, quicquid crumenæ superest, extrahere. *como hazen los de Ægypto, quando el signo nos catan en la mano.* Porro unde is populus veniat dubium est etiam doctissimis viris, ego aliquando suspicatus sum nomen à Zygitis habere, populis Asiæ; quorum mentio est apud Georgium Pachymerium lib. III. Hist. Vetustos esse alibi ex Glossis Isidori observavimus.

dulcibus verbis.] *à la he, madre, con dulces palabras estan muchas injurias vengadas.*

nunquam pedem secure ponet.] *No da passo seguro quien corre por el muro, y que aquel va mas sano, que anda por lo llano.* Rhythmicum proverbium est.

ACTV. XII.

PAris delicti.] nota vafritié vecordis servuli. In hoc enim istuc dicit ut Dominum credere faciat de industria aliam horam, quam quæ reapse erat, nominasse. Sic cum ipse peccaverit, Domino peccatum impingit.

Homo paratus optime.] *El hombre apercebido medio combatido.* Medium duellum confecit, qui ei paratus est.

bona

bona bonis sit nobis.] in Hispanico est. *buena hora est.* *Quod quare dicat* cogitandum.

Ne sis assentator.] *no seas lisonjero.*] quæ ultima vox sanè hoc loco aliud quam assentatorem notat.

primum natum habeam.] sic loquimur de hominibus maximo aliquo periculo elapsis. Sic Cicero de Roma Conjurationi Catilinæ suis Consulis auspiciis exemtâ.

O fortunatam natam me Consule Romam.

Sed aliquis qui.] ut homines maxime meticulosi faciunt, etiam ubi omnia tuta excogitant caussas metuendi. Talem omnibus coloribus suis depingit Parmenonem.

eorum hominum animis.] strictius sonant Hispanica, quæ suis tamen de caussis extendi & amplificavi.

eo majus peccatum esse.] Iuvenalis sunt notissimi versus. *Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habent quanto major qui peccat, habetur.* Vide Ioannem Salisberiensem Policratici libro. V. cap. XVI.

ubi plus millies.] ridiculè mortifero timori æquat pugnos ductos cum vilibus monachorum servulis.

Oneratus armis.] pulcre sonat suâ linguâ. *Cargado de hierro cagado de miedo. Oneratus ferro timore concacatus est.* Et sic vertere malim.

Super pecuniam non est amicitia.] *sobre el dinero no es amistad.* Cum de argento aut pecunia controversia est, non est amicitia tam firma quin nihili pendatur.

da illi digitum latum.] Verba sunt Hispanica. *No digan por mi, quedando me un palmo pido quatro.* Alioqui proverbium ejusdem linguæ est. *A vellaco dos el dedo, tomara la mano.* Quod nos allusimus.

aquam petat.] hoc est ventrem exoneret, ut honestius

ſtius circumloquebantur Romani, ut eſt apud Petronium. In Hiſpanico eſt. *yo digole que ſe vaija y abaxaſe las bragas.*

Iudicium inſignis.] *Señal es de gran covardia acometer à los menores y a los que poco pueden.*

fortis adverſarius.] *El duro adverſario entibia las iras y ſañas.* Veriſſima ſententia & quotidiè experta.

minus inimicorum eſt quo plus mortuorum.] Non eſt expreſſa ſententia, ſed hoc vult deciſa in Hiſpanico.

ACTV. XIII.

Hactenus adſtictum curis.] Hiſpanica ſic ſonant.

Duerme y deſcanſa penado.
Deſde agora.
Puer te ama tu Señora.
De ſu grado.
Vença placer al cuydado.
Y no le vea,
Pues te ha hecho ſu Privado
Melibea.

Ad verbum. *Dormi & animum fatigare deſine, ô hactenus doloribus dilate, Ex hoc quidem momento, Quoniam ſuâ ſponte te amat Domina tua; Placentia & Voluptas vincant Sollicitudines, neque harum amplius memineris deinceps, quoniam in familiaritatem te ſuam recepit Melibæa.*

bis mille ictus.] notum Hiſpanorum moribus receptum eſſe adnumerare ictus vapulantibus. Quæ quidem à mancipiis ad talia præmia peccantibus traducta videtur pœna.

de celſis culminibus.] *Proverbio es antiguo que de muy alto grandes caydas ſe dan.* Pulcre Iuvenalis de Sejano.

ACTV. XIV.

CAnum.] mos etiam iste civium civitatum Hispanicarum, qui inde originẽ ducere videtur, quod in Historiis Cadentis Imperii Romani legitur, populos nonnullos ejus eversores canes cum & pro militibus in aciem duxisse, uti prolixius à nobis alio loco adnotatum est.

Domine animæ meæ postquam me credidi potestati tuæ.] Hæc obtestatio suavissima & simplicitatis virginalis plenam imaginem repræsentans, deducta est ex libro Sexto Amadæi cap. LX. ubi Onolaria Lisuartum alloquitur, sola soli potita. *Mon amy respondit elle, mettons nous sur ceste herbe à nostre ayse, & puis que je me suis de tant oubliee, me trouvant en lieu si suspect à mon honneur, pour me fier en vous, je vous prie que ceste familiaritè pjtoyable, ne me face en vostre entroict de pire condicion que si j eusse exercè toutes les cruauter , dont les loyaux amans sont en peine quelque fois par un refus raisonnable de la chose qu' ils desirẽt. Vbi par eventus subditur. Mais tandis qu' elle preparoit ceste honneste excuse, Lisuart gaignoit place petit à petit, se faisant paisible possesseur de la bouche & du tetin. Et voulant passer outre. Ah mon amy , dist elle, contentez vous de prendre sur moy autant que moymesmes ay commandement, qui est voir & toucher ma personne, sans vous mettre en peine de m' oster ce , que vous, ny autre ne me sçauriez puis apres rendre. Ma dame. respondit il, vous sçaver le temps, que je navige en ceste mer d' amour; & manitenant que je suis prest d' entrer au doux port de mercy, pour Dieu ne m' y soyer muysante. Mon amy , dit Onolorie, ne vous*

ne vous doit il pas sufire que je suis vostre, & jouir de l'exterieur, qui est propre fruit aux amoureux, sans vouloir tendre à un plai, sir si tost passe, & qui n' apporte (comme l'on dit) que tristesse ? Le bon berger tond son ovaille, toutes fois il la saure de danger, au moins mal qu' il peut. faictes donques ainsi, que luy, & me traiter drucement, s' il vous plaist. Mais tant plus qu' elle profervit ses excuses mignardes, & moins Lisuart se persuadoit d' y vouloir ajouster foy, anis laschant la bride à ses passions, cueillit la premiere fleur du Rosier, lequel pour le commencement se troura espineux. Tontes fois avant qu' ils partissent d' ensemble, la terre fut si bien cultivée, qu' elle se rendit fertile & aysée au contentement de l' un & de l' autre.

Addidit hæc utique auctor ille qui Mediolani Ludum hunc diffinxit, quo ad amantium colloquia, plurima addens, quæ invitis Gratiis alioquin in tam nobili figmento desiderabantur.

pastores etiam ovium.] nescio an satis assecutus sim sententiam, quæ sane quomodo conciliata sit, adhuc dubito : *y los pastores que en esse tiempo traen las orejas a estos apriscos à ordenar, y podria ser que cogiessen de passada alguna razon, por do toda su honrra y la de Melibea se turbasse.* Videtur alludere cantus pastorales, quibus, obscurius licet, propalantur tamen concubitus devirginatarum contra paternas voluntates, puellarum.

Equina strigilis.] scite sic redditur *T' rascacavallos.* quod alioquin Latio nullum habet vocabulum.

qui non malit illico mortem.] celebris est Æschyli sententia quam ab eo plurimi Græci scriptores expresserunt.

cum nihili domo ditescit.] *Mas quando el vil esta rico no tiene pariente ni amigo.*

sanguine scriptæ.] Plutarchus in Solone. *Solon Leges Draconis ob asperitatem & pœnarum atrocitatem cunctas recidit, præterquam quæ de sicariis latæ fuerant. Noxas enim Draco persecutus penè omnes erat capitali supplicio, ut & otij damnati morte multarentur, Ac qui olus surripuerant, vel poma, in hos non secus atque in sacrilegos consuleretur. Vnde postmodum lepide dixisse perhibent Diomedem, sanguine Draconem non atramento Leges scripsisse.*

ACTV. XV.

B*Is virgis publice cæsus.*] non adfirmem hoc dicere verba Hispanica. *dos vezes açotado, manco de la mano del espada.* Nihil tamen nimium iratę metriculę. Qualia convitia pulcrè perrerias caninas objurgationes vocat Petri Aretini interpres Hispanus, quod mente careant.

triginta scortorum vir est.] *treynta mugeres en la puteria.* Etiam hæc sceleratius quid notare possunt.

jam non sunt.] εὐφημίας gratiâ sic loquebantur veteres, quoniam mortem nominare ominosum habebant. Vide quæ ad Ceirin Maronis olim scripsimus.

O bona & gaudia.] *O bien y gozo mundano, que mientra eras posseydo, eres menospreciado, y jamas te consientes conocer hasta que te perdemos.*

Fortunæ talis consuetudo est.] *Quando una puerta se cierra otra suele abrir la Fortuna.*

gloriabi-

gloriabitur tantum ſanguinis.] mare meretricum loquitur, quibus beſtiis glorioſum cenſetur, ipſarum cauſſa digladiationes & cædes fieri. Et ita Lucretia illa in Pornodidaſcalo recens à nobis publicato.

magis afficit amißio.] *Verdad ſea que cierto duele mas la perdida de lo que hombre tiene, que da plazer la eſperança de otro tal, aunque ſea cierto.*

De ipſo vindicet Deus.] videlicet me. *y de al me vengue Dios, que de Caliſto Centurio me vengara.*

Mutare mores par morti eſſe.] que mutar coſtumbre es à par de muerte.

ACTV. XVI.

N*Octuas Athenas.*] in Hiſpanico eſt. *Pues mando les yo trabajar en vano, que por de mas es la citola en el molino.* Quod paribus verbis fruſtra reddideris.

ſi per maria hinc.] exemplum in Sextâ Iuvenalis.

nullam noctem intermiſit.] obrepſit hîc ſomnus bono ſcriptori, alibi enim, Actu ſequenti, Octies tantum Calliſtonem toto eo menſe ad Melibæam iſſe ſub juramento adfirmat Soſia; itaque altero loco lapſus memoriæ eſt.

ACTV. XVII.

I*Anua noſtra limen ſervat.*] Horatianum. *Parcius junctas quatiunt feneſtras Ictibus crebris juvenes protervi, Nec tibi ſomnos adimunt, amatque Ianua limen.*

meliorem unum eſſe diem.] *No embalde ſe dize que vale mas un dia del hombre diſcreto que toda la Vida del necio y ſimple.*

Munditia excitat.] *La limpieza alegra el Coraçon.*

Mortui aperiunt.] *Les muertos abren los ojos de los que viven.* Quod ego quidem ſymboli, ut vocant, loco ſæpius

 pius

pius usurpare soleo, aliâ tamẽ mente; nimirum librorum lectione veram constare Sapientiam.

facilius mendacem quam claudum.] *como dizen, que toman antes al mentiroso que al que coxquea.*

ACTV. XVIII.

TEr jussus circumrotare.] quæ hic sequuntur, ut potuerit, translata sunt. Multa enim talia Hispanismus vernacula habet, quę Latinitas minime agnoscit. Itaque & maximam partem præterii merito. *Vn rimero de malla rota por colchones &c.*

sanctas illas tabulas.] Ridicula juramenta adfectat, Vt hoc genus amabile se facere mulierculis novit

Conditionem istam,] nullam potius, admitto. *Renigo de la condicion.* Non velim quicquam conditionis adjici jam confectum puta mandatum. Vel ironia inest.

ACTV. XIX.

VNum excogitarat equus.] poterit vicem proverbii servire. *Vno piensa el vayo, otro el que lo ensilla.* Verba non sunt eadem; sed sententia.

Ah quis.] adscribam Hispanicam cantilenam, ut quilibet quid ea tinniat; possit notare.

O quien fuesse la ortelana
De aquestas vitiosas flores,
Por prender cada mañana
Al partir à tus amores.
Vistanse nuevas colores.
Los Lirios y el acuçena:
Derraman frescos olores,
Quando entre por estrena.

Verba

Verba aliter sonant, sensum nos secuti sumus; ut decet præcipuè in carminibus, quorum syllabas sequi ineptum est.

Lætis est fontis Lepor.] Hæc quoque suâ linguâ adscribam.

Alegre es la fuente clara,
A quien con gran sed la vea.
Mas muy, mas dulce es la cara
De Callisto à Melibæa.
Pues aunque mas noche sea
Con su vista gozara;
O quando saltar le vea
Quæ de abraços le dara.
Saltos de gozo infinitos
Da el lobo, viendo el ganado,
Mon las tetas los cabritos,
Melibæa con su amado.
Nunca fue tan dessеado
Amador de su amiga:
Ni huerto mas visitado
Ni noche mas sin fatiga.

Arborum umbrosarum.]
Dulces arboles sombrosos,
Humillaos quando veays
Aquellos ojos graciosos
Del que tanto desseays.
Estrellas que relumbrays.
Norte y luzero del dia.
Porque no lo despertays
Si duerme mi alegria?

Psittaci vos] *Papagayos, Ruiseñores,*
Que cantays al alborada,

Elevad nueva à mis amores.
Como espero, aqui essentada.
La media noche es passada
Y no viene;
Sabed si ay otra amada
Que lo detiene.

Vestimenta mea inquinare.] Vide Theocritum Oaristi.

Quod pallium & machæra & animus.] *Lo que no haze espada y capa y coraçon; no lo hazen coraças, y capacete, y couardia.* Celebris in ignavos sententia.

ACTV. XX.

TOt & tanta his duobus sequentibus Actibus notanda sese ingerunt, ut ipsa copia nihil me notare sinat quodcunque enim relinquam Majus erit nihil igitur malui. Neq; etiam animus fuit pertexere, quod ad primas paginas institueram; tum quia in immensum volumen exiisset, & alioquin metuam notam in talibus ostentatæ Lectionis. Quorum enim manibus in nostris oris potissimum hic liber meus teretur, eorum bona pars, quod ipsa præstare nullâ ratione potest, vel traducere Ostentationis solet, vel Inutilitatis accusare. Huic responsum supra satis arbitror, illius etiam suspicionem præbere abhorreo. Ita Vale, æque & cordate Lector, & tuæ Delectationi atque Vtilitati infinita alia, si vita nos non deseret, à nobis expecta.

---non est cessare Canentem
Dum reget hos, Christi Laudator, spiritus artus.

FINIS.

CANDI-

CANDIDO LECTORI.

Candide Lector. Multoties querentes amicos audivimus, non exstare jam puerilia scripta nostra Leandridem & Musæum. Ea cùm non abeant ab argumento superioris Ludi, huc describenda dare volui, repexa nonnihil, ut candidorum & nostri amantium hominum desideriis satisfacerem. Illud monere etiam simul volo prolixum me Commentarium in Musæum Typographo Ambergensi anno eo dedisse quo Claudianum primum edidi, neque post quippiam de eo comperisse, non enim ille, ut receperat, edidit. Quod si in manus alicuius is venerit liber, rogatur maximopere eum in potestatem meam reverti faciat, ut alio loco publicetur; quoniam non paucos esse novi qui & illum legere cupiant.



C. BARTHI.

LEANDRIDOS

LIBER PRIMVS.



Vamvis me horridulo rapiant civilia pulsu
Scitæ; procul molles Musarum ponere curas
Fontibus à liquidis, & Pieriâ convalle,
Romuleis suaveis ut quondam nectere pollens
Ad Choreas Charitũ, non uno carmine, cantus,
Legibus innumeris numeros adstringere discam.
Ociaque in dulci quondam traducta quiete
Aulica conturbent strepitu deliria longo.
Non tamen oblitâ penitus mihi mente recisum est.
Candidulo quondam nostri devictus amore
Vt niveum niveo posuisti in pectore pectus,
Vnde novo Pylades concedat priscus Oresti.
Euryalus Niso pereat puer: Improba dudum
Cura tui ad priscas cupientem detrahit arteis,
Vt tibi suave aliquod, Musarum è floribus aptum,
Ipse meâ properem; sertum, componere dextrâ
Vnde sui memorem Virtus tua nosset Amorem.
Ergo vetus Grai traducta est fabula vatis
Quam propriis manibus scripsit dominator Amoris,
Dictarunt Charites, consignavere Lepôres,
Mollibus in numeris: quid enim me velle Pelasgas

Frangere

Frangere delitiis graviori carmine prosit?
Tu, simul ut, prisci monimentum nactus Amoris,
Desita restituas Musæo nectare pocla.
Idalias si qua memorabilis auxerit artes
Fabula, quam præsens præsentem audire Diona
Suaserit, aridulâ descriptam mitte papyro.
Nec tibi, quod Teneris, productæ cominus in nos,
Non potuere animum Sophiâ desigere, fraudes.
Fraudibus auditis alieno horrere periclo
Credideris; plenis cum stet vindemia labris,
Non tamen ingrata est, quam non bibis, unda, sonando.
Me spatijs dudum errantem declivibus ultrà
Aonas in monteis deduxit Nona sororum,
Et veterum castos libare indulsit Amores.
Præcipuè Grajs vario quà condita cantu
Historia est, magnis deflevimus Heroinis.
Vt levis, infausto flammata Cupidine, Myrrha,
Arbore mutarit cælestis corpora formæ,
Vnde piæ Veneri natus, novus ardor, Adonis
Splendida puniceo venabula sanguine tinxit.
Huc dea conscripto moriturum in flore tenebat,
Lota Bionæis irrorans fletibus ora.
Alcathoi ut quondam Minoia flamma penateis
Vertit, & infandi, Ceiris, volat, obses Amoris.
Vt Pater infelix, fortunæ injuria princeps.
Auxerit hostileis animos, natamque sequatur:
Illa autem Nisi fugiat genitoris ad umbram
Cæruleis sua tecta super, miserabilis, alis.
Ante alias omneis croceo per marmora ductu
Aurea candidulo respondit fabula saxo,
Pindo in odorifero, novem ubi sunt Regna Sororum
Quo quondam in saxo, Megaræ fabricator, Apollo.

Depo-

Deposuit citharam, citharæ sonus hæret in illo.
Ipse suis manibus sublatum deinde Cupido
Sustulerat Megarâ, cum jam Creteius ignis
Scanderet in Nisi, Pelopeia regna, Penateis,
Et miseram venti, cum Regis speque Fideque,
Abriperent pelago, plorantem vana, puellam.
Ipsa etiam, aucktoris Numen retinentia Phoebi,
Marmora reddebant pereuntis carmina Scyllæ:
Vt, levibus Zephyris roseos turbata capillos,
Extremis superos tamen est testata querellis,
Spumea marmoreis proscindens æquora plantis,
Iamque volaturo derumpens corpora vestem.
Corpore, quod duri fixum violentia Regis
Pro thalamo sperato, atque optatis Hymenæis,
In proram excelsam diris suspenderat ausis.
Parte aliâ in Cephali crudelia, Procris, Amorem
Ausa, fatigatum observat: nusquam illa recedat,
Donec certa nimis, nimis ah sibi, tela probarit.
Ille super cæsam fortes lacerare lacertos.
Et remorari animam, & labris configere Labra.
Frustra, eheu! restat fatum immedicabile teli!
Procris abit, jamque ipsa suum perit, Aura Maritum.
Verum ea, quæ toto descripta in marmore passim,
Carmina, candidulo dirimit, Lapis, intertextu.
Carmina fas aliis alios edicere vateis,
Me rapiat mea cura, & priscis vatibus addat.
Manca sed historia est? conjectavére puellæ
Ipsius extritos manibus violenter Amoris
Defecisse apices, ne quis sua crimina nosset.
At te, sæve puer, proprios sentire furoreis
Fata velint, si qua ulla tuas pote vincere flammas;
Cætera me pulcro jusserunt carmine Musæ

Victuris

Victuris longum, quà fas, intexere chartis.
Huc animis properate piis, primæva juventus,
Discere quod valeas, quod item dediscere, præstò est.
Quod nisi cura mei te quondam Heroa subibit
Posteritas, vatem cum parva reduxerit urna,
Fama tamen BARTHI *æternum mirabitur ignes,*
Teia ducentis, facili modulamine, plectra,
Argutisque jocis habitantis culta Sabonis
Nec minus, ut niveos posuit juveniliter æstus,
Illum antiqua diu spatiantem rura tenebunt
Atthydos in campis, & Thusci Tibridis actâ.
Dum cælestem animum Sapientia dia relaxat
Nunc primum dulci Musarum nectare potus
Desidiam erubuit, Permeßida venit ad arcem
Pulcer adhuc puer, atque investeis undique malas
Ornandas etiam retinens trieteride Quintâ.
Ausus opes Veneris castis narrare puellis.
Quicquid id est, caros solum colit ille sodales,
Quodque docet nescit, fruiturque Cupidine læso.
Ad fineis Asiæ, Neptunium ad Hellespontum,
Sestos erat, contrà, medio maris æquore, Abydos.
Octo latet spatijs, contracto marmore, Nereus,
Dißita conspicuis dispescens oppida muris.
Sæpè in littoribus quorum Portunus apricis
Amplexus magnam genuit, Pater, Amphitriten.
Sæpè malo sonuit Tritonia concha susurro,
Cymothoen thalamo lactantis nuntia Divi.
Æternum hîc placidâ Delfinûm turba choreâ
Insiliunt, Veneris perculsi corda sagittis.
Omnia nubentum veniunt huc secla: nec alter
Tam genialis ager: Dryades, Nemorumq; Napææ.
Quæque juga instabili semper pede currit, Oreas,

Nerei-

Nereidesque, alto Neptuni è sanguine Nymfæ
Hydriades, Fonteisque, & stantia Stagna, citisque
Fluxibus in gremium venientia, Flumina, Ponti,
Cypridos hic fixi telis, conubia curant.
Ipsa, Paphum quoties, vel Golgia deserit arva
Cum geniale fremunt, Aprili mense, Pavonii,
Huc Dea olori regas ridens contorquet habenas.
Ridet humus, rident sata læta, boumque Labores.
Vitiferisque favens juga collibus auget Iacchus.
Æquora sæva etiam molles sentire feruntur
Interdum faculas, alioque attollier æstu.
Heic Europæo quondam concepta furore
Cum duros, Asia imbellis, non ferret Amores,
Persica transmisit perjuris agmina portis.
Ponte sub insolito latuit mare, terra sororis
Ius habuit, Longis ubi nuper navita tonsis
Vix bene frendentis Furias fugiebat aquai,
Alæ Equitum pictis incedunt undique turmis.
It pedes in pelago nec scit Compendia nandi.
Intereà sicco Seston miratur Abydos
Stare pede, & sociam Testos miratur Abydon,
At licet ipse foret belli malus auctor inertis
Indignatus, Amor, charas violarier arces,
Dirupit molem, atque injecto marmore mersit.
Nant trepidi Persæ vada salsa; alioque tumultu
Europe Pæana canit, manesque Laconum.
Stat, Seston juxta, æternis immobilis annis,
Omnia quæ radiis vestit, Phæbeïa lampas,
Invito fertur turrim contingere visu.
Illa manet fatis, & sævi testis Amoris,
Carmina perpetuo Musæia tempore servát.
Heic olim, juvenum communis pompa piorum,

Hero,

Hero, Virgineos thalamos, heic lampada habebat.
Heic olim, argutis communis flamma puellis,
Nabat Amore novo juvenis sua furta Leander.
Sestias hac speculá vibrantem flamine flammam
Texit, ab immiti superarunt flamine Venti.
Hac puerum, æquoreos, sine nave & remige, fluctus
Nantem, vicerunt undæ, & fera fata tulerunt.
Hero pulcra fuit Iovis alto è sanguine, virgo,
Nam Pater Omnipotens pl cido perculsus Amore
Postquam infelici subtractum fraude Typhœi,
(Demens qui, gravium gaudens stridore Tubarum,
Arcadios nequiit Cadmi contemnere cantus)
Restituit fulmen, despirans horrida bella
Centimanas strages, & jactâ fervidus Æthnâ,
Hermionæ in gremio cælestia semina liquit.
Hermione, denis expleto mensibus anno.
Calliroen peperit; poterat gaudere parentis
Nomine; at è natá sponsam fecisse probatur
Iuppiter; hujus erat gemino de sanguine proles
Eurynome, cui nata, uterum Iunone premente,
Vltima, Sestiacis, Hero prælata puellis.
Illius ut vidit speciem, (vidisse nocebat)
Bis doluit patrem, nec spes posuisse maritas
Dicitur, omnivolos confessus, Iuppiter, ignes
Hero ut prima novæ tetigit cunabula vitæ,
Forma sine exemplo visa est mortalibus Hero.
Qualis erat, patrium femur, & sua fila relinquens,
Cui genitrix Genitorque Iovis fuit unica Cura.
Dij cessere Deo, cessit crinitus Apollo.
Illius ambrosio florebant vertice crines.
Qualibus hiberno radiis, Titania Lampas,
Orbe, nive albentes vibrans interv: det herbas.

Ducta

Ducta vel ut tenues auri dat lamina lamnas.
Ingenuos tereti filo mentita capillos.
Quos scobe cum croceâ venti sparsere volantes
Purpureum flavis incendunt aera fibris.
Qualibus in summo spumas, Venus Aurea; ponto
Expreßit, nondum totâ Dea nata figurâ,
Nutricum tenus exscendens de marmore cano.
Qualibus in flammis ponenda exordia Vitæ.
Æternus repetit, Naturæ gloria, Phœnix:
Cum gravidum casiæ conscendens gramine nidum
Solis ab intuitu radium desiderat, & se
Impendit sibimet, vitamque à morte reposcit.
Sic tenui si qua fluitabant forte capilli
Vi Zephyri, exsanguis vitam repetebat amator.
Frons brevis ingenuam retro sparsisse laborat
Cæsariem; quæ cum crispo sibi reddita fluxu est.
Vt neglecta vago vultum pede currit in omnem.
Fibula eam ex auro crebro discriminat orbe.
Cæruleâ innectens gemmâ, quam circulus ambit
Lactea candiduli referans confinia colli,
Ipse ebeno è nitidâ per eburnea colla relucens.
Non alia aureolos extollit machina crines
Aut premit, ingenium laudat Natura decorem.
Sed modo Virgineo decerptis floribus ungue
Effusum retro conscendit serta capillum:
Ille agili nitidos humeros, quà vinctilis haud est,
Verberat insultu, seu procedente puella.
Seu circum tenues vento crispante susurros.
Omnia quæ attonitis oculis spectabat Amator
Nativum ducens de crine Cupidinis ignem.
Inter eà bicolor variata rosaria vultus
Explicat, erubeoque premit niveum orbe nitorem.

Dædala

Dædala malarum lusit Natura pudorem.
Vt candore genæ exsultent, & labra rubore.
Inferius paullum rutilo succensa pyropo
Oscula, malarum confutavere decorem.
Per quæ Anima ambrosiâ sensim spirabilis aurâ
Nectar olet, vegetatque sui violaria vultûs.
Sidera mollivido quid ocellorum ignea dicam
Lumine? Quæ tenui ludunt nictantia nutu.
Illa procul cernens cernit Cynosuran amator,
Pendet ab his, & ab his nat amoris Amabile flumen.
Nulla capit saties spectantem, oculusque videndo.
Vult fieri juvenis, corpusque in lumina verti.
Quod si spectanteis reddit Clementia visus,
(Dura procul magnas fugit inclementia formas)
Mens abit, atque suos ardens Anima exit ocellos.
Heic habitat juvenilis Amor, petulante choreâ
Nonnumquam exsiliens, meditataque carmina prodit;
Carmina quæ ignoti flammata Cupidinis œstro
Mens secum canit, & dubio sub pectore dictat,
Vt teneram in vocem jures pendere labella,
Lumina præ teneris jures cantare labellis.
Illa locuturo poscunt fulgore loquelam,
Et responsa parant, & jam responsa reposcunt.
Blandusii ut rores speculantia lumina reddunt.
In pellucidulis Venerem spectabis ocellis.
Nigra in candidulo nunc pupula fulgurat orbe,
Ausa superciliis nigrantibus addere formam.
Hic Charitum æternas fixerunt agmina sedes,
Agmina sancta Coli: pueri fixêre Leporeis.
Vt Rosa prospiciens de pictis ebria sertis
Purpureæ é niveo prospectant circite malæ.
Tota Rosa est facies, vultum violaria dicas.

Oscula nunc repetam sub hiantibus illa labellis
Dißita, ut argutæ pateat sua semita voci.
Illa neges vidisse satis, traxere negantem
Suavia, & in foribus Venus imperfecta pependit.
Dulce labellando pugnæ simulacra futuræ
Spes ciet, & voto non confutata sequenti est.
Heic Animæ facili tramittunt tramite sese
Inque vicem redeunt, atque insatiabile ludunt.
Cætera quæ Pietas præ Virginitate verendâ
Seposuit, casto non est loca didere versu.
Si qua latent meliora putes, potiere putando.
Nulla Dea est quæ non nascentem conserit Hero
Spicula clementi Cypris suspendit ocello,
Queis miseri pariter occidebantur Amanteis
Atque novam amisso repetebant pectore vitam.
At Charites dulceis emendavere loquelas.
Punicea arguto tinguentes labra lepore.
Gratividam faciem Pudor intemerabilis ornat,
At niveum totâ Sapientia Pallade pectus.
Perpetuam membris semper florentibus Hebe
Temperiem affundit, croceo de vertice Phœbes.
Vndique purpureo rident in corpore Flores.
Ceu modo complexos sertum in geniale Puellæ.
Ars vocat, aut sparsos ornare altaria mandat.
Illi inter sese paribus funguntur ocellis.
Cumque colore vago fugientia visa sequantur
Vna tamen vario facies fulgore renidet.
Qualis in Harmoniâ quondam concentus Amorum
Quam Tyrio pater ipse jugandam Cyprida sensit.
At si pulcra fuit Iovis alto è semine Virgo,
Non puer imparibus tenuit virtutibus illam,
Seu genus & proavos, seu dia munera forma,

Conjugium

Conjugium nemo cupiisset dignior Herus
Quam tener, annorum primævo flore, Leander,
Quem, Seston contra, felix nutribat Abydos.
Hic, nisi quod validis major vis viribus ausus
Flammas in ingentes, & mascula pectora versat,
Virgo fuit; qualem sponsus desideret alter.
Nemo virum puero se tempestate sub illa
Æquabat saltu, aut pernicibus acer in armis.
Non luctâ vibrare pedem, non viscere lento
Certior, absentem telo prope constitit hostem.
Illum æquæva cohors Regem per ludicra ducit
Castra levans, stipatque gradu majore superbum.
Martia sæpè sequi generosior arma cupivit,
Arma cupivit; Amor niti dis succedere signis
Suadet, abit tenerum lactat quà dia Voluptas,
Et blandum Veneris bello præponit Amorem.
Hinc flavum erectâ nectens cervice capillum
Dignus Apollineis radijs, & præpete curru,
Suavia pacifico ludebat prælia plectro.
Sæpe humeros pharetrâ, capulo latus acer eburno
Prædatur silvas, & Cypria Adonide fallit.
Quot niveæ puerum suspiravére Napææ,
Quot Fontes, Dryadumque invitavére calores.
Spicula cum roseâ retinens crispantia dextrâ
Auratis per prata fugit numerosa cothurnis
Mox riguum ad rivum positis juveniliter ardet
Induvijs, nitidumque invadit cernuus amnem.
Victa vel à nimio cum corpora Sole relaxans
Procubuit platani semper-florentibus umbris,
Deflua cæsaries placido salit icta Favoni
Verbere, & ingenteis humeros flaventibus implet.
Orbibus, innumerum sursum & spaciata deorsum.

 Blanda

Blanda superciliis Venus insidet, acer ocellos
Ignis habet, magnosque animi prænuntiat æstus.
Sæpè Dea in silvis risit Diana vocanti
Noster Hylax, ubi Hylax, atque Endymiona putavit.
Nec rigor in formâ est: facilem sensere precantes,
Ipse precator adest: Nemesis nihil audet in illum,
Hanc quoque jam duram veteris subit alea furti.
Quid pugnaci in equo sublimis ubi aurea versat
Arma manu, spumisque ferum furialibus implet?
Sentit herum quadrupes, tortosque obit impiger orbes,
Ipse sui rector: non hunc vel voce vel ausu
Vrget eques; dedit ingenium schola longa superbo.
Vix primum amisit, instat pede protenus illi,
Atque alium in primi, nondum vestigia linquens,
Suggerit ille locum; jam tertius ante secundum
Pulsus abit, certantque gradus, vincuntque vicissim,
Quod memori ex usu longo subit, ipse fatigat
Invenisse novum quadrupes, nec Regula fallit.
Vix artem posuit Rector, Geniumque remisit,
Exiit à vultu, & rapido vestigia cursu
Perdidit, ille manet nec quicquam in sede movetur.
Vix voluit restare, pedem prior urget utrumque
Corpore, Equus, reliquo; nec posterioribus uti
Commeminit; stat mole sua & fera fræna fatigat
Spectantum stupuére oculi, mirantur euntem.
Currentemque, minasque uno fervore prementem.
Ordinibus volat ille suis; cum circite primo
Cæpit obire equitem, nullo vestigia passu
Latior exspatiare sinit, quo cæpit, eôdem
Desinit, absolvitque catum, seque imputat Orbi.
Credibile est talem Veneris cum prælia Mavors
Threïcijs mutat clypeis, meminisse laboris

Nocturni

Nocturni, docileisque in equo glomerare recursus,
Grata manet vultu Pietas, aciemque futuras
Præparat in pugnas, & desita bella recurrunt.
Quotquot sublimem contemplabantur ephebum
Felicis memores luctæ, risere puellæ.
Et tacito impleruntsalientia pectora voto,
Quæque sibi decus hoc soli spondebat amatrix,
Formosam se quæque putat, quando aspicit illam.
Cæsarie pugnans ventis, vestemque nitente
Corpo è præpediens, limis, eques acer, ocellis.
Olli humeros circum pectusque & brachia, & armos,
Ambulat erubeo spatiata volumine vestis.
Trans tenueis cujus textus loca candida lucent.
Nativo paullum pueri maculata rubore.
Circulus ex auro per eburnea colla profectus
Cæruleam portat gemmam, quæ pectore primo
Fixa sedet, roseumque auget, variata nito em.
Carbaseum capiti conum, quem crista decorat.
Auricolor, dederat genitrix: crista alta FavonI
Surgit ope, adversumque fugit, ceu territa, Solem.
Vnde sua major juvenis petere alta figura
Ce nitur; alludunt virides de vertice equino
Pluma umque globi variant spectacula cultu.
Hactenus in nullâ juvenis sistebat Amorem,
Non piget è dubiâ suspendere pectora lance.
Lanx æqua est juveni, quamvis examine nullo.
Fœmineum par est voto genus: omnibus ardet,
Ardet Amore pari, neque tot discrimina servat.
Numquam adeo è patriâ secesserat hospes Abydo,
Sestos ei est nigris vicina remotior Indis.
Sestos ei Europa est, Asiam metitur Abydo.
Simplicitas isthæc Nymfis popularibus auget

 Credere

Credere quæ proprium numquam voluere remotis.
Tale decus, quale ante oculi spectasse negarint.
Acer ut in Venerem campo dominatur aperto
Taurus Amorę rudi, nec fluminis audit inerme
Vorticibus rapidis latus opposuisse paterno
Regnat in armento, vitulisque nitentibus exstat.
Ast ubi nec timidum rapidi via verticis aufert,
Et frustrà imbelle is fluvio avertére magistri
Trans campum ardet amans, silvisque immissus opacis,
Obvia fulmineo procurrit præda Leoni.
Sic Puer imprudens patriâ dum solus in actâ
Torret Abydenas insigni flore puellas.
Quibat adhuc felix & fortunatus haberi.
Invidére Deæ: pereuntis fabula dura est,
Nec sine mi lacrymis Musarum hanc Gratia narret
Tu mea, Tempus edax, utinam servare valeres
Carmina; perspicuâ Phaëtontis quale sororem
Eridani ad ripas, Electri in imagine, servas.
Vt teneri vatis lacrymabile nenia quondam
Præceptum, juveneis cautos in Amore doceret.
Illi etiam absumti post tristia fata Leandri
Sæpe natant pelagus malefidum in nocte profundâ.
Spemque locant celsâ pendenti turre lucernæ.
Turre super celsâ statio plorabile fallax.
Monstrat iter, ventisque immane sonantibus horret
Ecce autem Æoliâ fugiens de rupe Procella
Imbellem adverso perimit cita turbine flammam
Nat sua fata Puer sine mente quod institit æquor
Absque animâ evadit: sancti flevére parentes,
Ordine qui verso moriendi in pulvere turpi
Tempora decurrunt senibus restantia canis.
Verum ea quottidie quamvis convitia dicant
Verba

Verba tamen pereunt, Amor inde potentior exstat.
Iam bis in octonos addebat quattuor annos
Purpureus juvenis, silvâ cum fessus apricâ
Fontibus in liquidis florentia membra fovebat.
Amplexa est Nymfe cupidum, & mala gaudia sumsit
Sestia, Abydenæ veniens levis hospita Nymfæ,
Hospita, quæ thalamos absentis frangeret Ægles,
Quam puer è cunctis lectam tum forte peribat.
Illa, ubi formosi pausa est data prima Laboris,
Stulte puer, dixit; quid soli impendis Abydo
Quo poteras Seston: stupuit sermonis Ephebus.
Vt rudis, & medios fregit juveniliter orsus.
Seston, ais, mea Lux? quid? ibi quoq;, dixit, amatur?
Scilicet inter se torvi conubia nautæ
Concelebrant, umbrisque ardent redamantibus umbræ?
Æquoreæ aut pristes, immani aut corpore Cete?
Quæque domo è nostrâ pecua eminus Amphitrites
Cernere, caudarum pulsantia verbere pontum
Possumus, atque haustum vomitu reddentia marmora
Hæc sola è pelago norat contemtor ephebus.
Sestiacas turreis, ut Abydi littera, norat.
Cætera cura manet liquidis in fontibus, & quæ
Per spatia indulgebat equo, cædique ferarum.
Instat amans Pholoe, visat, quæ credere nolit,
Consentit facilis. Veneris modo, Sestias addit,
Sancta colunt Nymfæ nostratem festa per urbem,
Quid vetat in tantam Comitem procedere turbam?
Nec mora longa viæ, Zephyris silet æquor apricis:
Sponsa fides dextrâ est: plena spe Nymfa recedit
Ille inibi totus, nec jam, velut ante, per omnem
Somnus habet noctem; quocunque in carmine votum
Sestias occurrit, mentemque vocabula turbant.

Iamque amat ignarus, nec, uti solet ante, potitur.
Totus in absenti, nec eâ, quam nuper amabat.
Forma nova est, nescit visam, & stupet ante videndo.
Nec quid agat sentit, damnatque ferociter æstum;
Iamque loquens secum: quid amati copia, dixit,
Nulla super? silvâ ne aliquid mihi perditur ista?
Amissum certè est. Fors qui me quæro, relictum
Prætereo: an potis hoc? certe possumque voloque.
Nescio; sed monstrum est: sic stat, sedet, illa: quid ultra?
Res nova, nescio quid. Sed ut ignis, & ignis in illa est.
Sestias è cunctis mentem mihi vocibus illinc
Surripit; an solus facio hæc? quæ turba molestat?
Sic quoque solus amo, nec amare quod arbitrer, exstat.
Omnia sic miris involvens dicta latebris.
Torretur juvenis: totiesque expertus amantis.
Ingenium, nescit, nec amatum cernit amando.
Si modo quid cœpit cœptum, quasi læsus, omittit,
Denique vix secum est, magnique Cupidinis hospes
Ferre Deum nescit: nova fax novus ardor in illo est.
Sæpè domo in vacuâ vulgus meditatur, in omni
Eminet una gradu, formaque supervenit omneis.
Non videt hanc; vidisse putat. cognoscere, notam
Ante, nequit, creditque sibi & frustratur avendo.
Ah miser, absenti, si nescis ignis in Hero
Ignis Amore novo flagrantia pectora versat.
Sestias hæc virgo est: Pholoes hanc gaudia narrant.
Inscia te ignarum, cupientem tota cupido
Te sequitur, te, Virgo, perit. Neq; n. improba solum
Tela domant juvenem; turri tuus ardor in altâ est,
Solivagam inviso pueram placuisse puello
Cura subit, oditque suos inclusa parenteis,
Votaque servandâ pro virginitate resignat.

Est

Est Deus ignara tacito fervore medullas.
Quem rerum in magna naturá vivere nescit
Ardet inops animi, spe prægustante videndum.
Nunc videt aßiduo florentem lumine Abydum
Et stupet adspiciens, incertaque vota retractat,
Nutricemque rogat, decies responderat illa
Plura rogat, nescitque modum, nec crimina sentit,
Et sentire cupit: pudor est quem spernit, eumdem
Præponit cupidæ: nec quod dolet improba damnat.
Errori superest Amor, ignotumque Voluptas
Spe juvenem peregrina capit: sic mutua fallunt
Vulnera, nusquam Amor est, & Amore insanit uterque.
Tale ferunt vulnus sævo mucrone patratum
Arte Machaoniâ nostros curare magistros.
Sola salus ferrum est; ferri, quod vulnera fecit,
Purpureo læsi mucronem sanguine tingunt,
Liciaque involvunt & opertum viribus unguen,
Intereà nescit partem reviresccre victam
Æger, inops curæ: tener illi in vulnere loto
Sentitur gemitus; jamque acer obambulat ignis
Fundamenta mali, sensim spatiatus ab imo
Donec hiascenti componitur ore cicatrix.
At fera cum ferrum Sors sub Victore reliquit
Hicque mali gnarus, stillantem sanguine læsi
Vnxerit hac adipe gladium, atque in Sole vel algu
Torruerit, studio pestem duplicabit acerbo.
Lethifer extemplo vulnus dolor exedit, & se
Hærentem morbus sine semine subjicit intus.
Ille furens frustra medicas bacchatur in arteis,
Nulla via est Vitæ, nisi in ungendo utilis, ense.
Hunc quocunque potest supplex humilisque rogatu
Impetret, hostileis non sit pudor ire petitum

Suppetias: turpe est? sed quid tibi turpe coacto?
Talis in absenti juvenilia pectora torret
Virgine Amor; nulla est capto medicina Leandro,
Ni miser unde malum est illinc petat orgia Vitæ.
Sic quoque non visi flammas face, numine solo,
Virgo rapit pueri, flagrantemque æmula flagrat.
Spicula confuso victorum in sanguine tingit
Par furor, & telo discrimina perdit utroque.
Sæpè ubi vel fato vel inepti lege pudoris
Ignea torpidulâ moritur medicina quiete,
Talibus in morbis, vitæque ambagine tantâ
Barbara mors sequitur: vel poste nefandus ab alto
Nectit Amor Lethi informis, sine forpice, nodum.
Iphis Anaxaretæ furiis contemtus ut olim
Triste pependit onus, saxo modo mollior illa est.
Vt pia perjuro pro Demophoonte Lycurgi
Filia, trajecit juvenili pectora ferro.
Lesbias Ambracium saluisse Poetria in æquor
Dicitur, argutum frustrà modulata Phaonem.
Vtque Libys Phrygio vitam mucrone recidit;
Troius hunc alios exsul servarat in usus.
Vela ferunt venti, jacet alto vulnere Dido.
Vixit adhuc felix, nec in ordine nobilis isto
Sestias & magni dehinc panditur orbita fati.

FINIS LIBRI PRIMI
LEANDRIDOS.



C. BARTHI.

LEANDRIDOS

LIBER SECVNDVS.



Amq; ea diversâ penitus dum parte geruntur.
Aligerum amplexu retinens, Venus Aurea,
Mater, ut ignotos consolaretur Amores, natū
Spe juvenis certâ, certâ spe vota puellæ
Solveret, instabat memorās, dictisq; premebat.
Ille gravem fati caussatur ad omnia molem
Si vel conspectu vetiti fruerentur amanteis.
Quippe Promethæis inscriptas nosse figuris
Fatorum tabulas, Themidos mysteria magnæ
Quæ non fas ulli divûmque hominumque videre
Condit in æterno canens adamante Vetustas.
Solus Amor legit & superis enuntiat, ex quo
Ipsum aliâ Victor Saturnum compede vinxit.
Custodem superum fati, qui limine primo
Excubat, æratosque æreô premit obice posteis,
Suavia præteriti repetentem gaudia cœtus:
Vt Deus hinnitu fugiens complevit acuto
Pelion, & jani latuit mox hospes in arvis.
Cum pater ex celso demissus fornice cæli
Tellurem implevit fæcundis imbribus augens.
Vnde Deûm generi stirpes nova regna Gigantum.

Sollicitant, monteisque infesta ad sidera ducunt.
Quod nisi fulmineo restet Iovis impetus igne,
Subjectum Ossæo devolvens vertice Olympum,
Consiliis divûm mortalia misceat Otos
Somnia, cælesteisque plagas, mundumque tonantem
Pro Siculo flammis incensat monte Typhœus.
At juvenum fatis quæ conscia dicta notarat
Narrabat matri motis, Amor improbus, alis.
Donec purpureis immulgens oscula labris
Et Iuvenem miserata, & Pœnas innocis Herus,
Flexit eum, infirmis nectentem retia dictis.
Qualia cum primo fratrum dedit alma Dione
Aura redit mundo Zephyris genialia Aprilis
Lumina per totum ridens diffundit Olympum.
Risit Amor Dominam toties quæ servijt ipsi,
Quodque cupit, jubet esse ratum: tremuere pharetræ
Augurium adversum puero, scævumque Puellæ.
Iamque dies aderat qua Sestia turba, parique
Festa colit studio Cythereia mollis Abydos.
Nec sola; vicina venit toto insula ponto
Omnis, & arcta colit si quis freta mitior Helles.
Adsunt purpurei Iuvenes, quos Græcia mittit.
Græcia, amatorum genitrix fœcunda piorum.
Non Libani sub odoriferis quæ collibus ardet
Saltibus ingenuis Paphias duxisse Choreas,
Nymfa domi mansit; non mansit Nymfa Citheris
Vlla, pari studio numen venerantur herile.
In juvenum cœtu sublimis pompa Leander
Patria deseruit lugentis mœnia Abydi.
Fleverunt Nymfæ properantem, ardentque tuendo
Nanda dehinc rate puniceâ super æquora vectum.
Ille habet absenti fixos in virgine ocellos.

Cui Dea restantis festinat stamina Fati.
Parte alia, Veneri paullo ante allecta Sacerdos,
Instaurat genialem aram, tædasque coronat
Hero, virgineæ nitidissima gloria pompæ.
Omnia defuerant neutri: Dum nauta carinam
Æquore ducebat placido, stans puppe Leander
Aurea Iölchiaci cantabat vellera Phryxi,
Vellera quæ n: veam transportavére sororem.
Qua soror ut liquit mersa æquore, perdidit ipsa
Nomen, at, infelix, pelago confecit amaro.
Sic puer haud longum est cum perfida lumina servans.
Suspensæ altivida nabit freta, turre Lucernæ.
Venti inclementes exstinguent lampada diam,
Lampade cum exstinctâ periit nans vita Leandri.
Virgo autem immitis curans altaria Divæ.
Processit vittis ornata decentibus: olli
Prævia lucebat genitrix, tædamque ferebat.
Quæ statim, ut est Veneri contacta, in virgine flammâ
Delicuit, sævumque dedit prudentibus omen.
Verum ea quæ æterno conscripta adamante Vetustas
Nascentem mansura, cuique suo ordine signat,
Non fas est hominem cupido fugisse renisu.
Quin tamen exacto succedant tempore cuncta:
Qui cupit, ut sentit, succedere; doctior ille est,
Dumque malum bene fert, mutat candentibus atra.
Appulerat Seston; vix navita fune carinam
Iunxerat in littus, properantem Fata Leandrum
Excutiunt puppi; comites prior exit amicos,
Statque Deam juxtà, & ritu discentis adorat.
Multa querens frustra; non gnaro incensus Amore.
Optat, & in mortem nescit se optare, medelam.
Atque aliquis, teneri formam miratus Ephebi,

Sponsa

Sponsa venit modo quæ, sponsi putat esse sororem.
Intereà ardenti suspendunt vota labello
Vndique, & investi cingunt altaria myrto.
Pars alia in niveis offert sua dicta Columbis
Mitis uti Deæ cuique, & uti Dea dura cuique est.
Stat pavidus, vultum retinens tellure, repulsam
Qui metuit, castâque ad præmia virgine flagrat.
Pallidus ora rigor frigentia torquet in illo:
Illum aliumque Pudor, flammâ torrente, colorat.
Non nemo, ingratis noctem meditatus ocellis,
Ebria ceu visâ suspendit virgine vota.
Hæc tamen è cunctis rarißima turba videnti
Et multum quæsita, venit: Creberrimus extrà
Spe foribus tacitâ sertum geniale revincit.
Ferrea at effigies, auro simulata supernè,
Cypridos, occultè M gneti opposita latenti
Mobilis adnutat plebi, sensimque renidens
Iubila lætantum, ut corami exaudita, remittit.
Nec tum etenim arsuros libaverat ignis honores,
Victima nondum aurum cornu lethale ferebat.
Cum Iuvenes; votis divam clementibus apti,
Instituunt Choreas, plauduntque altaria circum
Prospera venturæ libanteis omnia pompa.
Nec mora, cum medio Phœbi rota constitit axe,
Fusa venit portis, &, Sestias, orgia ducit,
Pompa, volatilibus humeros ornata sagittis
Ales ut in cælo tenerorum ductor Amorum
Regna Cupidineis exercet mollia turmis.
Stirps Veneris, Nymfisque satos domat ore puellos.
Olli agili studio Regem venerantur, & orant
Matris ut imperiis regnum hoc, & fortius illud
Adijciat, neque jura hominum, neque jura Deorum
Curet; Amor gremio infusus genitricis amatæ, Sub-

Sublimis curru, quæ spicula nectare tinxit
Felle novo infundit; & dulce obfuscat amato.
Nectare, quod Veneris saliens utrimque papillâ
Inque sinum inque caput dios jaculatur odores.
Vnde oblita sui suavi liquescit Amore.
Pastaque ab Ambrosio dormit mens enthea succo.
Felle, quod è Stygio productum fonte, sorores
Eumenides proprio commistum lacte ministrant.
Vnde infelici perculsus Amore furentum
More, animus properat prævisa pericula contrà.
Talis pompa coronato volat obvia curru.
Orgia lascivæ stipans producta Dionæ.
Verum omnis solitâ flectit spectacula divâ.
In se lecta Deæ, formâ florente, Sacerdos,
Hero omneis spectantum oculos, sola omnia complet
Pectora, nec sævo suâ jura relinquit Amori.
Nec Charitum trigæ Charites superesse, nec uni
Dat Veneri Veneres, Amor est, Venus, ipsa, Charisque.
At juvenes alij parcentibus incluta fatis
Vota ejent solum; simulacraque virginis Herûs
Eminus in divâ; divam venerantur in Hero,
Stringentes dubijs invita silentia labris:
Atque aliquis teneras suetus ductare puellas,
Haud rudis in bello Veneris studiique dolique.
Argutas tali suspendit voce querellas.
Quid forma ista novi est? prorsus neque visa mihi ante
Nec post deinde videnda: liquescit pectus amore!
Ipse ego & armatas vidi sine veste Lacænas
Ioniasque nurûs, & queis dat Achaia palmam.
Raræ, equidem, in nostrum multæ venêre Cubile,
Multæ etiam adspectu, si non, mihi, Amore, potitæ
At quæ cunctarum pulcerrima visa, videnti

Hanc

Hanc, deformis abit: certè Venus ipsa Sacerdos
Facta sibi est: Charitumve Deæ flos trinus in unâ
Orgia fert Hero; simulacrave ficta Cytheræ
Marmorea diffusâ fecit gradientia Vitâ.
Pygmalionæis ut quondam credita tædis
Vtibili saxum felix mutasse puellâ.
Certè ego. si divûm, quæ dicitur immortalis.
Vita mihi hinc, illinc conjux se spondeat Hero;
Spondeat illa aliis, conjux mihi ducitur Hero.
Obstupeo visu; radiorum ut lumen ocelli
Sole repercusso dubio mihi sidere reddunt.
Et quantum, quantumque magisque magisq; tuendo
Me satiare volo, tantum tantumque morantem
Forma trahit; nulla est saties spectantis ocelli.
Talia tum pueri pro se sua quisque fatigat,
Votaque concipiunt; nec quisquam est agmine toto.
Qui non Fortunæ summam putet hujus Amorem.
At nitidâ in tunicâ gressum moderata puella
Virgineum arguto dispergens ore ruborem,
Constitit in medio, carmenque exorsa Sacerdos
Dececinit Divæ laudeis, suaque Orgia in illis.
Tum vero amentem species diuturna Leandrum
Vltro acie totâ subigit, neque sensibus è tot
Vnus ei superest: quàquà vorsum ora puella
Ora rosas pleno fundentia fonte loquendi
Commovet, hic sequitur: vix Vota domestica cuiquam
De populo reticet; tot noctibus umbra fatigans
Ignarum adspectu juvenem, nunc ora Puellæ
Viva refert, sponsæque ciet fatalis Amorem.
Illa quidem in turbâ contra sua numina sentit
Quàque videt, in se veneris partitur honorem.
Attamen hàc quoties cupidos via flectit ocellos

Quà

Quâ puer infelix vivebat nomine in uno
Et moriebatur, nec mortuus exspirabat,
Nec viuusque vidensque videbat, ut & vivebat,
Inscia quâ caußâ, tamen inscia multa moratur
Vestigátque locum, nec abit satiata tuendo
Illic & tua sunt, dicebant corcula fessæ
Gaudia, & in populo tua de modo Numina adorant.
Intereà longè comitatum excesserat omnem
Spe Iuvenis flagrans, & Amore volatilis alto.
Nec rudis hunc denso turba agmine distinet, ultrò
Dat Venus alma viam, domitorque Cupidinis arcus.
In venerabilibus tantum regnabat ocellis
Gratia, purpureo saliens super ora rubore,
Vt divina piæ lucerent munera formæ:
Dat populus, ceu lege, viam: properantis Ephebi
Fervor habet fasces; cedunt & tramite lato
Dant iter, angustum modo qui fecere triumfo.]
Hei quam cæca sui Fortunam ex indole privâ
Æstimat humanæ Mens conditionis! in ignem
Fervidus hic properat, fugiendo incendia flammas
Appetit; erigido necquicquam frigore vinctus
It nivis in cumulos: gravis est Fortuna Cupido.
Effera mens placitos semel obtinuisse furores
Saxa per atque ignes sua detrimenta secuta est.
Nulla quies juveni, donec se altaria propter
Destituit cursu, visâque in virgine mansit.
Stabat adhuc excelsa loco laudeisque ciebat
Virgo potens numeris, externabatque canendo.
Non divæ Auctricis populo, non Numina tanti
Sunt populo nati, de cantatrice puellâ
Mominis unius spatium ut furatus haberet.
Queis suus esset honos tantis divoque Deæque.

Dißita cui multis Zephyri coma lusibus errat
Aurea circum humeros, radiisque nitentibus ardet.
Quisque olli est telum crinis, quo pectora vulgi
Trajicit, invicto ducens suspiria corde.
Sic solem omnipotentem alio fulgore refutat
Cæsaries, populi nectar quæ naribus halat.
Conspicuo viridis florebat vertice serta,
Serta, manu sibimet quam plexerat ipsa, corolla
Ambrosiam Idaliam fragrans, cui Cypridis hortos
Dum sese exornat, speculi dum consulit orbem,
Ipsa Venus socio nuper spoliarat Amore.
Tota videbatur sertum geniale puella,
Seu nitidum spectes, oculo variante, decorem;
Seu suavem elatis deducas naribus auram.
Lusibus indociles oculi vigilacibus errant
Evaduntque procul, mox sese ut colligit ipsa,
In se mirantur formosi gaudia cultus.
Sic sacer, adverso, cum Sole illustris, oberrat
Iunonis volucer, meminit quo sidere formæ
Inter aves quondam regnum mortale teneret,
Indignanti adeo surgit, discrimina mille
Cauda coloratis ponens simul orbibus, atque
Fastosum circa corpus spatiata recurrit.
Mille olli opposito resplendent Sole coloreis.
Altividum levat ille caput; jam conscia Formæ
Lumina, vicinis immittere consulit auris,
Iam redit in semet nec se capit ipse tuendo.
Talis erat, talem Virgo se Augusta ferebat.
Carbaseam collo tunicam collecta patenti,
Colla superbifico torquebat mollia gestu,
Recta levans aciem vultus, radiosque remittens.
Sic Phœnix, longe fugiens confinia mortis

In vi-

In vitam, è cineris nido fulgentior exit.
Iamque annos recipit, jam pennipotentibus erga
Solem oculis restat, lucem reddensque trahensque.
Illo Naturæ nequit exsatiarier ardor:
Usque novum spectando novum 'mirata volucrem
Sese amat in sese, atque obitus mysteria Vitæ
Adsimilat propriæ, quæ nil non conficit; ut de
Fine trahat data principiis melioribus orsa;
Atque obitu reparet redeunteis ordine vitas.
Paullum hilari sese demittens corpore visus
Poma duo Veneris turgentia cernit in horto,
Qualia adhuc immite Cydonia fruge resistunt
Audaci digito, quæ cum Venus ipsa supernè
Arboris excelsum custodit nacta cacumen,
Admittunt tamen illa manum, quæ dura putabis
Molliculo dudum cupiant considere tactu.
Talia virgineo suspensa è pectore mala
Mala duo invito protrudunt tubere Vestem:
Carbaseam vestem, niveo quæ consita Serum
Vellere, viventeis dat translucere papillas.
Ipsæ jam arcano lactabunt flore papillæ
Lactabunt, desiderio mulgenda feroci
Purpurei juvenis, vivo medicamen Amori.
Sed neque tum tunica, nec Cypridos Orgia nota
Tota latere volunt sua munera: dissita fulgent.
Membra palam, raro vestis turbante tumultu.
Lumina in ingenuos deducunt Cypridis hortos
Candida, virgineis impleta volumina membris.
Perspicuo ut quondam si Salmacis integra fonte
Mersa natent puro, corallia, visa profundo.
Aut Rosa cum calathis tegitur per lilia plenis,
Purpura per latum candorem lætior ardet.

Talis erat virgo, talisque in virgine amictus.
Quod loca nunc longo dicam florentia versu
Cætera, quæ teneri dudum capiatis amanteis,
Atque oculis longum sitientibus exspectetis?
Cuique sua in promtu est fingendi cætera, Musa;
Fingere nemo potest pulcerrima, pulcrior illis
Quin fuerint, quæ nos frustrà tacuisse Catones
Clamabunt torvi; sed nos tacuisse fatemur.
At Rosa jam in medio florebat amabilis horto
Virgineæ Veneris ad quam de corpore toto
Flagranteis redeunt oculi felicis amando.
Quam fortunati solum vidére Poetæ
Eminus in speculo, cum per formosa profecti
Membra, colorato describunt carmine formas.
Seducunt vulgo tunicæ: salit icta Favoni
Vernili gemitu vestis lasciva; nec inter
Crispanteis licet ire moras flagrantis ocellum.
Alta quidem femora &, sedes seducta, patescunt
Interdum, sed sponte suâ Rosa velle videri
Se simulat, visoque sitim jam fonte relinquit.
Apparent nemora, & suprà, ceu fornice ducto,
Marmorei ventris tumor; at declivia cælant
Inter utrumque jugum castæ confinia vestes.
Nec favor in tuto est: rosa cum semel interit (uni
Interit una semel) toto sua corpore languet
Gratia; nec læsum potis ars reparare vel astus.
Propterea desiderium frustrata popelli
Accendit magis atque magis custodia floris.
Nam genus hoc studio mage quo cælatur amico
Hoc mage anhelanteis in sese accendit amanteis.
Qui, populo objectus, vili flos prostat in arvo,
A populo petitur: si quem stirps sanguis, Opesque

Aut

Aut honor aut meritis æquata superbia morum
E vulgi ducunt latebris, non vilia nanci
Serta putat; juvat è castis decerpere floreis,
Et vetitam multis primum transcendere sepem.
Omnia quæ dudum repetens mirator Ephebus
Ora in virgineo retinebat fixa lepôre,
Nusquam aciem inflectens, nusquam ora tenacia mutans,
Donec ei pausam spectandi sæva Sacerdos.
Fecit, & invergit sanctis altaribus ultrò
Dona manu plenâ, redolenteisque addit honoreis.
Heic juvenes cuncti, cunctæ libare puellæ
Incipiunt divæ, & sua quisque vocabula cantans
Ore sacro, faveat, divam, & sua vota secundet
Inflexis orant genibus, pavidique precantur.
At semel attonito mentem nec sacra Leandro
Nec Venus ipsa movent, nisi qua hæc male moverat antè,
Sed data, colloquio traduxit tempora, votis,
Adstitit ad flammam propior: per millia multa
Frendentis populi, sua quoque in carmina fuso,
Audivit pueri vocem formosa puella.
Ipsa favet, spretâ sacrorum lege, Diona.
Nec tantum infelix fatum suave orgia curat:
Tum timidam, & multum simulantia vota prementei
Arripit, extima quà, tunicâ residente supremâ,
Candida dispersas corradunt cingula rugas.
Molliaque haud durâ retractans vincula dextrâ
Fecit iter verbis, dum respicit illa trahentem.
Ah mea sancta Venus teneri miserere precantis,
Pars ego de populo sanctißima deprecor, adsis
Sancta puella mihi, nec, quæ geris, arma refutes,
Ecce ego nec divæ nec læsa Cupidinis *arma*
Te venerans, vereor: sed uti mihi Amorq; Venusque

Esse, es uti, cupias, oro: verbisque dolorem,
Verbaque vix mœsto commentor cœpta dolori.
Dixit, & adspectu miti, sine cæde, repulsus,
Vota sua ingeminat: nec quod velit esse paratam
Dicere, præsentit, nec non consentit amanti.
Ignoscenda putes teneræ peccata puellæ
Victa Venus fuerat, Charitum è grege nulla negasset.
Ausa puellaris fatoque resistere forma est,
Diisque suis, junctisque Leandri in pectore utrisque
Ausa negare, quod è cunctis cupidissima rebus
Ardebat tali concedere victa querellâ.
Nam nec ut ignotam juvenis ambire puellam,
Nec poterat juvenem pro ignoto spernere Virgo.
Interior formam Geniumque infixerat imo
Cordis Amor: dederatque figuræ agnoscere pondus.
Sic pueri dictis & se, devicta puella
Assentit furtim, & mutantibus improba ocellis
Tecta procul positi monstrat fulgentia templi
Nec breve nisa loqui est; vultum tenet omnis in unâ
Grex Iuvenum: sensére aliqui pia dicta Leandri,
Sed Venus obfuscas voces, & carmina delet,
Ne penitis possint insidere mentibus hausta.
Hinc celsum tacitos sustollit in æthera vultus,
Suspiratque, occulta trahens per signa ruborem.
Est Amor in nutu, nec colludentia fallit
Lumina, consensum facilis puer intellexit.
Scilicet amoto velit agmine templa subire
Nox ubi cæruleâ Solem detruserit umbrâ.
Hæc facilè argutæ capiens oracula pusæ,
Quem doctum magni reddit Schola mollis Amoris,
Ter quater in niveam deflexit basia vestem,
Ter quater à tergo flavo dedit oscula crini,

Densque

Dansque suas sentit spem non depellere flammas,
Quippe modo aureolos cessim deducta capillos
Ipsa manu stringit, libataque basia captat.
Et, roseam roseis dextram commissa labellis,
Quæ dare non poterat juveni, dedit oscula dextræ
Virgo suæ, vestesque oculis sua basia reddunt.
Basia, quæ nemo populo pote cernere in illo,
Seu data purpureis tunicis, seu veste revulsa,
Et tamen in cupidæ vultum traducta puellæ:
Sancta Venus vulgum sua nam mysteria celat,
Inducitque oculos tenebrosâ nocte profanos.
Vt tener, amissâ tabescens conjuge, turtur
Turtur amat præsens absentis basia nuptæ
Si quâ illam in viridi suetam considere ramo,
In viridi ramo meminit vestigia Amoris.
Illa legit sedenim, fruiturque ut conjuge vivâ,
Dum recolit, quibus illa locis, quâque arbore sæpè
Cum charo solita est Venerem placare marito.
Talis amatorem limis, virguncula, pulsans
Cui dare præsenti prohibetur basia turbâ.
Basia quæ potis est absenti invergere gaudet.
Cumque pudor, læsæque timor vetet altera Famæ
Traduce furta decens Virgo meditatur ocello,
Virginitas oblita latet; clepit invida moreis
Ponè sacros, monitus patrum populata, Voluptas.
Nec generis tantum illa memor, nec matris amata est.
Quantum ultrò ignoto cupida est servire marito.
Quæ tibi, quæ, crudelis Amor, convitia dicent
Ingenui Vates, spreto, puer, Arma, furore
Qui quatis; imposito Virtus pede vincitur alma.
Te levium impatiens pridem, Constantia, morum,
Temperies te dia tremit: tibi, lege soluto,

Mors pater in gremio Paphiæ fera prælia narrat:
Bellaque sanguineâ cum cuspide mollia mutat.
Te mens tota sibi, Sophiæ dea facta per arteis,
Quam procul à vulgo sua per vestigia vincit,
Sæpè Deûm fasceis, irrisaque fata remittit.
Perfide, nec duros tenero fregisse tumultu
Contentus stimulos, æterna compede victos
Pro lictore domas, tenebrisque imbellibus abdis.
Vnde nec infelix Sapientia, nec Virtutum
Extrahere omne genus victos queat undique mores.
Omnia quæ lepidis mandavit carmina cartis
Gallia, cum Charisin & Apolline duxit amico
Historiam è latebris, divino emblemate pictam,
Gesta cui felix Amadæus ad omnia vivum
Fert, illibati Fortunâ, exemplar Amoris.
Illum non sævi tremefecit Numinis horror,
Non contrà oppositi vinctum tenuére manipli.
Solus Amor domat; at quoniam mortalibus antè
Impos, ei penitus Charis est superata Poetæ,
Felicem extremo fine est expertus Amorem,
Millibus è multis raro quod contigit uni.
Cætera sunt hominis, divi est Amadæus imago.
Felix ingenij Vates, tua nectare puro
Ossa riget semper Venus, & mortalia quondam
Ambrosiæ latices æterno in flore dierum
Corcla bibant, numquam sævo temeranda dolore.
Te Rosa calatis candentia lilia plenis
Semper odore novo, trans secla immitia, mittant
Elysium in campum, castorum præmia vatum.
Vt poßis tamdem tua per figmenta potiri.
Constructis dijs Heroibus ædibus, in queis
Cum sedeat, totum, spectator, obambulet orbem.

At tibi pro meritis rutubâque hác denique rerum
Si quà Dijs Pietas, olim convicia solvent
Stoicidæ Vates, Amor & tua crimina dicent.
Iamque pari invisos cupidorum flectit amantum
Pronus equos, duplexque obiens rubet æthereus Sol,
Turba fluit campo, seque hospite servat in urbe
Sestia quà firmis florebant mœnia rebus.
At divina Deæ, nivea cum veste, sacerdos,
Templa suburbano repetit fulgentia luco,
Myrtea ubi semper viridi lare, silva Dionæ
Ridet & æquoreos contrà viret æmula fluctus.
Omnis ei abscessum comitatur turba; Leander
Omnibus antevolat, nec fixa in virgine cara.
Lumina, nec gressu gressum movet; ipsa sequentem
Sæpè retro sequitur, visoque retorquet ocellos.
Sæpè via in media dijs ornatibus instat.
Sæpè quid amittit, ut reddere poßit amator.
Turbaq; jam templum, Venerem venerata, redibat.
Exit in obscurum nemus, & meditata, Leander,
Verba animo versat, tenera potitura puellâ.
Nox aderat, dulcique diem obliteraverat alâ,
Pervigilem Ventri noctem sine matre sacerdos
Templo agit in medio, sat custodita quod æreôs
Abscedens posteis ingenti vecte paterni.
Sedulus officij, genitor muniverat intus.
Sed quid ego aligero dicam nocuisse puello.
Marmora seu templi, solidum seu limine ferrum,
Æratosve, gravi munitos obice, posteis?
Transit Amor quodcunque cupit: penetrabilis olli
Materia est ferrum, flatu clemente tenaceis
Explodit valvas, per aptaque marmora rumpit.
Ergo suá tandem, Virgo, genitrice relicta

Rimam habet in foribus per quam sponsalia pangit.
Præsto aderat juvenis, doctum facit esse Cupido.
Hactenus humanæ trahitur dubitatio curæ,
Hinc sine vi ingenij, mera vis nova fœdera junxit.
Nescio quo pacto valvæ patuere volenteis.
Solus cum Solâ pepigit sua fœdera nuptâ:
Pulcer amans pepigit, pepigit formosa puella.
Cætera quid, flammis vicino fulsure, dicam?
Virgo tamen, magnos multum caussata parenteis,
Longum etiam ignoti tædas caussata mariti,
Omnia quæsitis innectens carmina tricis,
Vltima se digno dignam largitur Ephebo.
Verum ea nec tempus nec sancta altaria divæ
(Quamquam ea quis proprio dicat temerarier igne:)
Concubitu optato rata confirmare sinebant.
Antè oculos socij præsto est Atalanta Leonis;
Quæ tenerum Hippomenen *sacrato in limine passa est.*
At ne quis temerare Deæ loca sacra frequentet,
Quam formosa olim tam nunc rabiosa reperta est.
Aurea qui Veneris decerpserat arbore mala
Nunc fera silvarum est ductrix, Neptunius Heros.
Ergo animum indocilem vetito abstinuere piaclo
Sola modo in cupidis exsultant oscula labris
Oscula, quæ Veneris testes, dulcedine magnâ
Majorem porrò designant deinde futuram.
Oscula casta neget puero virguncula nulli,
Nec puer hæc unquam castæ non sponte Puellæ
Offerat, hinc fiunt juncti conubia Fati.
Oscula dum ludunt, animi sponsalia firmant.
Hæc nisi jucundo præludant prælia nisu
Iratæ Veneris thalamo fax fervit in ipso.
Hæ Chorea Charitum, *Choreæ sunt quippe* Leporum:

Hi

His animum in penitum commista Placentia menteis
Insinuat, memorique inscribit fœdera cordi.
Illa per, è toto deducta corpore, in ora
Conveniunt animæ, nec jam exsatiabile Ludunt.
Mortua vis verborum, & flexanimi ardor Amoris
His reviviscenteis inspirant lusibus auras,
Vivificas auras, veri meditamen Amoris.
Nulli hæc è Stoâ rigidi vetuére Magistri,
Non anus excoctâ nutrix ætate per annos
Qualia custodum ferrato in codice secla
Secla sedent, tristique canunt portenta puellæ.
At miseris facileis torrebat Cura medullas
Quî possint plenâ porrò se nocte potiri.
Cum neque livorem, vicino Sole, timendum,
Relligione loci, genitrixve ingrata vetarent.
Turris in excelsæ solum se culmine Virgo
Littore quæ in nudo, cunctis inculta; maneret,
Virginibus puerisque, habitare canebat, & illinc
Nec latum migrare pedem, nec nuncia cuiquam
Mittere, præter anum fidam se posse, docebat,
Irritaque idcirco destere pericula dudum,
Et lacrymis nitidos juveni corrumpere ocellos.
At puer, impatiens flammæ, cum Sestia Abydi
Littora ab adverso contraria littore nosset
Respondere sibi: spatium breve censet Amator;
Omnia dehinc rapiens votorum millia in unum,
Ah miser, excelsâ desigat lampada turre,
Turre lucernam altâ, pepigit malè, noctis in umbrâ,
Quam simul ut, certo stata servans pacta natatu,
Lumine conspicuo florentem cerneret, illàc
Per medium nudus decurreret Hellespontum;
Directum per iter; conspectis ignibus istis

Nec

Nec sese Furias bacchantum per mare sævum
Ventorum curare, nec ipsius Ennosigæi.
Sed validam pelago surgenti opponere flammam
Quæ Veneris tumidas evinceret ignibus undas.
Nulla polo suetas porro Nox duceret umbras,
Quá non se cupidum cupidæ in loca sisteret Herûs,
Audaces jamdudum animos mirata puella
Stabat, agens lacrymas; nec pacta immitia nantis
Vult servare, nec amissâ venit altera ab istâ
Conditio; vicere Dij, consponsa Lucerna est.
Sic demum dubio credentes marmore summam
Marmore crudelem contestabantur Amorem.
Vdaque mille udis figenteis basia ocellis
Denique discedunt. noctis sublustre per umbram
It nemus, & nanteis jamdudum imitantia jactus
Brachia vix viso puer æquore continet, ultrà
Spes volat ille suas: Turris penetralia castæ
Virgo subit, thalamoq; sacram meditata lucernam
Spe super incertâ prudentia vota fatigat.
Felices ambo sua si frustrata Cupido
Quem sapere, & factis sineret sentire futura,
Transversum turpi ne rapta libidinis œstro
Pectora, pro ratione malos inhiare dolores
Præciperet; mera dum melligo obfuscat amarum
Patranti facinus; gratæ spectacula mortis:
Seirenum ut quondam pelago fixére carinas
Carmina; per ventos invicta, & marmore frustra
Fracta sacro, dum delicijs vacat ebria cantu,
Navis, it in scopulos; hanc mergit dia Voluptas.
Nec quicquam nocuit cui Lux ingrata Lacænæ
Virginis, aut Hyades, aut strictus ab Orione
Ensis, & infidum si qua augent sidera pontum;

Cum

Cum primum arguti captus dulcedine cantus
Auribus attonitis viscosum cepit Amorem,
Lucida non Helenes observat sidera fratrum,
Non Helicen, certamque brevi Cynosuran in arcu.
Non alia exsurgens quæ placant Lumina marmor;
Hæsit in ignotis, ignarus ut æquoris, aris.
Non Illum Iovis omnipotens, quamvis pedem utrumque
Impleat, assertum rapiente libidinis æstu
Servat; abit secum, suaque in dispendia pugnat.
Deinde huic Sisiphio versatur turbine saxum,
Pronaque vallis obit, montemque adscendit anhelum;
Ille superpendens cum marmore sentit obire,
Volvit id ipse tamen, fidensque in valle profundâ,
Vltrò adversum adigit montem, inque cacumine sistit.
Scilicet huic superest tantum Rationis ab hoste
Vt sentire vetet se, queis perit, impos honoris.
Tale Amor est homini monstrum; sua Fata cadentum
Quisque perit, gladiique aciem jugulandus adorat.

FINIS LIBRI II.
LEANDRIDOS.



C. BARTHI.

LEANDRIDOS

LIBER TERTIUS.



Ix benè Sestiacâ, remex, delapsus ab orâ,
Littoreâ proram adversam religarat Abydo.
Sera dies Iuveni noctem progressa tenebat
Ingratis tenebris; quin ipsâ in puppe per altum
Signat iter visu, nandique pericula carpit.
Illum, non tali rediturum per freta pompa,
Cum primum è pictâ terram tetigisse carinâ
Viderunt, sparsisque comis ululare, gravique
Cæperunt palmâ roseas lacerare lacertos
Attonitæ, pelagique Deæ, Nymfæque marinæ,
Nutricum tenus exstanteis de marmore cano.
Quippe harum communis Amor non cæsia servat
Lumina, & ad silvas primo volat impete Victor,
Ut solitus, dum mens peregrino ab Amore vacaret.
Inviti retrò decurrunt Seston ocelli,
Et speculam altividam, speculæq; in vertice summo
Prostantem poscunt pugnantia fata lucernam.
Eheu, quam cæcis mortalia Vota tenebris
Effera suspendit pallenti in nocte Cupido!
Magnamino si quis Fortis vim narrat Ephebo,
Narrat æque fidem tribuat vel Iuppiter auctor,

Nil minus inceptum tamen hic decurrat Amorem.
Vile nefas anima est scopulis objecta, per æquor
Per Furias Ventosque atque infelicia Fata
Tortorem sequitur, deletque pericula culpâ.
Sola animum exercet, sola atque infanda libido,
Quoque magis sola est; & quo magis ardua, major
Flamma furit, laceratque ustæ penetralia mentis.
Atque aliqua è Nymsis tum formosissima fandi,
Nereisin, pueri quæ Virginitatis honorem
Liquerat in gremio, fatis adversa secundis
Fata canebat; uti tenero per dura natatu
Æquora, naufragia confuderit ante pericla
Æolides, nec sæva omni pote marmora ponto
Indocileis flammas pueri stinxisse natantis.
Talia noster Amor pictâ freta sæva carinâ
Nabit in obscurâ post visam nocte Lucernam.
Marmora sæva viam, dabit & Neptunus in alto,
Nereides puerum manibus per tristia ducent
Æquora suppositis; supponent pectora Nymfæ,
Ingratoque suum deducent tramite Amorem.
Nullæ illi poterunt flentes compescere ocellos,
Purpureæ pelagi dominæ; Glaucusve, senile
Vinctus arundineâ caput, & flava ora coronâ.
Cantabat flavo prostans è marmore dudum
Nereis, auscultant nautæ, Videt illa Leander
Pectora, quanta suo caluerunt pectore nuper.
Nec videt in sesè facileis decurrere cantus,
Auribus infelix incumbit utrisque Cupido.
Acribus in flammis rivi sub imagine parvi
Pendit aquas, fluviumque brevem vocat Hellespontum.
Omnia vincit Amor; pelagus quoque: non suus illi

Restat

Restat avus: jam littoribus præfixa carina
Exonerat Vectore sinus; læti arva salutant
Patria, adhuc festæ spiranteis Cypridos ignes.
Præcipuè queis læta est, nec conscia flamma
Abnuit impositos aris violenter honores:
Sed croceo amplectens affusa volumine tura
Omnia pura dedit, fumosque evasit opacos:
Pars alia, attonitis similes, imbellia figunt
Lumina humo, tacitáque gemunt mala fata repulsâ.
At miser hospitio peregrino in littore egebat
Iam demum patriam ignorans; sine mente Leander.
Cui suà mens illîc, isthîc vaga corporis umbra
Corporis umbra vaga est: totâ sic nocte diei
Mutatur facies, tenebrisque minacibus horret.
Ah quoties fixos oculorum immobilis orbes
Servat in aspectu Phœbi, & convicia dictat.
Sol aberat, vice terra freti, vice sidera noctis
Alma nigræ stupeant, nisi se videatque feratque;
Sic quoque Phœbeo præfertur lumini Orion.
Scilicet in pactis cui lampada servat amicam
Sol novus, hanc sequitur, noctemque exoptat ab illo
Nec minor ex aliâ deceptam parte puellam
Cura coquit, sæpè illa genus, sæpè illa parenteis,
Hospitis infidi pallescit sæpius ora.
Nobilitas generis, & formæ Gloria, castam
Stare jubent; venit infandâ trux nube Voluptas,
Et mentem amentem cæco discrimine versat.
Vrget Amor, vultus semper nova forma Leandri
Auget, uti impressa est animo: videt esse cupitum
Majoremque vi aet: præsto est gratissima fantis
Gratia, nectareo manant ardentis ab ore
Ambrosia, ingenuo spirantia, verba, lepore.

Pectora

Pectora quæ ut tenuere semel, crevére tenendo.
Talis erat; quæ forma Dijs, qui fulgor Amori,
Gratia quæ Phebo, dantur quæ membra Lyæo,
Hæc simul ille tenet: Castam flos nubilis intrà
Ætatem ignoto depascitur igne maritans:
Forma comes sequitur flammam, sufflatq; cadenti
Semper ab igne animam, victo quem pectore servat.
Liquida ceu varios quondam cera induit usus,
Sole lacessito, digitis subtilibus urget
Quam puer, & radio cui pingit signa Magister.
Signa duodenis cælum regnantia formis.
Volvitur in curis animumque elusa puella
Dividit, ut Boreâ pelago ratis acta rapaci.
Nunc cavet hâc scopulos, illàc pendentis arenæ
Instabileis portus, nec certo errore secuta
Orbem agit obliquum: quantum est salis, æquore lato,
Tantum habet hæc spatij, spatiumque amittit habendo.
Sic animum tremebunda huc atque huc dividit Hero.
Nunc sedet intactam thalamo servare corollam,
Pacta vetant; restant pactis genus atque parenteis.
Iam fugit à culpâ, Virgo jam in virgine vincit,
Cum redit infelix juvenis, auditaque crescunt
Vota palàm; stantem videt, ut venturus amanti,
Iam premit uda potens rorantibus oscula labris,
Iam videt & tangit; jam cætera victor habebat
Cum redit ad semet, jam deplorata recurrit
Virginitas, lætamque videt sine labe reversa:
Imperiosus amor nunc per freta ducit amantem,
Iam videt adstantem, jam summâ in turre receptum,
Odit eum absentem, præsentem amat; inque futuris
Mollem animum exercet, nec visa pericula vitat.
Omnis in hoc modo cura; quibus sua pacta refutet,

 Nescit,

Nescit inops, verba hac, meditataque carmina delet.
At cum grata fides, & primi sanctio lecti
Iamque subit juvenis; nocturnaque templa, Deique,
Fœderis ingenui testes: super omnia adorans
Eminus ipse, & verba mero stillantia melle,
Nequicquam dura est, nequicquam oblivia fingit.
Optat eum mutare fidem, sed fallere mors est.
Mors etiam falli est, & non vitabilis ardor.
Fluctuat infelix, nec inexaudita pudori
Virginitas, sed spreta palam: Venus ipsa medullis
Bacchatur, gravior quia non experta puella est.
Vt stipula agrestis, multo quam rore madentem
Infudere foco: flammam frustratur, & ultrò,
Invitat, stridore rudi: flamma ambit hianti
Circite, & amplexu sensim dominatur avaro.
Intereà evectus Vesper Cythereïa monstrat
Sidera ab Occasu, Solemque invitat in undas,
Sol sequitur juvenem: dubio stridore cadentem
Audierat Tarteßiaci sacer accola Ponti.
Evolat urbe puer; manibus custodia lapsum
Quærit eum è mediis, urbemque ad littora ducit.
Sed neque cunctantem, neq; conspexére natantem,
Nec redeuntem aliquà: cæcos Venus induit artus
Nube nová, densatque auras, corpusque notantum
Subtrahit ex oculis: jam primâ in littoris orâ
Ambrosiam posuit tunicam, & nudata tenebat
Membra loco; tum purpureo te, Vesper, ab ortu
Manè reversurum, Lunamque atque astra salutat
Cætera, nictanteis oculos servantia cælo.
Æquore dein libat latices, dextrâque sub auras
Spargit, & æquoreo votum facit hospes Amori,
Multa super pelago memorans; Neptunia quando
Numina

Numina placatas reserarent mitibus undas
Artubus, & charæ mare sisteret in loca Nuptæ.
Te puer, effigies Cythereïa, Vesper, adoro
Pacatis nantem radiis freta perfida cerne,
Nec prius erubeum nocti jubar abde futuræ
Lampada quam nostræ conspexeris orgia Vitæ,
Suspensam è turri, tum demum, Vesper, abito.
Tu quoque tu, Omnipotens Lunæ clarentis imago,
Diva fave, si vera mei docuere parenteis,
Latmia te quondam pastoris regna secutam
Orbividam speculam cælo liquisse sereno.
Vosque minore dehinc nictantia sidera, cultu,
Sidera nocturnos pelago deducite Amoreis.
Tu verò ante omneis, Neptuni maxima conjux,
Flecte viam ad littus, nec brachia jacta refuta.
Nec pedis officium laßi desiste iuvando.
Voverat; audivere Dij, nec sævus in omni
Tantum unus numero superum, qui candida nollet
Dicta favore sequi: mirantur scæva Leandro
Assensum, Parcæ, dare Numina, Fata rebellant.
Verum ea quid prodest placido exorare favore,
Si, puer imprudens, Ventos neglexerit? & vim
Tempestatum atram votis placare supinis?
Audijt Aeolii frœnabilis objice saxi
Turba, Deos orantem, & sese expectavit in illis.
Non aliter, neglecta, furit, quam lumine diro
Cum gravis immisit ponto soror; aurea frustrà
Castoris & Pollucis eunt servare carinam
Lumina; vincit atrox Helenes fragor: at via portam
Hippotadæ munita negat, ter carcere pulso.
Quæsivere abitum; ter sceptra immania sensit
Agmen agens Boreas, indignatique resorbent.

Flamina, crudeli questi de principe, fratres.
Interibi in pelagus corpus juvenile Leander
Iecerat, Ambrosijs invadens æquora membris.
Vt quondam sudi fulmen Iovis aurea portat
Omnia; & in terram placido delabitur æstu.
Aeriæ arrident nebulæ, comitque serenum
Lux nova; vel quando Paphiâ de rupe Cupido
Desilit in pontum, curritque per æquora siccis
Flammæ vi, pedibus: materno mense resignat
Duram hyemis faciem; talis de littore primo
Desilit; acceptum viridi Thetys extulit alvêo.
Supponunt pedibusque manus, manibusque salaceis
Pectora Nereides: ignarum semita ducit
Nulla quidem, sed imago, Dijs fingentibus, ejus.
Cernit aquas canâ ducenteis lineam in undâ;
Et sequitur ductam: nec enim sine Numine dextro
Prima via est: Delfin caudâ sublimis aduncâ,
Sustulit, & blandis nantem rumoribus implet.
Stabat in arce sua: pendenti mente, puella,
Tempora nota videns, nec quæ facienda videbat
Aut daret infecta: sponsum, crudelis in æquor
Spe nitida extractum, pelago nunc deseris alto?
Quantum erat hæc illi, castè quæsita, negari?
Prima tua ista fides? sic juramenta retractas?
Vllane desertis in montibus, ulla reperta
Tam fera, sæva fera est, quæ cum traxisset in æquor,
Fluctivago in ponto miserum spectaret amantem,
Nec tenuem daret igniculum, quo enare videndo
Ad terram posset? Satis est immitia porro
Contra spemque fidemque retractari orgia Amoris,
Cum tenerum è duro servatum est æquore corpus.
Sic virgo in certâ suspendit lampada tandem

Turre

Turre manu;per aquas ducentem fata Leandri.
Lampada,quâ juvenem devectum viderat antè
E regione procul cæcâ figebat Abydo.
Nec tamen intereà gratissima fœdera mens est
Porro sequi; modo ne sævis mergatur ab undis
Curat,ubi primum juxtà sua mœnia carum
Visura est juvenem,putat inde remittere posse
Vnde aderit,multum magnos caussata parenteis.
Has olli ob domitum nectebat fraude pudorem
Insidias, Amor, & dubitantem in cæca trahebat
Saxa, modo incauto liquisset littora saltu,
Mox pedibus falsas subtertracturus arenas.
Talia dum meditatur, ab excelsâ videt arce
Spem fulgére suam:nihil ille ad sidera porro
Votorum facit,aut Nymfarum curat honoreis,
Omnia in adspectu,Via,Fors,Favor, Arma salutis,
Lampadis assulgent;oculis Amor addit acumen
Vt nec dum visam pro visá luce sequatur.
Nec mora projectu membrorum, brachia remos
Exsuperantque pedes;vix gnarum mole sub altâ
Sistit Amor,tum voce palàm clangente puellam
Suscitat;hæc audit sed,tamquam ignara,volebat
Non-audire diu:compressa silentia labris
Erumpit vox una,veni:Pudor omnis ab unâ
Exsulat, & viso spes Virginitatis amante
Prima fugit,mistamque Noto sese imputat auris.
Claustra manu niveâ reserat,nutrice puella.
Incomitata suâ;sponsi quæ conscia pulcri,
Solaque cunctantem hortatur,ducitque negantem,
Vt patuere fores,nudis amplexibus udum
Irretit corpus, neque vocem aut verba moratur
Limine sic prima,sine voce & mente revincti,

 Omnia

Omnia junxissent votorum millia in unum,
Sedula sed Charme, trepidos solata timores,
Admonet, adscendant turrim, thalamoque ligentur.
Mox ut eum tetigére, maris piscosus amaror
Vnguine diluitur pretioso: in gaudia porro
Vela amor ingenuus laxat; nec zona soluta est
Ante tamen, quam consponso genialis honore
Fœderis, extremâ cecinissent talia fini.
Per te, chara, meam, sic sis mea; juro Leander.
Quam caput hoc Herûs nullam me vivere porrò
Velle diem; mea vita tua est; jungemur in unâ
Morte, pares flammis, & eodem uremur ab igne.
Vnus habere rogus duo corpora debet amantum.
Queis mens una fuit, dum candida Parca sinebat.
Dixit: ei totidem conjurat verba puella
Verba secuta suis, infelicißima; quæ se
Ereptam propriis, alienis tradere fatis
Malit: Amor bona dicta, suâ descripta tabellâ,
Conjunxit fatis: tabulam Parnasius amnis
Servat, inexpletumque rigat lacrymantibus undis.
Vidit eam exscripsitque, & carmine condidit isto.
Purpureus juvenis, casti mirator Ephebi.
Illum annis, animis, formâque & sorte decorum
Eripit à vulgo, Musæaque numina juxtà
Cum primis colere, & cultis reperire decorem
Fama jubet: paret Fama, suaque arma tenebris
Eruta, trans nebulas Iovis in penetralia condit.
Purpureus juvenis, casti mirator Ephebi.
Cætera quid longis opus est detexere dictis?
Quisque quid ausurus tali sit Lege, Domi scit.
Scire decet quod quemque, superflua pompa doceri est.
Oscula junxerunt, non oscula sola, ligantur

Spiritibus

Spiritibus alternæ animæ, transire laborant
Altera in alterius mentem; nec pectoris ambo
Quisque sui discrimen habet; sic vivere votum est
Sicque mori; exhalant animas, ducuntque vicißim.
Mens oblita sui nil cætera curat, in una
Sede vacat labris, ludentiaque oscula Linguis
Digerit, & peniti cordis devergit in antrum.
Confusis in sese innectunt corpora amanteis
Corporibus, vivoque ætatis flore fruuntur.
Iam Rosa decerpta est, tener huic populator amando
Liquitur; ut totâ sensus cum mole laborent
Pars sua cuique perit, de quâ novus exstet in horto
Flos, veterem exscribens, uti sit nova gratia Nato.
Patranteis titubant, grati que tremoris ocelli
Dulce gemunt pondus, gaudentque hoc teste notari.
Virginis in factum rediit Pudor. altaque Laudum
Gloria decrescit, cum quod se perdere sentit
Restituisse nequit, docileis victoria sensus
Placat, & amissum meliori germine pensat.
Ante oculos natat alma, nec exsatianda, Voluptas,
Quæ sensim prisci populatæ Cupidinis arma
Flagrat Amore novo, sentitaque gaudia rursum
Flagitat, intereunt casti gratißima lusus
Pignora Virginitatis, in hoc anima omnis Amore est.
Visa dies fuerat lento considere curru
Et trahere ingratam longa in dispendia lucem;
Nunc brevior sese, nox imperiosa, putatur.
Luserunt totam, non exsatiatus uterque,
Nec somnum feßi viderunt prælia ocellis,
Prælia vix visi prægustavisse Diones
Luciscit cælo Phœbi armiger: aurea sensim
Exscindit thalamo Tithoni nupta: videre

 Dißi-

Dißimulant primò, sed nec vidére, rubentem
Postideà clarâ pallentem lampada luce
Phœbei currus super æquora flava refutant.
Oderunt monitus, quæque officiosa vocari
Tum primum meruit, nutrix, ingrata vocatur.
Quid tamen exhausto moliri tempore malint?
Corda revelluntur, fluit alta in vulnera sanguis,
Et madefacta sacræ violat penetralia flammæ.
Mille modis nox una redit, rediisse Leander
Abscedens ignorat, & insatiabile fervit.
Cum tamen adversum pelagus videt, oscula jungit,
Oscula quæ nullis æquanda prioribus ipse
Confiteatur Amor: lacrymis maduére profusis,
Illa velit juncto pelagus transnare marito;
Cum videt hunc abiisse, abiit, nec credere porro
Quit a reversurum est; jam non ignoscit ademtum
Ipsa sibi, crimenque suum putat, esse relictam.
Æstimat hoc magni, divisque æquata recedit.
Lassa ferunt ponto fugientis membra Leandri
Rite domum Nymfæ: nubem Venus addit opacam
Constitit in mediis quam quisquam scire reversum
Posset, & ante suos rediit quæsitus alumnos.
Nil tamen è suavi narrat delusus amore,
Sed, modo dicturum, modo se nescire fatentem
Miscentemque vagis dictis juveniliter iram,
Deseruere Patres: tum lætitiæ nova oriri
Signa videt, festumque diem, cum pectore solus
Ipse suo peragit, Venerisque altaria curat
Viva, suæ mentis; nec puncto migrat imago
Unico, imago decens, qualem vovet esse, puellæ,
Quàquà it virgineos oculos, & cætera gestat
Omnia, quæ impreßit cupido sacer ignis amanti.

Hoc miser in divûm delinquens Numina Sancta
Quod pietas neglecta fugit, dum injuria amantis
Creditur, & superis vultum submittere durum est.
Nec prius huic pelagus vel mente vagâ usurpatum est.
Nec prius in dubio navit suus æquore Rector
Ante, nisi superûm paces orasset amicas.
Omnia quæ nunc sunt rapidis data munera ventis,
Cum jam jam suspensa fricto vestigia librat
Murmure vix tenui Pontum, sine mente, salutat.
Hoc misero divum menteis avertit amicas,
Omnia quod male grata, nihil juvisse benignum est.
Vota negat solvisse, una est Hero omnia divûm
Numina; quæ Veneris quondam, nunc facta sacerdos
Destituit prorsus matremque Deamque, Leandri
Non olli vetus, in denso quæ condita luco
Ara manet Divæ, suetos adolevit honoreis.
Non sancti meritâ venerantur lege parenteis,
Irata est Nemesis, & fata hærentia, Parcæ
Præcipitant, mutant subtemine vellera pullo.
Discite ab exemplo, Pueri, nec numina votis
Quisque minora suis, nec fata putare, labore
Victa semel felice, manet niger exitus alba
Absque timore Deûm, primordia: nec juvet isthîc
Quod pontum fugisse licet: pelagusque Notusque
Omnibus in campis, Pietas ubicunque cuiquam
Spreta petit Pœnas: non Lampadis illa nitentis
Orgia, non festiva animi deliria curat.
Imminet in nebulâ, & gressum comitatur euntis
Dum justam stricto mucrone expleverit iram
Cætera cum læsis ignoscant Numina divis
Læditur iste semel: nisi supplicis ore minantem
Et citò & intrepidè sedaris, justa precando,

 Te tua

Te tua damnabit tetri, Mens, conscia facti.
Omnia qui vincit, ne numen Amoris herile
Causseris; superest Pietas, plectique volantem
Matre suâ puerum; domitoque Cupidine frangit
Imbelleis alas, & tela immania calcat.
Materei est sua Temperies, quæ gesta per Oestrum
Vindiciis exponit, & aggerat intus agendo
Te quoque, te, divûm neglecto jure, Leandre,
Vltrices sequitur vibrans Rhamnusia Pœnas.
Dena bis exierat, repetito per freta amore,
Læta dies; spatium incidit Dea longius atrâ
Trina manu, nantemq; secat freta salsa juvencum.
Ilicet ante ferox projecto carceris antro,
Erigit insanis, Aquilo, freta turbida flabris.
Nec tamen horrifero prius instat barbarus æstu
Quam medium juvenem pelagi deprendit humiq;.
Illum, more suo Nymfarum turba, secuta,
Candidulis fotum manibus, super alta vehebat.
Omnia non saltu, non adversantia nando
Defuerunt, solito stans littore, pronus in æquor,
Ducenteis funus vidit Delfinas in alto.
Ducebant patriæ funus juvenile catervæ
Naïades, summisque leveis super æquora plantis
Horrida, desilentis iter devertere tentant.
Stat puer infelix; non finem cernit amandi
Quamquam fata jubent, lacrimisque injussa resultant,
Lumina, nec docilem fugiunt fera signa juventam.
Et voluit mansisse semel, sed fallere amantem
Erubuit, leviorque fide mors horrida læsâ est.
Desilit; acta levi vada turbine, sanguine mutant,
Et nivea obscæno conspergunt membra rubore.
Ipse per infectum pelagus ruit acer, iniquus

Infeli-

Infelicem in Amore Deus miseretur amantem,
Glaucus; equo propior Triton præludere perstat,
Atque iter ad patrium vorsim deducere littus.
Ergo fatidicâ tristeis agit undique conchâ
Exsequias vivo, sed quem prope mors sit amara
Audijt infelix sonitum, & lethalia frigus
Membra ligat, nec caussa mali, sed terror in hujus
Succedit nomen, peragitque instantia fata.
Vt quondam stabulis cum sæva obvertit opertis
Cornua, & occulto, Pan turbine buccera versat
Secla, rigens, tumidos pridem, quatit aura magistros,
Et taciti cæco posteis terrore resultant.
Extrà improviso sepis prostrata tumultu est;
Spontè suâ patuere fores; tubicenque cruentus
Personat & multo, sine nomine, rauca fragore
Prælia bacchantur: tamen infelicis Ephebi
Artubus attonitis superest mens, fortis amando.
Donec atrox nubes tenebras geminarit ab alto,
Et ventorum animæ evulso cum fæce profundo,
Adversæ obsonuere, Notus Borealibus iris
Pugnat; & adversos Zephyris furit Eurus in æstus,
Miscetur cælo pontus, cælum omne resedit,
Adscenditque fretum: quid opus juvenilia tanta
Impete quassari projecti membra puellæ
Verum ea vis fidi semper perhibetur Amoris,
Magna domat: vix ingenteis Elementa fragoreis
Vndique cum geminant, fidus superatur Amator.
Restat enim; nec sæva timet, nec languida curat,
Robora, suffixo volat ad sua præmia corde.
Tantum habet hic fati. Sed [illegible] profundâ
Actus in ima, dehinc celso [illegible] Olympo,
Vivebat tamen, atque [illegible] trahebat

Altivi-

Altividâ donec suspensam turre lucernam
Vidit, eam objectâ tutatur veste puella,
Florem olei invergens: tutanti barbara restant
Flamina, nec flammas jam pascere Pallas amicas,
Nec jam Vulcani ventis favor obstat, & æstui.
Venti transversis laceratum flatibus ignem
Exstingunt, nec quicquam inhiat refovére puella,
Ignis ubi perijt vincunt freta sæva Leandrum.
Iamque animâ exsensum corpus fugiente, per altum
Fluctibus obscuris sursum & jactata deorsum
Vnda rapit, totâque exercet Nocte potitum.
Intereà fidum exspectans in mœnibus Hero
Sponsum, avidè in pelagus speculanteis misit ocellos,
Multa mala indicens exstincto Lampadis igni.
Cum roseum emergit pelago jubar; horrida sidunt
Marmora, ventorum moriuntur inania sensim
Murmura, eos solito frænavit carcere rursum
Hippotades, posteisque jugis obstruxit aënos.
Stabat adhuc excelsa loco; nec deinde videnda
Astra premit votis, & quem prius exsecrata est
Solem avidè poscit nec quæ mala poscat in illo
Scire potest sibimet: nisi quod mala cuncta vident:
Quod sponso tantâ jampridem nocte carendum est.
Vix benè purpureo radiis freta sole relùcent,
Et viridem flavo conspergunt lumine pontum.
Nox etiam incertæ pugnabat victa diei;
Monstrat Amor lacerum, turris fundamina propter
Ah lacerum; jam non spectandi, corpus amantis.
Ipsa sibi indicio est; nec adhuc bene viderat, ille est,
Ille fuit, clamat: flavosque à vertice crineis
Attonitis rumpit manibus; ululamina prima
Non nutrix, non ipsa capit: sine mente querella

Prima fuit; non verba malo satis apta dolori,
Repperit, ipse furor verba indignissima dictat.
Erumpit tandem: sic, ô Charissime, sic ô
Et tamen inquit, ades? nec me tua functa fefellit
Morte fides, nec te par mox mea fallet eodem!
Iungam equidem carum caro cum corpore corpus,
Quodque, mare insiliens, sperasti: prorsus habebis.
Vel sic care mihi! Vos ô crudelia Divûm
Numina; digna suo si quisquam ea nomine censet,
Cum teneram tanto fraudastis amore puellam,
Ipsa suum ut pelago juvenem committe et alto.
Iam jam ego nec divos, nec credere Numina possum.
Qui fidei favistis, ut hæc mox fine fideles,
Numine confisos tanto, traheretis amanteis
Vos fidei adversos misistis in æquora ventos,
Quorum ego sub nutu, nullo Rectore, teneri
Omnia nunc demum, misera atque improvida, disco.
Quamvis hoc nobis rapuistis, uti face in unâ
Viventeis, vitam nequeat decurrere uterque
Qualem isto meriti sumus & speravimus ausu
Hoc numquam tamen, hoc numquam rapietis, ut uno
Post fatum infelix pelago tumulemur uterque.
Quo nunc me servastis, ut orba puella Leandro,
Illius è celsâ spectarem turre cadaver:
Mox nostrum in caro spectabitis, heic quoque, funus
Funere; nulla meam retinebunt flamina vitam.
Vos vaga ventorum, bacchantia per mare magnum
Flamina, in æterno teneat Rex carcere vester.
Tuque dies, quæ prima mei mihi nuntia fati es.
Dum rediturum aliis exspecto fluctibus illum
Illum, illum, misera; in cujus modo nomine tristi
Commorior, mecum & jucunda vocabula verso.

Sæva

Sæva dies, te Sol semper deploret eamdem.
Nec choreis umquam, nec tu celebrabere tædâ,
Sancta sed infaustæ servabis dicta Puellæ,
Infelicis, Amor quam celsâ turre volentem
Præcipitat; te nubis iners premat undique pallor;
Et viridi obscœnum contristes frigore cælum.
Æquora pons jungat, & terra absorbeat ima
Tartara mole ciens; pereant locus atque pericla.
Vos miseri, amissâ natâ, lugete parenteis,
Et qui me cupidam non indulsistis Amori,
Vt flos virgineus voto marcesceret atro,
Spemque protis dubiam dictis lusistis iniquis,
Quorum ego, ceu Sacri Veris pars magna, reporto
Crimina, & à vobis meritas exhaurio pœnas;
Ah vobis meritas, natæ mihi deinde luendas;
Nunc pro purpureo thalamo mihi busta parate,
Pro pinu geniali atras succendite taxos.
Flammea det multo restinctus sanguine carbo,
Vos mea pro dulci cinis imperfecta Nepote
Afficiat, gremium hæc spes consoletur avorum.
Vnum hoc; nec caro dejungite corcula corde
Nostra, sed unanimes urnâ confundite manes:
Vmbra duobus eat de corporibus simul una,
Vna, nec Elysios duplex, nisi nomine Solo
Trans loca plorantum gaudens tranabit in hortos
Cætera venturis legatur cura Poetis.
Clamat enim clarè meque in sua fata, Leander.
Seram etiam, poscit: Veniam carissime, qualem
Sponsa Fides, tua mors, & barbara fata vocarunt.
At, prius ac pereat, fungatur læsa Cupido
Vindicibus verbis, & mortem carmine penset.
Carmine; quod divis supremâ nunc voveo horâ,

Hora

Hora suprema mea est, intrabit Spiritus auras,
Membra solo, modo pulcra, meo cum flore, jacebunt.
Exierunt mihi perjuris data tempora fatis,
Non hanc productæ, non in spem hanc denique natæ.
Hei mihi, non mea nunc, sed fata mei mihi mortem
Ah gratam juvenis mortem sine tempore, portant.
O tua sic, ô te tua sic, sic lugeat, ô te
Tartareâ in speculâ, Thrax perfide, lugeat uxor;
Vt miseram modo me misero spoliare marito,
Vt, Borea, potuisti: eheu! seu turbine diro
Hoc aliæ fecere animæ, sive insimul omnes.
Infelix igitur nunc horrida fata subibo,
Infelix, nec fortè ulli miserabilis, Hero!
Nox ventura artis modo me circumvolat alis,
Lux abit, hæc suprema meis data, lux mala, ocellis.
Ah immitia, si quæ numina nostra videtis,
Fata, meô numquam quaquam ma!a, læsa piaclo.
Ah quam grande decus fidam jecisse puellam,
E speculâ thalami thalami, castique pijque,
In pelagus dirum! decet hæc clementia divos!
Altividâ è speculâ, thalamo castoque pioque
In pelagus dirum mea me rapit, ah pia, virtus!
Infestæ contrà multæ Veneri Fideique.
Cum non jam charis vivant longissima fata!
Quid teneris nocuit solem me cernere ocellis.
Aut quid displicuit nostri tibi, barbara Clotho?
Aut quid ego admisi? quid ego committere quivi?
Quæ modo ibi jaceo fera ubi mersere Leandrum
Marmora! sed quoniam tanta est sitis hujus in astris
Sanguinis, ibo equidem, vosque hoc satiabo piaclo,
Ibo equidem, ô superi, misera & miserabilis Hero.
Plura locuturam filo rapuere resecto

Flens

Flens Lachesis, nec læta soror: salit impete magnô
Turris ab excelsæ speculâ, quà mœsta cadaver
Antideà vigili lacerum spectarat ocello.
Et lacera ad lacerum devenit sponsa maritum.
Membra, quibus poterant exstincti vivere amanteis
Sparsa jacent saxo; cerebroque adspergitur Herûs,
Custodem turris, quam constituere Parenteis.
Movit Amor mœstos, movit fortuna; Parenteis,
Marmor habet cinereis unum, una inscriptio binos.
Vnum habet hos marmor; titulo confunditur hospes.
Hæc ego formosis impendi dicta puellis
Aurea cum nondum tenerâ lanugine malas
Purpureæ vestis, domitrix ætatis habebat.
Prisca situ evolvens sanctorum oracula vatum.
Vatibus in teneris quondam quota pompa futurus.
Mens mihi non hæc est molleis seducere Ephebos
A venerandarum virtutum semitâ in altas
Errorum tenebras, & cæcum lumine vulgus.
Cui lyra, grande sonans, dudum claudentis jambi
Alite reclusit stoæ mysteria sectæ.
Sed magis exemplum fugiendi ponere Amoris,
Insidias & tela, modis fallentia miris:
Qui sapit, exitio alterius, cavet atra pericla,
Adversoque animum sapientem opponit Amori.
Cætera quid nostris opus est depellere dictis
Crimina: Vulgus iners virtus eliminat isthinc,
Nec metuo infestâ ludenteis indole sannas.
Candidulum multo pectus cui floret honore
A studijs Sophiæ, quid inanis turba laboret
Erubui pridem curare; pedemque retorsi
Ne latitantem herbæ sub tegmine comprimat anguem.
Spe Famæ insignis, re Nobilitatis avitæ.

Nec

Nec solum his, blando detextis carmine, dictis
Purpureos pueros, quæ sint facienda, monebo,
Longa duodenis inserta volumina libris
Salvificum expedient jucundis dogma Camœnis.
Vnde, meum corpus cum terra; animumque tenebit
Astripotens, reducem vitæ è discrimine, Olympus,
Fama meorum ingens studiorum sidera tangat.
Vtilitasque sacris pia debita rite loquelis,
Parte quoque è nostra mundum extendatur in omnem.
Tum niveis contra sublatum Gloria bigis
Eripiet morti, nomenque perennia nostrum
Fata sequi dabit, & charo sacrum esse Nepoti.
Ibo per Elysios incinctus tempora campos
Bacciferis lauri ramis; prisciq; sodalis
Vatibus, augebo numeros Pietatis amicis.
Vnde meæ Christus vitæ, Dux; crimina coram
Deleat, & meritis ignoscat Gratia culpas
Nisa Dei. Hæc perpes spondet sibi præmia vates.

FINIS LIBRI TERTII.
LEANDRIDOS.



C. BARTHI.

MVSÆI DE HERO ET LEANDRO LATINA VERSIO.



Ic Dea Cæcorũ testem mihi lampada Amorũ,
Perq; mare in noctē nantũ vectorē Hymenæũ,
Concubitũ Auroræ invisũ, tenebrasq; sequentē.
Et Seston & Abydon, ubi nox nupserit Hero.
Lampada nũc audire juvat, nantēq; Leandrũ,
Lampada, qua Veneris portat rata nuncia ponto.
Nuncia noctinubis Herûs decus addita tædis.
Lampada, Amoris opus, quam sidera Iuppiter inter
Officio postquam est nocturno functa, locatam
Debebat sponsis sacrare, Cupidinis astrum.
Quippe ministra vigil curarum, in Amore furentum,
Nuncia servavit insomnis jussa Hymenæi;
Ante truces ventorum animas, atque hostica flabra.
Verum age in exitio nobis functa accine eôdem
Lampadaque exstinctam, & pereuntis fata Leandri.
Sestos erat, contrà, medio maris æquore, Abydos.
Inter se vicinæ urbes, sed flexus Amoris

Arcus,

Arcus, utramque unâ conjunxit utrique sagittâ
Virginis & pueri flammans face pectora; Virgo,
Hero pulcra fuit, puer aptus amare Leander.
Seston virgo colebat, hic oppidum habebat Abydi,
Quisque suæ, florens vice sideris, urbis ocellus,
Inter se similes. Quod si transiveris illàc.
Quære mihi turrim, de quâ olim Sestias Hero
Lampada habens duxit nantem vada salsa Leandrum.
Quære etiam antiquæ freta pontisona, hospes, Abydi
Nunc quoque submersum deflentia Amore Leandrum.
Verum, unde è patriâ venit puer hospes Abydo
Ipse Herûs in Amorem & Amore subegit eamdem?
Hero pulcra quidem, Iovis alto è sanguine virgo,
Expers conjugii, Venerisque antistita, turrim
A genitrice procul, stantem prope littus, habebat,
Altera ceu Regina Venus, castoque pudore
Victa, in nuptarum venit collegia numquam.
Nulla choros dulceis æquali in pube frequentat,
Invidiam vitans muliebrem, ob munera formæ.
Vt solitæ pulcris pulcram invidisse puellæ.
Olli cura manet Venerem venerarier; olim
Sapè etiam oblato libamine placat Amorem,
Flammiferam metuens, cælesti matre, faretram.
Sed neque sic potis ignivomas vitare sagittas.
Vulgivagum Veneris festum jam turba colebat
Sestiadum, venitque diem cultura sacratum
Insula certatim; quamcunque pede alta coronant,
Festinans studiis. Iamque Hæmonia omnis & alto
Cypros adest pelago; mulier quoque nulla Cythera
Vrbibus immansit, non quæ juga odora choreis
Exercet Libani; præsto est vicinia tota

Et Phrygiæ cultor, nec longæ civis Abydi.
Nullus non illic juvenis cui cura Puellæ.
Quippe illi semper famam per festa secuti
Non tantis adsunt studiis ad dona Deorum,
Quantis collectas festinant cernere formas.
Verum templa Deæ gradiens superaverat Hero
Gratividam faciem fulgenti lumine crispans.
Candida ceu roseis per nubes, Delia, malis.
Purpureus niveas lambebat circulus oras
Summus utrique genæ: Bicolor Rosa qualis obitur
Ingenuâ calyce: & dicas spectator ab Hero
Membratim lucere Rosis viridaria plenis.
Tantum olli teneros artus rubor aptus habebat.
Candidulam gressu tunicam quatiente puellâ
Ipsa etiam roseo vestigia flore nitebant.
Corpore de toto Charites hinc inde fluebant.
Treis veterum Charitas mentita est fabula; centum
Ridenti Charitas uno pullabat ocello.
Hero digna sacris Cythereæ inventa sacerdos.
Hero virgineas longum prægressa catervas,
Mysta Deæ veneris, Venus altera præpete formâ.
At Iuvenum teneras subijt nova flamma medullas
Nec vir erat sponsam qui non optaret habere.
Et quocunque pedem benè in exstructâ æde movebat
Spectanteis oculos animosque & corda trahebat.
Miratusque aliquis juvenum, sic ore locutus.
Spartam adij, viridi claræ Lacedemoniis urbem,
Gloria ubi oppositas mactat certamine formas.
At pueram haud reperi talem, teneramque catamque.
Fors juvenum Veneris Charitum una altaria curat
Deficior spectando oculis, mens nulla tuentem
Se satiare potest; mortem pro nocte paciscar.

Non

Non ego me superis æquali vivere cælo
Malim, ac conjugio felice potirier Herûs.
Sin verò, & non est Veneris tangenda sacerdos;
Tale voles, Cytherea, thoris decus addere nostris.
Talia dicebant juvenes, vulnusque premebant
Virgineâ in formâ variâ ratione furenteis.
Durifer ô Leandre, tibi ut visa inclyta virgo est
Percussam non vis tecum consumere mentem,
Ante exspectatum domitus flagrante sagittâ
Vivere desperas nisi conjuge nobilis Hero.
Fax simul igneolis crescebat Amoris ocellis
Pectoraque invicti flagrans furor ignis edebat.
Inculpatæ etenim celeberrima forma Puellæ
Aligera est hominum seclis magè acuta sagittâ.
Fit via trans oculos, oculi figentis ab ictu
Labitur alta virûm in præcordia vulnus Amoris.
Hunc Stupor, & Tremor & Pudor Inque pudentia vinciunt,
Intremuit cor, captivum Pudor altus habebat.
Obstupuit formam eximiam; superatus amore est
Deinde pudor: facit audacem absque Pudore Cupido.
Mox tacito contrà pueram pede constitit ultrò.
Hirquam oculorum aciem vultu torquente dorso,
Insono amans nutu mentem ductare puellæ.
Ipsa autem ut juvenis pellacem sensit Amorem
Gavisa est Charisin. Furtim quoque sæpè venustam
Abscondit faciem, gestûs imitata juvenci,
Nutibus in tacitis mittens responsa Leandro,
Exertatque iterum: Iuveni intima mentis obibant
Gaudia, perceptas pueram non spernere flammas.
Ergo dum occultæ captus puer imminet horæ,
Corripiens Aurora diem concessit in undas,
Et stetit in dubiâ contrà vigil Hesperus umbrâ.

Ille audax animi teneram prope constitit Hero
Vidit ut atratas insurrexisse tenebras.
Et roseos taxim digitos constringere certat,
Imitus hausta ciens suspiria; At illa silendo
Indignata velut roseam trahit improba dextram.
Vt vero arguta nutus videt ille solutos
Dædala confidente trahit manu amicula pusæ
Vltimaque hanc ducit sacri in penetralia templi
Sæpe gradu lento vestigia pigra morantem,
Qualis nolle sequi; tali dein voce locuta est:
Fæmineo frustra sermone minata Leandro.
Quid miser insanis hospes? quo virginem agis me?
Ito viam hinc aliam, tunicâque facessito nostrâ.
Iram opulentorum nostrûm reverere parentum;
Non tibi fas divæ Veneris contingere mystam.
Haud leve virgineum est facinus penetrare cubile.
Sic effata minans teneris rata dicta puellis;
Ille ut fœmineasque minas, suavemque furorem.
Audiit, adgnovit captarum signa puellarum.
Illæ etenim cum jam pueris cæpére minari,
Dicta minæ Veneris sub nuncij imagine portant.
Purpureæ pueræ collo puer oscula odoro
Talia deinde loquens figit, superatus Amore.
Post Venerem mihi cara Venus, post Pallada Pallas
(Non etenim à nobis mortalibus addere, Virgo,
Æqua Iovis, virgo, soboli perhibere nobis)
Felix quo plantata patre es, quâ nata parente es,
Ter felix venter qui te gestavit! Amoris
Imperio effusas audi miserata querellas.
Cura operas Veneris, Veneri velut apta sacerdos.
Huc ades, & divæ legi sis mysta jugali.
Non fas est Veneris cures altaria Virgo,

Virginibus non læta Venus; si sacra Deæ vis
Discere, si ritus atque orgia fida tenere,
Sunt lecti & tædæ. Tibi si Venus aurea curæ est
Mulcenteis animum leges amplectere Amoris.
Supplicis ipse habitu, vel si vis, conjugis adsum,
Quem venatus Amor privis tibi, chara, sagittis.
Audacem Alciden veluti celer aurea virga
Sceptra tenens, Nymfa sub jardaniâ servitum
Mercurius duxit, Tibi me Venus aurea sistit
Non sapiens Atlantiades: Nec te latet, olim
Arcadiæ virgo, fugiens, Atalanta, cubile,
Milanionis, ut invitâ Venere ausa puella est
Virgineum servare decus. Mox deinde coacta est
Hujus Amore mori, longè quem spreverat olim.
Tu quoque, chara, voles; Veneri cave condere bilem.
His mentem dictis renuentem cepit in illâ
Pectora Amoriparis tangens errantia verbis.
Virgo tacens nitidos ad humum deflexit ocellos
Abscondens roseo pudibundas lumine malas.
Et terram summis pedibus terit. Apta Pudori
Sæpè humeris tunicam manibus contraxit ab altis,
Omnia quæ victæ prænuncia mentis: & olim
Si qua silet virgo, jam se non nolle, professa est,
Dulcacido jam dum superata Cupidinis ictu.
Dulcibus interea flagrabat ab ignibus Hero
Attonitisque oculis formam mirata Leandri est.
Dum vero inclines terræ figebat ocellos
Ipse ab Amore puer flagrantia lumina volvens
Nusquam aciem cervice movet splendente puellæ.
Serò adeò dulci virgo sermone locuta est,
Humentem stillans pudibunda per ora ruborem.
Hospes, ab his etiam poterat lapis esse loquelis.

Mollior, ah quem te liras docuisse putemus
Flexamina vocis? quis te, ah, Deus appulit isthuc
Patriæ ubi nostra est? nunc hæc frustrà omnia dixti;
Hospes enim infidusque meo potieris amore?
Legitimæ nullo jungent nos fœdere tædæ,
Quippe pater materque vetant: Quod si tibi cordi
Hospitis in speciem patriâ mihi vivere in urbe,
Non poteris Veneris furtivæ nocte fruisci.
Lingua etenim est hominum probricupida; & tacite quæ
Patrabis, vulgo in trivijs audita canentur.
Da nunc quæ tibi sint nomen patriamque: latebunt
Nec te nostra: Hero dederunt mihi nobile nomen.
Turris cœlividens domus est circumsona nobis
Littore in undifrago, patriæ prope mœnia Sesti
Vicinus mihi pontus, acerbâ lege parentum,
Non metum æquævi cœtus, non ulla chorea
Nota mihi juvenum. Nocteisque dieisq; tumultus
Ventorum, Pontique fremor circumtonat aureis
Dixit, & eroseas vesti tegit abdita málas,
Victa Pudore iterum suaque in se fæmina damnat.
At Iuvenis stimulo cupide percussus acuto,
Volvebat superanda modis quibus ârma Cupido
Ferret agone novo. Domat ille quidem alta sagittis
Corda virûm, Medicas idem tamen admovet arteis
Consilij varius: sic quos modo vicit Amoris
Ictibus omnidomis, mortalibus ipse Cupido
Consultor præstò est, & quæ fert vulnera tollit.
Ipse etiam auxilio curas lenire Leandri
Adfuit: is dictis gemitum superavit acutis.
Chara, tuum propter pelagus mihi nabile Amorem est
Ipsa licet flammis insurgere marmora certent,
Excludantque viam; ratibusque impervia pugnent.

Dum tua me sperem tenuisse cubilia, Virgo,
Non maris horrisoni timeam tranare furoreis,
Humida nocturnus portans tibi membra maritus.
Per celeris transmittam Hellesponti æquora: Abydum,
Quippe, tuis habito vicinas arcibus arces.
Lampada tu tantum suspensam ostendere turri
Lampada per tenebras, procul è regione, memento.
Vt, velut in fluctu navis deprensa marino,
Navis amoris ego cernam tua Lampadis astra.
Hanc uti conspiciens ne tardi signa Boetæ
Nec videam plaustri sicca, aut gravida Orionis,
In patriæ adversæ dulcem me sistere portum
Nisus, at ò, ventos cures cavisse sonanteis
Lampada ne, exstinctam nostrá cum morte, refellant.
Lampada lucifero ducentem lumine vitam,
Si vero est animi nostrum rescíscere nomen.
Ecce Leandrus ego dignus facie conjugis Herûs.
Olli compositis sic, tecto nomine, furtis
Nocturnos taciti contestabantur Amoreis.
Nunciaque elatæ rata custodire lucernæ.
Illa quidem è turri suspendere lampade lucem
Ille autem longas transire natatibus undas.
Sic pacto vigili noctes per amore futuras
Inviti à sese tamen abscessére coacti
Virgo suam ad turrim, juvenis (ne nocte sub altâ
Deciperent tenebræ) jaciens signacula turris,
Munitæ ad firmum rediit rate littus Abydi.
Tecta dehinc totá cupientes prælia nocte
Obstantem voluere diem decedere cælo.
Cæruleum jam nox currens caligine mundum
Induerat, consueta viris inducere somnum.
At non ardentem vinctura sopore Leandrum.

Ille maris resoni stans littore, fida manebat
Nuntia, lucentis per marmora sæva, Hymenæi.
Lampadaque opperiens testantem flebile pactum,
Concubitus tecti indicium, latè æquora lustrans.
Cum verò obscuram videt increbrescere noctem,
Extulit, illa, procul radiantis signa lucernæ.
Quâ simul accensâ properi quoque corda Leandri
Vßit Amor, jußitque pareis sentire caloreis.
At verò, horrisoni Furias audire profundi
Incipiens, timuit primum, mox talibus audax
Alloquiis mentem consolaturus obibat.
Difficile, ardor, opus: mare non placabile; verum
Pontus aqua est, intus me macerat ignis Amoris.
Sume, cor, igne animum, nec aquæ vaga flumina curæ.
Adsis nunc in amore mihi: quid n. æquora palles?
An Venus è fluctu nata est obscura marino?
Hæc eadem pelago domina est, nostroque furori.
Dixit, & exutam formoso corpore vestem
Ambabus manibus, capiti, connixus, adaptat.
Littoreque exsiliit, corpusque objecit in undas,
Lampadis igniferæ festinans lumina contrà,
Remex ipse & claßis, & ipse domestica navis.
Hero autem, ignigerâ stans edita turre, tegebat
Veste superjectâ mutantem lampada vento,
Vndique atroce animâ conante exstinguere lucem.
Donec Sestiaco est portu male lassus amator
Susceptus, raptusque altæ in penetralia molis.
Iam foribus tacitè est fessum complexa maritum,
Relliquias etiam stillantem è rore marino
Cæsarie; duxitque adyta interiora cubilis
Virginei, abstergens madidantem, oleoq; perungens,
Fragranti roseum, mare olentem exstinxit odorem.

Dein lecto in summo circumdans corpore corpus
Flantis adhuc sponsi, blando sermone locuta est.
Sponse, mihi ante alios duros exercite sponsos,
Sponse mali patiens, satis est salis æquore sævo;
Piscosusque frementе mari tibi fœtor aquai.
Hunc gravium in gremium exsuda tolerata laborum.
Dixit: ei extemplo Zonam dissolvit Amator,
Iuraque sub Veneris cupidi venére faventis.
Nuptiæ erant, sine sed choreis, sine carmine lectus.
Nemo Iugæ vates numen Iunonis adorat.
Non tedæ illustrant thalami genialis honorem.
Non agili quisquam potuit saliisse choreâ.
Non pater ipse, pio officio, venerandaque mater
Cantarunt sacro nubentibus ore Hymenæum.
Lectum ipsa in Veneris, perfecta protenus, horâ
Straverunt thalamo, taciturna Silentia, fixo.
Præfuit ornandæ, Caligo lurida, Nuptæ.
Longè aderant Sponsis celebratores Hymenæi.
Excoluit, nox atra, thorum: Numquam alma Leandrum
In lectis vidit notis, Aurora, cubantem.
Is rursum enavit contraria mœnia Abydi
Insatiabilibus noctem spirans Hymeneis.
Hero induta suos longâ tum veste parenteis
Fallebat, noctu mulier; male-Virgo, diurna.
Sæpè utrique unis optarunt cedere votis
Solis equos: tacitâ sic tum Venere inter Amoris
Mutua luserunt, absconsi nocte, pericla.
Verùm tempore non potuerunt vivere longo,
Multivagis sesè furtis, sine teste, fruenteis.
Bruma pruinosis sed cum gravis adfuit horis
Horrendos glomerans, multâ vertigine, nimbos.
Atque incerta maris ruerunt fundamina venti.

Verberi-

Verberibus crebris, & tempestate profundâ,
Totum excire volant pelagus: concussaque terræ
Tuta videns, nigram confregit, Nauta, carinam,
Effugiens hyemis, pelagusque exosus iniquum.
Se non sæva hyeme incumbens mare bruma, Leander,
Magnanimum exterret; sed nuntia lampas ab altâ
Turre ferens sueti signacula Amoris, agebat
Securum in pelagus, surgens furialibus iris.
Crudelis lampas, lux perfida: debuit Hero
Instanti infelix brumâ caruisse Leandro.
Non brevia accendens, lectis genialibus, astra:
Verum Amor & fatum miseram vicére puellam,
His persuasa, facem; non jam ducem, ut anteà, Amoris,
Sed Parcarum ignem turri ostentabat ab altâ.
Nox erat, & venti tum maximè atrocia junctis
Spiranteis flabris, collecto murmure sese.
In maris exonerant littus hyemalibus armis.
Tum spe consuetâ sponsæ per dorsa Leander
Horrisono veniens mare, jactabatur ab undâ.
Volvitur unda furens cumulumq; adscendit aquai,
Miscetur cælo Pontus, tremit undique terra.
Prælia ventorum: Zephyris pugnantibus Euri
Adversi insonuere, Notus Borealibus armis
Contrà sæva fremit: non declinabile Ponti
Horrescit fragor: At miser implacata Leander
Gurgitibus freta conspiciens, sæpè æquora habentem
Implorat Venerem; sæpè & Neptunia sceptra.
Atthidis haud Boream immemorem quoque liquit amatæ.
Verum olli auxilium nusquam est; Amor ipse trahenteis
Detinuisse nequit Parcas; venit impete fluctus
Obvius ipse sibi, cumulatque per æquora pontum,
Adfligitque virum: pedibus vigor interit omnis,

Mobi-

Mobilibus quondam manibus vis torpet ademta;
Multa superveniens undarum effusio guttur
Sponte suâ intravit; bibita est ei inutilis unda
Vis gravis; Et jam atrox delerat lampada Ventus,
Insidam, cumque hâc curamque animamque Leandri
Infelicis: adhuc cum tenderet ad suum ocellos
Suetum itiner vigiles, alijs stat fluctibus Hero
Ærumnosa vagis delassans pectora turis.
Venerat Aurora, & sponsam non viderat Hero,
Lumina tum toto misit speculantia Ponto
Errorem si forte sui pote cernere sponsi.
Lampade jam exstinctâ, turris fundamina propter
Cernit eum, scopulis laniatum immitibus artus.
Dædala mox rumpens de corpore amicula toto,
Seque sequens altis præceps de turribus, Hero,
Cum sonitu jecit, ob ademtum exstincta maritum.
Sic sese in summâ quamvis sunt clade potiti.

FINIS MVSÆI
LATINI.

MARCOS
y
FRANCISCO VIÑALS

MADRID